www.e-rara.ch

Francisci Petrarchae Operum tomus primus[-alter]

Francisci Petrarchae De remediis utriusque fortunae, libri duo

Pétrarque

[Genève], 1613

Bibliothèque de Genève

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-64267

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

2048 8 c

2818 20 a

6.

4(81)231/7(2)

GE Bibliothèque publique et universitaire

1060116425

SU 1674/1 (1)
Petrarca * Francisci Petrarchae De rem

FRANCISCI PETRARCHÆ OPERVM

Tomus primus:

Cuius libros pagella sequens exhibet.

Vnà cum Indicibus locupletissimis.

Typis IACOBI STOER.

M. DCXIX.

Su 16741

LIBRI HOC TOMO comprehensi.

I. De Remediis Fortunæ libri II.
II. De Vita solitaria.
III. De ocio Monachorum.
IV. De contemptu Mundi.

BIBL. P & U
GENÈVE

84 / 3345

594 854

594884 (1)

DE ORIGINE VITA, CONVERSATIONE: ET STVDIORum ſuorum ſucceſſu, ipſiuſmet Auctoris Epiſtola.

Fran. Petrarcha poſteritati S.

FVERIT tibi forſan, de me aliquid auditum, quanquam & hoc dubium ſit, an exiguum, & obſcurum longè nomen, ſeu locorum ſeu temporum, peruenturum ſit. Et illud forſitan optabis noſſe, quid hominis fuerim, aut quis operum exitus meorum, eorum maximè, quorum ad te fama peruenerit, vel quorum tenue nomen audieris? Et de primo quidem varię erunt hominum voces, ita enim fermè quiſque loquitur, vt impellit non veritas, ſed voluptas, nec laudis, nec infamiæ modus eſt. Veſtro de grege vnus: fui autem mortalis homuncio, nec magnæ admodum, nec vilis originis, familia

(vt de se ait Augustus Cæsar) antiqua. Natura quidem, non iniquo neque inuerecũdo animo, nisi ea consuetudo contagiosa nocuisset. Adolescentia me fefellit, Iuuenta corripuit, Senecta autẽ correxit, experimentóque perdocuit, verũ illud, quod diù ante perlegeram: quoniam adolescentia, & voluptas vana sunt: immò ætatum, temporúmq; omniũ cõditor, qui miseros mortales de nihilo tumidos, aberrare sinit interdũ, vt peccatorũ suorũ, vel serò memores sese cognoscãt. Corpus iuueni, nõ magnarũ virium, sed multæ dexteritatis obtigerat. forma nõ glorior excellẽti, sed quę placere, viridioribus annis, posset: colore viuido, inter cãdidum, & subnigrum: viuacibus oculis, & visu per longum tempus acerrimo. qui, præter spem supra sexagesimũ ætatis annũ me destituit, vt, indignanti mihi ad ocularium confugiendum esset auxiliũ. Tota ætate sanissimũ corpus senectus inuasit, & solita morborum acie circumuenit. Honestis parentibus Florentinis origine, fortuna mediocri, & (vt verũ fatear) ad inopiam vergẽte, sed patria pulsis, Aretij in exilio natus sum, anno huius ætatis vltimæ, quæ à CHRISTO incipit, M.CC C.IIII. die Lunæ, ad auroram, Cal. Augusti. Diuitiarum contẽptor eximius, non quòd diuitias non optarẽ, sed labores, curásq; oderam, opum comites

insepa-

inseparabiles, non vt ista cura esset, lautarum facultas epularum: ego autem tenui victu, & cibis vulgaribus vitam egi lætius, quàm cum exquisitissimis dapib. omnes Apitij successores. Conuiuia quæ dicũtur (cùm sint cõmessationes, modestię & bonis morib. inimicæ) semper mihi displicuerũt: laboriosum, & inutile ratus sum, ad hunc finem vocare alios, nec minus ab aliis vocari. Cõuiuere autẽ cũ amicis adeo iucũdum, vt eorum superuentu nec gratius habuerim, nec vnquam volẽs, fine socio cibũ sumpserim. Nihil mihi magis quàm põpa, displicet, nõ solùm quia mala, & humilitati cõtraria, sed quia difficilis, & quieti aduersa est. Amore acerrimo, sed vnico & honesto, in adolescentia laboraui, & diutius laborassem, nisi iam tepescentem ignem, mors acerba, sed vtilis, extinxisset. Libidinũ me prorsus expertem dicere posse optarem quidẽ, sed, si dicã, mẽtiar: hoc securè dixerim me, quãquã feruore ætatis & cõplexionis, ad id raptũ, vtilitatem illam tamen semper animo execratum. Mox verò ad quadragesimũ annum appropinquãs, dum adhuc & caloris satis esset, & virium, non solum factum illud obscœnum, sed eius memoriam omnẽ sic abieci, quasi nunquam fœminam aspexissem. Quod inter primas felicitates meas memoro, Deo gratias agẽs, qui me adhuc integrũ,

& vigentem,tam vili,& mihi ſemper odioſo ſeruitio liberauit.Sed ad alia procedo. Senſi ſuperbiã,in aliis,nõ in me: & cũ paruus fuerim ſemper,minor iudicio meo fui.Ita mihi perſæpe,nocuit aliis nunquam. Amicitiarũ appetẽtiſſimus honeſtarũ,&fideliſſimus cultor fuit,intrepidè glorior, quia ſcio me verũ loqui , indignantiſſimi animi, ſed offenſarũ obliuioſiſſimi,beneficiorũ permemoris.Principum, ac Regũ familiaritatibus, & Nobiliũ amicitiis,vſq; ad inuidiã,fortunatus fui.Sed hoc eſt ſuppliciũ ſeneſcẽtũ, vt ſuorũ ſæpiſſimè mortes fleãt,Maximi Regũ,&meę ętatis, amarũt,& coluerũt me, cur autẽ, neſcio,ipſi viderint.& ita cũ quibuſdã fui, vt ipſi quodã modo mecũ eſſent,& eminentiæ eorũ nullũ tædium,cõmoda multa perceperim. Multos tamen eorũ,quos valdè amabã,effugi,tantus fuit mihi inſitus amor libertatis,vt cuius,vel nomẽ ipſum, libertati, vel illi eſſe cõtrarium videretur, omni ſtudio declinarem.Ingenio fui æquo potius, quã acuto , ad omne bonũ, & ſalubre ſtudiũ apto: ſed ad moralẽ præcipuè philoſophiã,& ad poeticã prono. Quam ipſam,proceſſu tẽporis,neglexi,ſacris literis delectatus,in quib. ſenſi dulcedinẽ abditam, quam aliquãdo contẽpſeram,poeticis literis, non niſi ad ornatũ,reſeruatis.Incubui vnicè, inter multa,ad notitiam vetuſtatis,quoniam mihi

mihi semper ætas ista displicuit: vt, nisi me amor charorũ, in diuersum traheret, qualibet ætate natus esse semper optauerim, & hãc obliuisci nisus, animo me aliis semper inserere. Historicis itaq; delectatus sum, nõ minus tamen offensus eorũ discordia: securus in dubio, quo me vel verisimilitudo rerũ, vel scribentiũ traxit auctoritas. Eloquio, vt quidam dixerunt, claro, ac potenti, vt mihi visum est, fragili, & obscuro: neque verò in cõmuni sermone cũ amicis, aut familiaribus, eloquẽtiæ vnquam cura me attigit: mirórque eam curã Augustũ Cæsarem accepisse. Vbi autem res ipsa, vel locus, vel auditor aliter poscere visus est, paulò annisus sum, ídque quàm efficaciter, nescio, eorum sit iudicium corã quibus dixi. Ego, modò benè vixissem, qualiter dixissem, parui facerem: ventosa gloria est, de solo verborum splendore, famam quærere. Tempus mecũ sic, vel fortuna, vel voluntas mea, nunc vsq; partita est. Primum illũ vitæ annum, neque integrum Aretij egi, vbi in lucem natura me protulerat: sex sequentes, Anciſæ, paterno in rure, supra Florentiam quatuordecim passuum millibus, reuocata ab exilio Genitrice: octauum Pisis: nonum, ac deinceps, in Gallia Transalpina, ad læuam Rhodani ripam (Auinio vrbi nomẽ) vbi Romanus Pontifex, turpi in exilio, CHRISTI

tenet Ecclesiam, & tenuit diu: licèt, ante Te, paucos annos Vrbanus V. eã reduxisse videretur in suam sedem: sed res, vt patet, in nihilum rediit, ipso, quod grauiùs fero: tũc etiam superstite, & quasi boni operis pœnitẽte. Qui, si modicũ plus vixisset, haud dubiè sensisset, quid mihi, de eius abitu videretur. Iam calamus erat in manib. sed ipse cõfestim gloriosum principium ipsum, cum vita destituit infœlix. Quam fœliciter ante Petri aram mori, & in domo propria potuisset. Siue enim successores eius, in sua sede mãsissẽt, & ipse boni operis autor erat: siue abiissent, & tãtò ipsius clarior virtus, quantò illorum culpa conspectior. Sed hęc lõgior, atque incidẽs est querela. Ibi igitur, ventosissimi amnis ad ripã, puritiam sub parentibus: ac deinde sub vanitatibus meis, adolescentiã totam egi, nõ tamẽ sine magnis digressionibus. Namq; hoc tẽpore Carpentoras ciuitas parua, & illi ad orientẽ proxima, quadriennio integrò me habuit, inque his duabus aliquantulum Grammaticæ, Dialecticæ, ac Rhetoricæ, quantũ ætas potuit, didici, quãtũ scilicet in scholis discere solet: quod, quantulũ sit, clarissime lector, intelligis. Inde ad Montem Pessulanum legũ ad studiũ profectus, quadriennium ibi alterum: inde Bononiam, & ibi trienniũ expendi, & totum Iuris ciuilis Corpus audiui: futu-

rus

rus magni prouentus adolescẽs, vt multi opinabantur, si cœpto insisterẽ. Ego verò studiũ illud omne destitui, mox vt me Parentũ cura destituit, non quia Legũ mihi nõ placeret auctoritas, quę, absq; dubio, magna est, & Romanæ antiquitatis plena, qua delector: sed quia earũ vsus nequitia hominũ deprauatur: itaq; piguit perdiscere, quo inhostè vti nollem, & honestè vix possem, &, si vellẽ, puritas inscitiæ tribuẽda esset. Itaq; secundũ & vigesimũ annũ agens, domum redij: domum voco, Auinionense illud exiliũ, vbi ab infantiæ meæ fine fueram. Habet enim cõsuetudo proximã vim naturę. Ibi ergo iã nosci ego, & familiaritas mea à magnis viris expeti cœperat. Cur autem, nescire nunc me fateor, & mirari: tũc equidẽ non mirabar vt qui mihi more ætatis, omni honore dignissimus viderer. Ante alios expetitus fui à Columnensium clara, & generosa familia: quę tũc Romanam curiam frequẽtabat, dicam melius, illustrabat: à quibus accitus, & mihi, nescio, an & nunc, at tũc certè indebito in honore habitus, ab illustri, & incõparabili viro Iacobo de Colũna, Lõberiensi tunc Episcopo, cui nescio an parẽ viderim, seu visurus sim, in Vasconiam ductus, sub collibus Pyreneis, æstatẽ prope cœlestẽ, multa & domini, & comitum iucunditate, nãsegi, vt semper tempus illud, memorãdo.

ſuſpirem. Inde rediẽs, ſub fratre eius Ioanne de Colũna Cardinale, multos per annos, nõ quaſi ſub domino, ſed ſub patre, immò ne id quidẽ, ſed cum fratre amãtiſſimo, immò mecum, & propria mea in domo fui. Quo tẽpore iuuenilis me impulit appetitus, vt & Gallias, & Germaniam peragrarem: & licet aliæ cauſæ fingerẽtur, vt profectionẽ meam, meis maioribus approbarem, vera tamen cauſa erat, multa videndi ardor, ac ſtudium. In qua peregrinatione Pariſios primùm vidi, & delectatus ſum inquirere, quid verum, quidue fabulosũ de illa vrbe narraretur: inde reuerſus, Romam adij, cuius videndæ deſiderio ab infantia ardebam, & huius familiæ magnanimum genitorem, Stephanum de Columna, virum cuilibet antiquorum parem, ita colui, atque ita ſibi acceptus fui, vt inter me, & quemlibet filiorum, nil diceres intereſſe. Qui viri excellentis amor, & affectus vſq; ad vitæ eius extremũ, vno erga me ſemper tenore, permãſit, & in me nunc etiam viuit, neq; vnquam deſinet, niſi ego ante deſidero. Inde etiam reuerſus, cum omniũ, ſed in patris illius tædioſiſſimæ vrbis faſtidiũ, atq; odium, naturaliter animo meo inſitũ, ferre nõ poſſim: diuerticulum aliquod, quaſi portũ, quærẽs, reperi vallẽ perexiguam, ſed ſolitariam, atq; amœnam, quæ Clauſa dicitur, quindecim

cim passuum millibus ab Auinione distantẽ: vbi fontium rex omnium Sorga oritur. Captus loci dulcedine, libellos meos, & meipsũ illuc transtuli. Longa erit historia, si pergam exequi, quid ibi, multos ac multos egerim per annos. Hæc est summa, quod quicquid ferè opusculorũ mihi excidit, ibi vel actũ, vel cœptũ, vel conceptum est: quæ tã multa fuerunt, vt, vsque ad hanc ætatem me exerceãt, ac fatigent. Fuit enim mihi vt corpus, sic ingenium magis pollẽs dexteritate, quàm viribus. Itaque multa mihi facilia cogitatu, quæ executione difficilia prætermisi. Hic mihi ipsa locorũ facies suggessit, vt Bucolicũ Carmen, syluestre opus, aggrederer, & Vitæ solitariæ libros duos, ad Philippum semper magnum virũ, sed paruum tunc Episcopũ Cauallicensem, nunc magnum Sabinensem episcopum Cardinalẽ, qui mihi iã solus omnũ veterũ superstes: nõ me episcopaliter, vt Ambrosius Augustinũ, sed fraternè dilexit, ac diligit. Illis in montibus vaganti, sexta quadam feria, maioris hebdomadę, cogitatio incidit, & valida, vt de Scipione Africano illo primo, cuius nomẽ, mirũ vnde, à prima mihi ætate charum fuit, poeticũ aliquid Heroico carmine scriberem. Quod tunc magno cœptũ impetu, variis mox distractus curis, intermisi: sed subiecti de nomine, Africæ nomen libro

dedi: operi nescio, qua vel sua, vel mea fortuna, dilecto multis, antequã cognito. Illis in locis morã trahẽs (dictu mirabile) vno die, & ab vrbe Roma Senatus, & de Parisiis Cãcellarij Studij ad me literæ peruenerunt, certatim me ille Romã, ille Parisiis, ad percipiendam laureã poëticam euocantes: quibus ego iuueniliter gloriabundus, & me dignum iudicans, quo me dignum tanti viri iudicarẽt: nec meritum meum, sed aliorum librans testimonia: parumper tamen hæsitaui, cui potius aurem darem. Super qua, consiliũ Ioannis de Columna, Cardinalis supranominati, per literas expetij Erat enim adeò vicinus, vt cũ sibi fero scripsissem, die altero, ante horã tertiam, responsum eius acciperem: cuius cõsilium secutus, Romanæ vrbis auctoritatem, omnibus præferendam statui: & de approbatione consilij eius, mea duplex adillum extat epistola. Iui ergo, & quãuis ego, more iuuenum, rerum mearũ benignissimus iudex essem, erubui tamen, de meipso testimoniũ sequi, vel eorum à quibus euocabar, quod proculdubio nõ fecissent, nisi me dignũ oblato honore iudicassent. Vnde Neapolim primùm petere instituí, & veni ad illum summum, & regem, & philosophum Robertũ, nõ regno, quàm literis clariorem: quem vnicũ regem, & scientiæ amicum, & virtutis, nostra ætas

habuit

habuit, vt ipse de me, quod sibi visum esset, cẽseret, à quo qualiter visus, & cui quam acceptus fuerim, & ipse nunc miror, & tu, si nouerís, lector, puto mirabere. Audita autẽ aduentus mei causa, mirum in modum exhilaratus est, & iuuenilem cogitans fiduciam, & forsitan cogitans honorem, quem peteret ẽ, sua gloria non vacare, quòd ego eũ solum iudicem idoneũ, è cunctis mortalibus, elegissem. Quid multa? Post innumeras verborum collationes, variis de rebus, ostensámq; sibi Aphricam illam meam, qua vsq; adeò delectatus est, vt eã sibi inscribi, magno pro munere poscceret. Quod negare nec potui, certè nec volui. Super eo tãdem, pro quo venerã, certũ mihi deputauit diem, & à meridie ad vesperam me tenuit: & quoniam, crescente materia, breue tempus apparuit, duobus proximis diebus idem fecit: sic triduò excussa ignorantia mea, die tertio, me dignum laurea iudicauit. Eam mihi Neapoli offerebat, & vt assentirer, precibus, etiam multis, vrgebat. Vicit amor Romæ, venerandam tanti Regis instãtiam. Itaque inflexibile propositũ meũ cernens, literas mihi, & nuncios ad Senatũ Romanum dedit, quibus de me iudicium suum, magno fauore professus est: quod quidẽ tunc iudicium regium, & multorum, & meo in primis iudicio consonũ fuit. Hodie & ipsius,

& mecum, & omnium idem sentientium, iudicium non probo. Plus in eum valuit amor, & ætatis fauor, quàm veri studium. Veni tamen, & quàmlibet indignus, tãto tamen fretus, fisúsq; iudicio, summo cũ gaudio Romanorũ, qui illi solẽnitati interesse potuerunt, Lauream Poëticam, adhuc scholasticus rudis adeptus sum: de quibus etiam, & carmine, & soluta oratione, epistolę meę sunt. Hęc mihi Laurea, sciẽtiæ nihil, plurimum verò quæsiuit inuidiæ. Sed hæc quoq; historia longior est, quã poscat hic locus. Inde ergò digressus, Parmam veni, & cum illis de Corrigia, viris in me liberalissimis, atq; optimis, sed inter se malè concordibus, qui tunc vrbem illam tali regimine gubernabãt, quale nec ante in memoria hominum habuerat ciuitas illa, nec ętate hac, vt auguror, habitura est: aliquantulũ tẽpus peregi, & suscepti memor honoris, sollicitúsque ne indigno collatus videretur: cùm die quodam in montana conscendens, fortè trans Entiam amnem, Rheginis in finibus, syluã, quę Plana dicitur, abiissem, subito, loci specie, perculsus, ad intermissam Africã stilum verti, & feruore animi, qui sopitus videbatur, excitato, scripsi aliquãtulũ die illo, post continuis diebus, quotidie aliquid: donec Parmam rediens, & repostam, ac tranquillam nactus domum, qua postea empta,

nunc

nunc etiam mea est, tanto ardore opus illud nõ magno in tempore, ad exitum deduxi, vt ipse quoque nunc stupeam. Inde reuersus ad fontem Sorgiæ, & ad solitudinẽ transalpinã redij, cum iam quartũ & tricesimum ætatis annũ post terga relinquerem: diúque & Parmæ, & Veronæ versatus, & vbique, Deo gratias, charus habitus, multò amplius quã valerẽ. Longum post tẽpus, viri optimi, & cuius nescio, an è numero dominorũ quisquã similis, sua ætate vir fuerit, immò verò scio, quòd nullus, Iacobi de Charraria iunioris famæ præconio, beneuolẽtiam adeptus, nũciis quoque & literis. vsque trans Alpes, quando ibi eram, & per Italiam, vbicunque fui, multos per annos, tantis precibus fatigatus sum, & in suam sollicitatus amicitiã, vt quamuis de fœlicibus nil sperarẽ, decreueram tandem ipsum adire, & videre, quid sibi hæc magni, & ignoti viri, tanta vellet instantia. Itaque serò quidem Patauium veni, vbi ab illo clarissimæ memoriæ viro, nõ humanè tantùm, sed, sicut in cœlũ fœlices animæ recipiũtur, acceptus sum, tãto cũ gaudio, támq. inæstimabili charitate, ac pietate, vt quia æquare eam verbis posse nõ spero, silentio opprimẽda sit. Inter multa, scies me clericalem vitam à pueritia tenuisse, vt me non sibi solum, sed etiã patriæ arctiùs astringeret, me Canoni-

cum Paduæ fieri fecit,& ad ſummam, ſi vita ſibi longior fuiſſet, mihi erroris, & itinerum omnium finis erat. Sed,heu,nihil inter mortales diuturnum, & ſi quid dulce ſe obtulerit,amaro moxfine concluditur:biennio non integro cum mihi, & patriæ & mundo cum dimiſiſſet, Deus abſtulit, quo nec ego, nec patria,nec mundus(non me fallit amor) digni eramus. Et licet filius ſibi ſucceſſerit prudentiſſimus,& clariſſimus vir, & qui per paterna veſtigia, me charum ſemper, atque honoratum habuit: ego tamen, illo amiſſo, cum quo magis mihi, præſertim de ætate, conuenerat, redij rurſus in Gallias, ſtare neſcius:non tam deſiderio viſa millies, reuiſendi, quàm ſtudio, more ægrorum, loci mutatione,tædiis conſulendi.

INDEX

INDEX CAPITVM LIBRI PRIORIS,

Operis Francisci Petrarchæ de Remedio vtriusque Fortunæ.

De ætate florida. 43
De forma corporis. 47
De valetudine corporis. 50
De sanitate restituta. 51
De viribus corporis. 52
De velocitate corporis. 54
De ingenio. 55
De memoria. 57
De eloquentia. 59
De virtute. 62
De virtutis opinione. 64
De sapientia. 67
De religione. 71
De libertate. 72
De patria glorioſa. 75
De origine generoſa. 80
De origine fortunata. 85
De lauto victu. 86
De conuiuiis. 91
De veſtitu cultúque corporis. 95
De ocio & quiete. 98
De ſuaui odore. 102
De dulcedine muſica. 106
De choreis. 109
De pilæ ludo. 113
De ludo aleæ & calculorum. 114
De ludo taxillorum proſpero. 116
De hiſtrionibus. 119
De ludo palæſtrarum. 121

De variis spectaculis. 125
De equo agili. 130
De canibus. 133
De numerosa famulatu. 136
De magnificentia ædium. 139
De artium munitione. 140
De supellectili pretiosa. 143
De gemmis. 144
De gemmarum poculis. 153
De gemmarum lignis. 158
De tabulis pictis. 160
De statuis. 162
De vasis corinthiis. 165
De librorum copia. 169
De scriptorum fama. 175
De magisterio. 179
De variis titulis studiorum. 180
De titulis negotiorum. 184
De militari dignitate. 186
De amicitiis regum. 188
De amicorum abundantia. 190
De amicis incognitis nisi per famam. 193
De amico vnico fideli. 196
De diuitiarum copia. 199
De inuentione. 202
De inuentione thesauri. 203
De fœnore. 204
De fertilitate terræ. 206
De viridariis. 210
De gregibus & armentis. 213
De elephantibus. 214
De delectatione simiæ. 215
De pauonibus. 216
De piscinis. 218
De auiariis auibusque loquentibus. 222

125	De coniugij claritate.	215
130	De vxore formosa.	228
133	De vxore fœcunda & facunda.	229
136	De optima dote.	230
139	De gratis amoribus.	232
140	De ortu filiorum.	241
143	De filio infante festino.	242
144	De insigni natorum forma.	243
153	De filij fortitudine.	246
158	De filiæ castitate.	247
160	De optimo genero.	249
162	De secundis nuptiis.	250
165	De natorum coniugio.	251
169	De nepotibus.	253
175	De adoptione filij.	255
179	De excellenti præceptore.	256
180	De insigni discipulo.	258
184	De patre bono.	260
186	De matre amantissima.	261
188	De piis fratribus bonisque sororibus.	262
190	De bono domino.	264
193	De serenitate aeris.	267
196	De prospera nauigatione.	269
199	De carceris exitu.	271
202	De tranquillo statu.	281
203	De votiua portus apprehensione.	274
204	De potentia.	276
206	De gloria.	278
210	De beneficiis in multos collatis.	280
213	De amore populi.	283
214	De occupata tyrannide.	285
215	De regno & imperio.	286
216	De exercitu armato.	297
218	De classe Instructa.	300
222	De machinis & balistis.	391
cor-		

De thesauro reposito. 303
De vindicta. 304
De spe vincendi. 308
De victoria. 311
De inimici morte. 312
De spe pacis. 314
De pace & induciis. 315
De pontificatu. 318
De felicitate. 321
De spe bona. 322
De hæreditatis exspectatione. 328
De alchimia. 331
De promissis aruspicum. 333
De læto rumore. 338
De filij vel amici exspectatione. 339
De exspectatione meliorum temporum. 343
De aduentu principis. 345
De famæ spe. 346
De gloria ex ædificiis sperata. 349
De sperata gloria ex conuictu. 351
De multiplici spe. 352
De pace animi sperata. 354
De spe vitæ æternæ. 355

Francisci Petrarchæ de Remedijs vtriusque Fortunæ, indicis libri prioris.

FINIS.

303
304
308
311
312
314
315
318
321
322
328
331
333
338
339
343
345
346
349
351
352
354
355

INDEX CAPITVM
libri posterioris.

De deformitate. 370
De imbecillitate. 375
De aduersa valetudine. 377
De ignobili patria. 378
De originis obscuritate. 380
De obscœna origine. 387
De seruitute. 391
De paupertate. 396
De damno. 398
De tenui victu. 405
De originali inopia. 408
De numerosæ prolis grauitate. ibid.
De amissa pecunia. 413
De vadimonio. 423
De temporis amissione. 424
De aduerso ludo taxillorum. 428
De sponsa alteri adiudicata. ibidem
De vxoris amissione. 429
De importuna vxore. 433
De raptu coniugis. 435
De vxore impudica. 436
De vxore sterili. 442
De filia impudica. 443
De aduentitio dedecore. 445
De infamia. 447
De quæsito ex indignis laudibus pud. 451
De amicis infidelibus. 453
De ingratis. 454
De seruis malis. 458
De seruis fugitiuis. 461
De vicinis importunis. 462

De inimicitiis. 464
De prærepta facultate vindictæ. 466
De odio populari. 468
De inuidia. 469
De contemptu. 470
De promissi muneris tarditate. 472
De repulsis. 473
De iniusto domino. 476
De indocto præceptore. 479
De discipulo indocili ac superbo. 481
De nouerca. 482
De duritie paterna. 483
De filio contumace. 487
De discordi fratre. 489
De amisso patre. 491
De amissa matre. 492
De amisso filio. 493
De infantis casu misero. 495
De filio qui alienus inuentus est. 497
De amisso fratre. 500
De morte amici. 503
De absentia amicorum. 505
De graui naufragio. 507
De incendio. 509
De graui negotio. 511
De duro itinere. 513
De sterilitate annua. 516
De villico malo ac superbo. 519
De furtis. 520
De rapinis. 522
De dolo malo. 523
De habitatione angusta. 525
De carcere. 526
De tormentis. 528

464	De iniusto iudicio.	530
466	De exilio.	533
468	De patria obsessa.	597
469	De patria euersa.	540
470	De metu perdendi in libello.	541
472	De stulto & temera colle.	543
473	De inconsulto & præcipiti ma.mi.	544
476	De infausto prælio.	545
479	De bello ciuili.	548
481	De discordia fluctuante.	550
482	De ambiguo statu.	553
483	De vulneribus acceptis.	554
487	De rege sine filio.	557
489	De amisso regno.	559
491	De proditione.	563
492	De amissa tyrannide.	564
493	De perditis arcibus.	569
495	De senectute.	572
497	De podagra.	582
500	De scabie.	584
503	De vigilia.	586
505	De inquietudine somniorum.	588
507	De celebritate nominis.	589
509	De dolore malis ex hominum moribus.	593
511	De minutis tædiis rerum variarum.	594
513	De terræ motu.	604
516	De peste latissime sæuiente.	607
519	De tristitia & miseria.	608
520	De ægritudine dentium.	616
522	De ægritudine tibiarum.	606
523	De cæcitate.	620
525	De auditu perdito.	624
526	De tædio vitæ.	627
528	De grauitate corporis.	628
De	De grauis ingenij tarditate.	630

De inopi & infirma memoria. 632
De eloquentiæ defectu. 633
De amissione linguæ. 636
De virtutis inopia. 638
De auaritia. 641
De inuidia. 642
De ira. 643
De gula. 645
De torpore animi. 646
De luxuria. 647
De superbia. 648
De febribus. 650
De dolore iliaco. 651
De totius corporis dolore. 653
De furore. 666
De veneno. 667
De metu mortis. 669
De voluntaria in seipsum manu. 677
De morte. 684
De morte ante diem. 690
De morte violenta. 695
De morte ignominiosa. 698
De morte repentina. 700
De ægrotante extra patriam. 701
De morte extra patriam. 702
De morte in peccatis. 709
De moriente sollicito, quid de patrimonio ac liberto futurum sit. 712
De moriente anxio quid vxor ex mortuo sit actura. 715
De moriente sollicito, quid post se patriæ euenturum sit. 717
De studio famæ in morte. 710
De moriente sine filiis. 721
De moriente qui metuit insepultus abiici. 724

FRAN-

FRANCISCI PETRARCHÆ Elogia.

IOANNIS BOCATII.

FRANCISCVS Petrarcha cœlestis homo profectò & nostro ævo Poëta clarissimus, nonne spreta Babylone occidentali, atque Pont. Max. beneuolentia, quam omnes ferè Christiani summoperè cupiunt & procurant, & pileatorum orbis cardinum aliorúmque Principum, in Vallem clausam abiit insignem Galliæ solitudinem, locum vbi Sorgia fontium rex oritur, & ibidem omnem ferè floridam iuuentutem suam villici vnius contentus obsequio, meditando atque componendo consumpsit. Fecit equidem, stant vestigia stabúntque diu, parua domus & hortulus, & dum Deo placet, testes viuunt plurimi. Et paulo pòst. Credámne igitur tantæ dementiæ fuisse Platonem, vt Franciscum Petrarcham vrbe pellendum iusserit? qui à iuuentute sua cœlibem vitam ducens, adeò ineptæ Veneris spurcitias horret, vt noscen-

tibus illum, sanctissimum sit exemplar honest.. Cui mendacium lætalis est hostis, qui vitiorum omnium execrator est, & venerabile veritatis sacramentum, virtutũ decus & lætitia, & catholicæ sanctitatis norma, pius, mitis, atque deuotus, & adeò verecundus, vt inde dicatur Parthemias alter. Est & insuper Poeticæ gloriæ facultatiss, Orator suauis & facũdus, cui cũ omnis pateat Philosophię sinus, est illi ingenium, pręrer humanum perspicax, memoria tenax, & rerum omnium, prout homini potest esse notitia plena, ex quo opera eius, tàm prosaica, quàm metrica, quæ plura extant, tanto splendore refulgent, tãta suauitale redolent, tanto florido ornatu spectabilia sunt, & lepôre sonantium verborum melliflua, & sententiarum succo mirabili sapida, vt cælestis ingenij artificio potiùs, quã humani fabre facta credantur. quid multa dixerim? profectò hominẽ superat, & in lõgũ mortalium vires excedit. Neq; ego has laudes prædico, quasi antiquũ hominem, & lõgis antè seculis defunctũ commẽdem, quin immò, dum Deo placet, viuentis atq; valentis merita refero, quẽ morsores egregij, si nõ literulis meis creditis, oculata fide, videre potestis. Nec dubito vt ex eo contingat, quod vt plurimum famosis viris cõtingere cõsueuit, vt ait Claudianus: Minuit præsentia famam,

imò

imò audacter assero, quia huius superet præsentia famam, tanta enim morum maiestate, tanta suauis eloquentiæ facũdia. tanta etiam vrbanitate & composita senectute cõspicuus est, vt de eo quod apud Senecam moralem Philosophum de Socrate, dici possit. Auditores scilicet eius, plus ex moribus, quàm ex verbis traxisse doctrinæ.

Amplissimum hoc quidem, & liquidò veritati datum, etsi amicitiæ atque amori mutuo attribuũ videri possit, apud eos nempe, qui stulta æmulatione, alienas laudes in suspicionem rapiunt libenter. syncera verò illa atque subtili testificatione Magni illius D. Erasmi Roterodami, quid potest esse laudabilius? cuius quidem de hoc nostro, verba hæc sunt.

DES. ERASMI ROTERODAMI.

ITaque reflorescentis eloquentię Princeps, apud Italos videtur fuisse Franciscus Petrarcha, sua ætate celebris ac magnus, nunc vix est in manibus, ingenium ardens, magna rerũ cognitio, nec mediocris eloquendi vis.

Ex his siquidem intelligi maximè potest, ornamenta illa innumerabilia, quæ dicendi magistro (à quo Philosophia abesse nocuit) & necessaria & propria sunt, PETRARCHAE cumulatè adfuisse. Quod verò ratò in mani-

bus sit, id petulantiæ huius seculi tribuendū puto, quo aures teretes & religiosas, verborū volubilitate demulcere, quam sententiarum pondere prehensare magis cōsuetum. Certè vtrum hunc emunctissimi iudicij, multa & in se & in aliis desiderasse, aliam quoq; in eius mente recondītam habuisse eloquentiæ speciem, quā exprimere nec illi nec alij vlli hactenus cōcessum, in Libro, quo de Sua ipsius & aliorum Ignorantia grauiter sanè & probè disputat, facilè deprehēditur. id quod nec Ludouicus Viues, vir in omni literatura singularis, nec Franciscus Floridus præcocis & elegantissimi ingenij iuuenis, censuris suis dissimularunt, quorum verba adscribam.

Lvdovici vivis.

FRanciscus Petrarcha ad hinc annos paulo plures ducenteis Bibliothecas tàm diù clausas reserauit primus, & puluerem situmque è monumentis maximorum autorum excussit: quo nomine plurimum ei Latinus sermo debet: Non est omnino impurus, sed squalorem sui seculi non valuit prorsum detegere, &c.

Francisci Floridi Sabini.

QVid tu? censésne Dantem, Franciscum Petrarcham, & Ioannē Bocatium Latinæ

tinæ linguæ fuisse imperitos? minimè quidē, immò & plurimum laudis inter eos meruit Petrarcha, qui primus apud Italos (nisi fallor) Latinam linguam diu sepultam, ex ruderibus & vetustate, in lucem asserere adortus est, quod tamen cùm parum fœliciter succederet, vel quia bona optimorum librorum pars desideraretur, vel quòd opus maius esset quàm quod ab vno exactè perfici posset, ad Hetruscam linguam se inuitus cōtulit, quod ipse edito de hac re carmine confitetur: tantùm abest vt quisquam inficiari valeat. Nec aliud sanè clamant eius opera latinè scripta, quæ summum ingenium, nec mediocrem eruditionem ostendunt.

Horum iudicium multo magis confirmat elogium illud Maximi illius Historici Pauli Iouij, qui & parcus alieni operis laudator, seuerę quoque auris arbitrio semper superbus, Hetruscæ tamen eloquētiæ palmā PETRARCHÆ tribuit, ac Gottica barbarie adobrutarum literarum Latinarum, alterum facit quasi parentem & assertorem. inquit enim:

PAVLI IOVII NOVOcomensis.

FRanciscus Petrarcha eodē ciue magistroque Dante, Etruscæ linguæ facultate

constitutam planè, & certis adornatam numeris, flagranter excepit, tanta ingenij solertia duriora molliẽdo, & singulari suauitate, variis modis flectendo numeros vt enatam dudum, & vix dum flores ostendentem eloquentiam, ingenti cultura, ad absolutæ maturitatis fructum, summúmq; ideò exactæ elegantiæ fastigium perduxerit, eámq; laudem sit consecutus, vt in eo poesis genere amatorióque præsertim, castitate, cãdore, dulcedine nobilium Poetarum & primus & vltimus, sanis à scribendo deterritis, existimetur. Sed tanti viri iudicium illudens fortuna grauiter fefellit, quum hæc æternæ fœlicitatis spiritum habitura, tanquam temporaria despiceret, vt ex latina Aphrica, vnde ei in Capitolio insignis laurea præmium fuit, certiorem & nobiliorem gloriam adsequeretur. Sed debeamus plurimum ingenuo sudore semper æstuanti, dum literas à multo æuo miserè sepultas, è Gothicis sepulchris excitaret, modo enim tanquam Italicæ linguæ conditorem & Principem, ab incomparabili diuini ingenij virtute veneremur.

Ioannis Heroldi.

IN doctrina & differendi ratione PETRARCHA hic noster, religione pius,

pius, grandis verbis, sententiis admodum instructus, totus grauis apparet: in Historiis si omninò perfectum neges, satis tamen elegantem, nusquam infantem reperies. In Epistolis est acer, vehemens, nonnonquam dulcis & perfacetus, legendus quidem omnibus, præsertim de Rebus Senilibus, habet enim quo ingenium non solùm acuatur, verumetiam & ali possit. Quis igitur neget, vel hunc PETRARCHAM, vel etiam alios viros huic similes, à Rebus publicis benè institutis, meritò coli? quum etiam in maximis Reipub. occupationibus studia doctrinæ nunquam intermiserint: semper aliquid elucubrauerint negotiis obruti: vel à regendis rebus publicis, totos se ad rerum cognitionem transtulerint, vt hominum mentes excellentissimorum suorum ingeniorum inuentis, ad honestatem virtutésque fingerent, omnéque suum tempus ea vna in re consumpserint. Quis credet Ciceronem ipsum conseruatæ Romæ, quam Linguæ Latinæ ac Philosophiæ assertæ gloriæ fructum legisse vberiorem? quid enim rogo, ea ex vrbe, quam ex ferro & facibus truculentissimi parricidæ Catilinæ, eripuerat vigilantissimus Cos, præter stupendas illas ruinas, extat? cum tamen Oratoris illius

clariſſimi in dicẽdo maieſtas, ac Philoſophi ſummi, præclara tot literarum monumenta, in ipſo Vrbis interitu, non modò Latini ſermonis puritatem, verùm penè ipſam etiam ciuitatem Rémque pub. tueantur, teſtimonium ac exemplar optimorum ſuorum conſiliorum exhibeant.

FRANCISCI PETRARCHÆ, PHILOSOPHI, POETÆ, ORATORISQUE CLARISSIMI, DE REMEDIIS VTRIUSQUE FORTUNA, AD AZONEM CORREGIUM, PRINCIPEM PARMENSEM, AMICUM SUUM.

EPISTOLARIS PRÆFATIO.

CVM res, fortunásque hominum cogito, incertósque, & subitos rerum motus, nihil fermè fragilius mortalium vita, nihil inquietius inuenio: ita cunctis animantibus Naturam, miro remedij genere cõsuluisse video, ignorantia quadam sui; nobis solis memoriam, intellectum, prouidentiam; diuinas, ac præclaras animi nostri dotes, in perniciem, & laborem versas. Tam superuacuis enim semper, nec inutilibus modò sed damnosis, atque pestiferis curis obnoxij, & præsenti torquemur, & præterito, futuróq; angimur; vt nil magis metuere videamur, quàm, ne quando fortè parum miseri simus. Tanto studio miseriarum causas, & dolorum alimenta conquirimus, quibus vitam, quæ, si ritè ageretur, felicissima prorsus ac iucundissima rerum erat, miserandum, ac triste negocium efficimus: cuius initium cæcitas, & obliuio possidet; progressum labor, dolor exitum, error omnia. Quod ita esse, quisquis vitæ suæ cursum, aeri iudicio remetietur, intelliget. Quem quietum, quæso? Quem tranquillum? Quem non laboriosum magis, atque anxium diem egimus? Quod vnquam tam securum, aut tam lætum mane vidi-

mus, vt non ante crepusculum, sollicitudo, mœrórque surriperet? Cuius mali etsi ipsis in rebus multa insit occasio, nisi tamen nos fallit amor, nostri causa maior; siue [vt ingenuè fateamur] culpa omnis in nobis est. Vt vero sileam reliqua omnia quibus vndique trudimur, quod illud est bellum, quamque perpetuum quod cum Fortuna gerimus, cuius nos poterat facere virtus sola victores? Nos ab illa, volentes scienteque deficimus. Soli igitur imbecilles, exarmati, non æquo Marte cum implacabili hoste congredimur; quos illa vicissim, ceu leue aliquid, attolit, ac deiicit, & in gyrum rotat, ac de nobis ludit: vinci tolerabilius foret; nunc etiam ludibrio habemur. Id verò quid aliud, quàm leuitas & mollities nostra fecit? Idonei visi sumus, qui pilæ in morem, huc illuc tam facilè iactaremur, animalia æui breuissimi, sollicitudinis infinitæ, quibus insciis, cui puppim littori, cui animum consilio applicemus, pro consilio interim sit pendere, ac præter præsens malum, & à tergo, quod doleat, & ante oculos semper habere quod terreat. Quod, præter hominem, animantium nulli accidit, quibus, præsentia euasisse, pleniissimam securitatem tribuit. Nobis ob ingenium, & acumen animi, semper, quasi cum Cerbero tricipiti hoste, luctandum est. Vt ratione caruisse propè melius, in nosmetipsos, ætherea naturæ præstantioris arma vertentibus, huic malo obstare subdifficile est, vetustate iam, & consuetudine radicato: enitendum tamen; in quam rem, præter generosi animi conatum, cui nihil est arduum, nihil inexpugnabile, & sapientum hominum crebra colloquia [quamuis id genus iam rarescat] & multò maximè iugis lectio, ac peruigil, scriptorumque

que nobilium monumenta profuerunt, modò salubribus monitis consensus animi non deſit: quem vnum in terris, sani consili viuum fontem asseuerare non verear. Quamobrem si vel plebeijs scriptoribus, pro affectu nudo, gratiam aliquando habitam scimus, siue pro eo, quòd iter apparuisse sequentibus visi erant, quanta [oro te] gratia, claris ac probatis Scriptoribus est habenda; qui multis ante nos seculis, in terram versi diuinis ingeniis, institutisque sanctissimis nobiscum viuunt cohabitant, colloquuntur? Interque perpetuos animorum fructus ceu totidem lucida sydera, & firmamento veritatis affixa, ceu totidem suaues, ac felices auræ, totidem industrij, ac experti nautæ, & portum nobis quietis ostendunt, & eò voluntatum nostrarum lenta carbasa promouent & fluitantis animæ gubernaculum regunt, quoad tantis procellis agitata consilia, tandem sistat, ac temperet. Hæc est enim vera philosophia; non quæ fallacibus alis attollitur, & sterilium disputationum ventosa iactantia per inane circunuoluitur; sed quæ certis, & modestis gradibus compendio ad salutem pergit. In hoc te studium hortari, amicum fortè, sed profectò necessarium non est. Nam te variæ lectionis, multiplicisque notitiæ auidum fecerat fortuna, quæ [vt aiunt] magnæ rerum partis imperium tenet; turbibo quodam, ac profundo negotiorum, & curarum pelago iactandum dedit. Cæterùm non vt legendi otium, sic noscendi desiderium eripuit, quominùs semper literatorum hominum delectatus amicitia, & conuictu, & occupatissimis diebus otiosas horas quoties licuit furatus, quotidie instructior, quotidie rerum memorabilium doctor fieri velles: vbi illa, qua

nulli cedis, memoria, sæpè te pro libris vti solitum, ipse tibi sum testis. In quod, si ab ineunte ætate pronus eras, eò nunc putandus es pronior, quo serotinus, matutino viatore feruentior, atque animo saltem promptior esse solet; quandoquidem hæc vulgaris est querela; crescere iter, diemque decrescere; quod vtrique nobis in hoc vitæ tramite accidit, ad vesperam propinquantibus, & vitæ multùm superesse cernentibus. Non mihi igitur es hortandus, vt facias quod semper auidissimè feciſti. Admonuisse sufficerit, vt intendas animum, ne qua te hinc humanarum rerum cura dimoueat, quæ plerosque mortalium, post egregios labores, in ipsa consummatione maximorum operum auertit. Hoc adiecto, vt quia simul omnia, vel legere, vel audire, & meminisse non potes, vtilissimis quidem, & (quando breuitas est amica memoriæ) breuissimis quoque te fulcias. Non quod ego suadeam operosiora illa, & maiora sapientiæ consulta negligere, quibus te in ordinario (vt ita dicam) fortunæ certamine tueare; sed vt his interim breuibus, ac præcisis sententiis, quasi quibusdam expeditis, atque continuis armis, contra omnes insultus, omnémque repentinum impetum, hinc illinc iugiter sis instructus. Duplex enim est nobis duellum cum fortuna, & vtrobique quodam modo par discrimen. Cuius non nisi partem vnicam vulgus nouit, eam scilicet, quæ vocatur aduersitas. Philosophi, etsi vtranque nouerint, hanc tamen ipsam difficiliorem arbitrantur. Itaque notum illud Aristotelis in Ethicis, suo iure diffinientis: Difficilius esse tristia sustinere, quàm à delectabilibus abstinere. Quem secutus Seneca ad Lucilium scribens: Maius est, inquit, difficilia perstringere, quàm

quàm læta moderari. Quid dicam? Auſímne tantos inter viros hiſcere? Durum quidem, & temeritatis parata ſuſpicio, nouo homini vetuſta tangenti. Hinc authoritate igitur, hinc ętate permoueor; ſed alterius magni cuiuſdam, & antiqui viri ſuccurrit authoritas. Neque enim impetrari poteſt, quin quale quidque videatur ei, talem quiſque de illo opinionem habeat. Marci Bruti ſunt verba ſcribentis ad Atticum, quibus vix aliquid verius dici reor. Quid enim de re qualibet iudicare poſſum, niſi quod ſentio? niſi fortè còmpellar, vt iudicio iudicem alieno; quod qui facit, iam non ipſe iudicat, ſed iudicata commemorat. Ego itaque reuerenter tantorum hominum omniúmque ſic ſentientium iudicia præteruectus, ſi de proprio loqui velim. Scio quidem aliàs variè de virtutibus diſputatum, neque ſemper difficilioribus principatum, dari; neque fortuitò vltimum inter virtutes locum obtinuiſſe modeſtiam; ſiue eam temperantiam dici mauis. Quantùm tamen ad id de quo agitur attinet, difficilius proſperæ Fortunæ regimen exiſtimo, quã aduerſæ; aliquantóque, fateor, apud me formidoloſior, & [quod conſtat] inſidioſior eſt Fortuna blanda, quàm minax: quod, vt ſic opinor, non me ſcribentium fama, non verborum laquei, nodíque ſophiſmatum, ſed rerum experimenta, viteque huius adigunt exempla, & magnum difficultatis argumentum, raritas. Nam qui damna, qui pauperiem, qui exilium, qui carcerem, qui ſupplicium, qui mortem, & peiores morte, graues morbos, æquo animo tulerunt, multos vidi: qui diuitias, qui honores, qui potentiam, nullum. Ita ſæpenumerò, me ſpectante, contra omnem aduerſę Fortunæ violentiam inuictos, ludo fac ili

prosperior strauit; humaniqúe robur animi, quod minæ non fregerant, inflexêre blanditiæ. Nescio enim quomodo, mox vt mitior esse cœperit Fortuna, incipit mens emollita tumidior fieri, & tuæ sortis obliuionem, adiuncta prosperitate, concipere. Neque de nihilo dictum est, iámque apud nostros homines in prouerbium venit: Magni laboris esse, ferre prosperitatem, Neque casu Flaccus ait: *Ferre ferre magnam disce Fortunam.* Difficilem nempe censebat artem, quæ, nisi studio adhibito, nesciretur. Cæterùm Seneca ipse Fortunæ partem illam, quæ sibi difficilior visa erat, & est, haud dubiè, prima fronte rigidior, breui admodum sermone perstrinxerat. Is libellus passim in manibus vulgi est. Cui ego nil addere, nil detrahere meditor, quod & magno ingenio conflatum opus, nostram dedignatur limam; & mihi meis rebus intento, nec comere aliena, nec carpere est animus. Sed quoniam & virtus, & veritas publicæ sunt, neque studium antiquitatis obesse debet posteritatis industriæ, cui excitandæ, atque adiuuandæ noscitur institutum; de hoc ipso tecum loqui aliquid, quodque ille Gallioni suo tunc præstitit, id Azonio meo nunc, quantum hoc defesso iam, & occupato semper ingenio dabitur, præstare propositum est mihi, insuper & partem alteram ab illo, seu obliuione, seu iudicio prætermissam, attingere. Vtrique autem, sciens, pauca permiscui, non Fortunæ cuiuspiam, sed virtutis, aut vitij, excellentiæ, aut defectus; quod etsi extra propositum ipsa quidem, effectu tamen haud dissimili, & lætos quoque, mœstósque animos factura viderentur. Quibus in rebus, quo me gesserim ingenio, tu censebis, occupationum memor, ac temporis, qui

qui pauciſſimis diebus cœptum, perfectúmque opus, admirans videris. Ego ſolus fidei iudex ſum. Studui hercle non vt vnum quodque mihi ſpecioſius, ſed vt tibi, atque aliis [ſi tamen alius quiſquam hæc attigerit] vtilius viſum eſt conquirere: denique finis meus is, qui ſemper in hoc genere ſtudiorum fuit, non tam ſcilicet, ſcribentis laus, quàm legentis vtilitas; ſi qua ex me percipi, aut ſperari poteſt, ad id maximè reſpexi; ne armarium euoluere ad omnem hoſtis ſuſpicionem, ac ſtrepitum ſit neceſſe; quin mali omnis & nocentis boni, atque vtriuſque Fortunæ remedium breue, ſed amica profectum manu, quaſi duplicis morbi, vt non inefficax antidotum, in exigua pixide omnibus locis, atque temporibus ad manum [vt aiunt] & in promptu habeas. Nam [vt dixi] vtraque Fortunæ facies metuenda, veruntamen vtraque toleranda eſt, & hæc quidē frœno indiget illa ſolatio; hîc animi elatio reprimenda illîc refouenda, ac ſubleuanda fatigatio. Hanc ergò varietatem cogitanti mihi non modò, cùm de hoc vellem aliquid ſcribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo vterque noſtrûm communiter vteretur, vt ait Cicero, ſed etiam tu me ſolus, vt ſcriberem, excitabas non quidem verbo, vt qui cœptorum nihil conſcius ſis tantorum, ſed rebus ipſis, & in vtranque partem abundante materia. Multos in equuleo Fortunæ habitos, multos in deliciis ſcimus; multos magno impetu rotatos, nec ſcandentium deſunt exempla, nec ruentium, nec ſum neſcius quoſdam ex altiore faſtigio prolapſos. Quot Romani Imperatores; quot externi Reges vel hoſtium vel ſuorum manibus, è ſummo ſolio detracti, vitam ſimul, & imperium amiſere? Anne omnia à ve-

tustate mutuemur? & exules nuper, & captiuos, & in acie cæsos & domi capite truncos, [quodque durissimum relatu est] & laqueo enectos, fœdéque laniatos Reges nouimus. Tibi, cui cor regium natura dederat, nec dedit regnum Fortuna, nec abstulit; ad quem, in cæteris, illa tam variè egerit, vix, quod sciam, nostra ætas inueniet. Iam imprimis valetudine prosperrima, & corporis viribus dudum fretus, vsque ad stuporem omnium, qui te norant, intra non multos annos, ter desperatus à Medicis, ter vitam ac salutem tuam in solo Medici cælestis auxilio posuisti: sic ab illo tandem sanitati redditus, vt penitus tuum illum pristinum robur amiseris; non inferiore miraculo dexteritatis eximiæ atque insolitæ grauitatis; vt qui olim penè Aëripes fuerit, nunc accliuis, aut seruorum manibus equi tergo impositus, aut humeris nixus, lentis terram passibus metiaris. Patria tua vno propè tempore te dominum vidit, atque exulem, ita tamen, vt nihil obscurior exilio videretur. Nulli ferè nostrorum hominum par principum fauor, nulli par fuit iniuria; vt cum paulò ante certatim in amicitiam tuam niterentur, iidem ipsi de nulla alia re concordes, in tuum mox exitium, quasi communicato consilio conspirarent. Et pars quidem tuum caput insidiis peteret, auro prius, ac gemmis, largifluísque muneribus, tot per annos propitiæ, ac fauentis Fortunæ, & [quæ hominibus grauior iactura est] Amicis, atque clientibus, vniuersaque familia, duris quidem, sed diuersis tormentorum, ac mortium generibus spoliatum: pars, quæ clementior fuit, illud ingens patrimonium, terras, homines, domos, oppida inuaderet, vt qui modò te viderant, mox è summis opibus ad

inopiam

inopiam redactum, ceu aliquod Fortunæ prodigium mirarentur, Amicorum [vt dixi] pars periit. In superstitibus periit fides fugitque [quod assolet] cum prosperitate fauor hominum, vt dubitare posses, an amicorum priùs, an fidei fleres interitum. Accessit in medio rerum æstu ægritudo penè vltima & tam morti proxima vt quem viuere amplius non posse, persuasum esset, extinctum fama vulgaret. Et hic morbus, hæc paupertas, hic laborum cumulus, pulsum patria procul domo, in alienis terris, ac laribus circumtonante bello, semiobsessum oppresserant: ne, quod omnino interim tibi cum his amicis, si quos aut virtus fecerat, aut Fortuna dimiserat, seu colloquij, seu literarum posset esse commercium, nihil omnium præter carcerem defuit, ac mortem; quanuis nec carcer defuerit, dum fidissima coniunx, & pars tuorum viscerum nati omnes, nateque ab hostibus capti, essent; nullo prorsus tibi relicto solatio tantę prolis. Nec mors quidem, dum & tu secum assiduè luctareris, & vnus ex filiis iam tunc teneram, & insontem animam in carcere posuisset. Quid multa? Impletum in te vno vidimus, quod de duobus summis viris Caio, Mario, Magnóque Pompeio legimus; quid boni scilicet, & quid mali possit, haud vnquam lęta tristibus miscentem in te tuisque pignoribus, secretim explicuisse Fortunam, cuius olim, cum blanditias non tam insolenter, vt plerique felicium, tum verò minas nuper, atque impetum, tam forti, támque inuicto animo tulisti; vt vel ad hoc vnum inutilis, qui antea tuum nomen oderant, te amandum, mirandúmq; prębueris. Habet enim hoc proprium virtus vt in amorem sui bonos erigat, in stupo-

rem malos. Idque cùm omnis virtus habeat, tũ præcipuè fortitudo, cuius inter Fortunæ turbines, ac tenebras rerum terribiliũ & tranquillitas gratior, & lux ipsa conspectior est. Mihi verò nõ solum ad antiquum tui amorem [quod impossibile factu rebar] multùm nouæ beneuolentiæ adieceris sed aliò festinantem calamum, ad hæc non suo tempore scribenda deflexeris; vt & in scriptis meis animi tui vultum, velut in speculo contempleris; & si quid tibi minus excultum apparuerit, quod bonæ fide displiceat ad hunc modum formes atq; ita te instituas vt seu solitis seu nouis artibus quæ innumerabiles ei sunt tecum posthac Fortuna variauerit, nulla te species rerum turbet. Sed parãtus ad omnia promptus ad singula, dulcia pariter & amara despicias. Fidentissimè ab aduerso Maronianum illud exclamans:

-------Non vlla laborum
O Virgo, noua mi facies, inopinâue surgit;
Omnia perpessi, atque animo mecum antè peregi.

Nec me fallit, vt in corporibus hominum sic in animis multiplici passione affectis medicamenta verborum, multis inefficacia visum iri. Sed nec illud quoque me præterit vt inuisibiles animorum morbos, sic inuisibilia esse remedia. Falsis opinionibus circumuenti, veris sententiis liberandi sunt, vt qui audiendo ceciderant, audiendo consurgant. Ad hæc qui quæ habuit libens egenti obtulit amico quantulumcunque est, pleno amicitiæ functus est munere. Animum enim spectat amicitia non rem; quæ parua licèt magni amoris indicium esse potest. Ego quidem, vt magnificum quodque tibi opto, sic quid aptius hoc tempore largiar, non habeo; quod si validum senseris, ipsa, quæ pretium rebus facit, vtilitas commendabit.

dabit. Si inualidum, excusabit amor nostri. Sic autē ad legendū venies, quasi quatuor illæ famosiores & consanguineæ passiones animi, spes, seu cupiditas, & gaudium, metus, & dolor, quas duę soroores, æquis partubus prosperitas, & aduersitas peperêre, hinc illinc humano animo insultent: quæ verò arci præsidet ratio, his omnibus vna respondeat, clypeoq;, & galea, suísque artibus, & propria vi, sed cælesti magis auxilio circunfrementia hostium tela discutiat: ea mihi de tuo ingenio spes est, vt vnde victoria stet, facilè iudices. Non te diutiùs traham; sed, vt propositum meum noscas, index operis epistola præmittenda erat quam si adcribendam duxeris, vtrunque metiens videto ne longior præfatio libellum breuē non aliter quàm prægrāde caput exiguum corpus premat. Nihil est enim, sine mensura, ac partium proportione formosum.

De Ætate Florida. DIALOGVS I.

INTERLOCVTORES,
Gaudium & Spes; Ratio.

Quid, demens, tantùm gaudes iuuenilibus annis,
cùm fugiat volucri læta iuuenta pede?

GAVDIVM, ET SPES.

AEtas florida est; multùm super est vitæ. *R.* Falsò. En prima mortalium vana spes, & multa hominū millia & fefellit & fallet. *G.* & *S.* Florida est ætas. *R.* Inane gaudiū & breue: flos iste, dum loquimur, arescit. *G.* & *S.* Ætas integra est. *R.* Quis integram vocet, cui multū deest, & quantulū sit, quod restat, incertum est? *G.* & *S.* Atqui lex est certa viuendi. *R.* Quis hāc legem tulit, aut quo istud legitimū tēpus est vitæ? Iniquissima verò lex, quæ non omnibus vna est; immo tā varia, vt nihil incer-

tius hominum in vita, quàm ipsius vitæ modus sit. *GAV.* Est tamen & modus aliquis, & vitæ meta, quam sapientes statuerunt viri. *RA.* Metam vitæ statuere, non qui accipit, sed qui dat illam Deus potest. Intelligo autem: septuagesimũ, aut si natura potentior est, octuagesimum cogitatis annum; atque ibi metam figitis, quò proiectos maneat labor, & dolor: nisi fortè longiùs spem promouit is, qui ait: Numerus dierum hominum, vt multum, centum anni; quò, quàm rari veniant, videmus: sed vt sit omnium, quod paucorum est, quantulum tamen nunc etiam id est? *GAV.* Multum sanè. Est enim iuuenum vita serior, & à senectute remotior, & à morte. *RA.* Falleris. Etsi nil tutum homini, illa tamen periculosior vitę pars, quam securitas nimia reddit incautam. Nil est alteri vicinius, quàm mors vitæ. Cùm distantissimæ videantur, contiguæ sunt: semper illa præterlabitur: semper hæc instat. Quocunque fugeritis, præstò est, & ceruicibus imminet. *GAV.* Iuuenta nunc saltem præsens est, & senectus absens. *RA.* Nil mobilius iuuenta, nihil insidiosius senectute. Illa non stat, mulcendóque fugiens abit: ista per tenebras, atque silentium pedetentim subiens, improuidos ferit: & dum longinqua fingitur, in foribus est. *GAV.* Ætas in ascensu est. *RA.* Insidiosissimæ rei fidis. Ascensus iste, descensus est. Vita breuis, tempus instabile, furtim, nullo pedum strepitu, inter somnum, & locos effluit: &, O, si hæc temporum celeritas, vitæque breuitas, vt in fine, sic in principio nota esset; nunc intrantibus infinitum quiddam, exeuntibus nihil; & quod sęcula videbantur, vix totidem sunt momenta. Sic tum demum fraus noscitur, dum vitari nequit; vnde est, quòd sæpe

fruſtrà huic conſulitur ætati: incredula ſimul & inexperta eſt, & contemptrix alieni conſilij, inops ſui. Itaque iuueniles errores, licet innumerabiles, & immenſos, his ipſis tamen occultos, & incognitos, quorum ſunt; nil melius, quàm ſenectus detegit: & diſſimulantium, conniuentiúmque luminibus ingerit; nec priùs, quod eſſe debuiſtis, aduertitis, quàm quod eſſe voluiſtis, effecti eſtis, fieríque iam aliud non poteſtis. Quod, ſi quis in tempore, aut per ſemetipſum intelligere poſſet, aut docenti credere; ille mihi vnus ex millibus præclarus, ac felix ſurgeret adoleſcens; nec tam multis anfractibus ageret vitam, cuius vnica tuta, & recta per virtutem via eſt. *G.* Ætas indecerpta eſt. *R A.* Quomodo indecerpta eſt, quæ, ex quo eſſe cœperit, aſſiduè carpitur; & quæ minutiſſimis portiunculis, dum datur, eripitur? Si quidem motu perpetuo cælum rotat, momenta horas; horæ diem rapiunt? is alium diem trudit, íſque alium: & nunquam quies. Sic menſes prætereunt, ſic anni, ſic & ætas currit, & properat: & vt Cicero ait: Volat: Quodque ait Maro, *Celeres neque commouet alas.* Ita ceu naui iter agẽtibus, nec ſentientibus, qui vehuntur, ſæpè nec cogitantibus, finis adeſt. *G A V.* Ætas incipiens, ab extremo procul abeſt. *R A.* Intra breuis viæ ſpatium nihil eſt procul. *G A V.* At nulla pars à fine diſtantior, quàm principium. *R A.* Nulla quidem: ſed tunc rectè diceretur, quando omnes æquis ſpatiis viuerent. Nunc pluribus viis, & ſæpiùs prima ætas in mortem incidit: quo fit, vt plerunque vicinior ſit extremo, qui remotior videbatur. *G A V.* Certè florentiſſima eſt Ætas. *R A.* Etſi ad hoc pauci animum aduertant, tamen, ex quo loqui cœpimus, mutatio aliqualis inceſſit, & mo-

dò per singulos syllabarum tractus, vitæ aliquid excidit: aliquid de caduco ætatis flore subtrahitur. Quid autem [quæso] plus habet hic mollis, & nitidus adolescens, quàm ille durus, & squamosus senex præter hunc, quem loquimur, ætatis breuem scilicet, & caducum immo assiduè cadentem florem? Vbi quid tam dulce, tam iucundum non inuenio, cùm sciat dicto citiùs se futurum, quod ille nunc est, vel si nescit, insaniat. Nisi fortè è duobus aliàs capitali simul supplicio addictis ille fœlicior est habendus, qui nouissimè iussus est dare colla securibus, qui mihi quodammodo ipsa dilatione miserior videatur: quanquam non est par horum conditio, & illorum: huic enim interuenire aliquid potest, vnde collegæ supplicium euadat, & viuat: iuuenem senio eripere sola mors potest. Ad summam, paruo temporis in spatio non stat magna felicitas, & ingentibus animis, breue nihil, optabile est. Expergiscimini consopiti: tempus est; caligantésque oculos aperite. Assuescite iam tandem æterna cogitare, & amare, & optare; simul autem peritura contemnere. Condiscite ab his sponte discedere, quæ nobiscum diu esse non possunt, & animo illa relinquere, antequàm relinquamur. *G.* & *S.* Ætas est stabilis, virénsque. ℣ *A.* Mentiuntur, qui nescio quam ætatem stabilem dicunt. Nil volubilius tempore; tempus verò est vehiculum ætatum omnium; & hoc stabile fingitis? O vanitas: nihil est stabile; nunc maximè raperis.

De

De Fortuna corporis eximia. DIALOGVS II.

Discite Mortales fragili non fidere formæ,
Quæ casus damno morbus esse solet.

G A V.

FOrma corporis eximia est. R A. Nihilo firmior est illa quàm tempus, cum eo venit & cum eodem fugit. Siste si potes, tẽpus, poterit forsan & forma consistere. G A V. Forma corporis egregia est. R A. Fragili niteris fundamento. Corpus ipsum vmbrę in morem præterit: tu momentaneũ corporis accidens tibi mansurum spondes? Ruere queunt accidentia, stante subiecto, nequeunt illo ruente non ruere. Atqui cunctis ex qualitatibus, quæ mortali cum corpore fugiunt, nulla velocior quàm forma; quę mox vt amœnum floſculum ostenderit, ipsos in oculos mirantium, atque laudantium euanescit; breuis hunc pruina perusserit, leuis hunc aura decusserit, subitò vel inimicæ manus vngue decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur. Denique gloriare, & exulta, vt libet; venit ecce, magnis passibus, quæ te velo tenui latentem detegat: quanti esset forma viui hominis, mors ostendit; nec mors sola, sed senectus, & paucorum spatium annorum; immo vel vnius lucis repentina febricula. Postremò vt nihil exter num incidat per seſe stando, durandoque consumitur; & in nihilum redit; neque tantùm gaudij veniens tulit; quantùm fugiens fert doloris. Hæc [ni fallor] expertus erat aliquando formosus ille Romanus Princeps Domitianus; qui amico scribens; scias, inquit, nec gratius quicquã decore, nec breui⁹. Quamuis, etiãsi durabile, perpetuúmq; na-

turæ donum esset, non intelligo, quid tanto pere expetendum habeat iste non solidus, nec in ipso homine, nisi superficie tenus fulgens decor, multáque fœda contegens, & horrenda leuissimæque curis obtentu, sensibus blandiens & illudens? Veris igitur ac mansuris bonis delectari conuenit; non falsis, atque labentibus, G. Forma corporis elegantissima est. R. Habes velum oculis, laqueum pedibus, alis viscum; haud facile, seu vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum euolare animo: multos ad honesta pergentes forma detinuit, detorsítque cõtrariam in partem. GAV. Forma corporis mira est. R. Bene ais, mira. Nam quid hac vanitate mirabilius? quot delectabilibus abstinent formosi iuuenes? quot susci piunt labores? quanta sibi inferunt supplicia, vt formosiores non sint quidem, sed appareant: vnius formæ studio, & valetudinis, & voluptatis immemores? Quantum verò, inter comendum, tempus effunditur? quot honesta interim? quot vtilia? quot postremò necessaria negliguntur? Tuum igitur breue, caducúmque bonum, & inane gaudium, sine inuidia tibi habeto, Habes hostem tuum domi [quodq; peius est] delectabilẽ, ac blãdum. Habes raptorem quietis, ac temporis: perpetuúmque tortorẽ: habes materiam laboris; vberrimam discriminum causam; fomenta libidinum; nec minorem quęrendi odij, quàm amoris aditum. Fies mulierculis forsan amabilis, odiosus viris, aut fortè suspectus. Nulla re magis, quàm forma corporea coniugalis zelus accenditur. Nulla enim res ardentiùs appetitur, quàm forma. Nulla animum mouere potentior, atque ideò nulla suspectior. G. Forma corporis magna est. R. Solet hęc stultos adolescentes, quò non expedit, vrgere, dum

dum bono suo, vt libitum, sic licitum, frui putant; neque, quid deceat, attendunt? quæ sæpè iam multis acerbi, ac turpis interitus causa fuit. *GAV.* Forma corporis rara est. *RA.* Ad breuissimum tempus erit: quando oris habitus hic, colórque mutabitur. Cadet flaua cæsaries, reliquiæ albescent; teneras genas, & serenam frontem squallentes arabunt rugæ; lætas oculorum faces, & lucida sydera mœsta teget nubes; leue dentium ebur, ac candidum, scaber situs obducet, atque atteret, vt non colore tantùm, sed tenore alio sint; recta ceruix atque agiles humeri curuescent; guttur leue crispabitur; aridas manus, & recuruos pedes suspiceris tuos non fuisse. Quid multa? Veniet dies, quo te in speculo non agnoscas. Et hæc omnia, quæ abesse multùm existimas; ne quid improuisis monstris attonitus, non prædictum dicas, hinc iam tibi, si viuis, dicto citiùs euentura denuncio; qui si mihi nunc credis, nunc te parciùs miraberis transformatum. *G.* Interim forma clara est. *R.* Quid hic dicam breuiùs, quàm illud Apuleij Medaurensis: *Expecta paulisper, & non erit.* *G.* Forma corporis hactenus excellens est. *R.* Quàm mallem formam animi excellentem. Est enim & sua animæ pulchritudo, multò suauior; certiórque, quàm corpori; & ipsa quoque suis legibus decore ordinis, atque apta suarum partium dispositione subsistens. Illam optare; illi operam impẽdere dignum erat, quam nec dies longa detereret; nec morbus extingueret, nec mors ipsa. Nunc caduca miramini. *G.* Certè nunc saltem insolita forma est. *R.* In hac, vt in aliis multis, optanda mediocritas. Sin hac tali forma, nec tibi placueris, nec nisi qua decet, aliis, placere curaueris, vsúsque fue-

ris castè, sobriè, modestè, non exigua tuę laudis accessio est futura. *G.* Præclara facies animum honestat. *R.* Immo quidem exprobrat, & sæpiùs in periculum trahit. Quid verò attinet gloriari eo, quod neque tuum sit, neque diutiùs seruare possis? Quod habuisse, nulli; proiecisse multis glorioſum fuit? Mitto alios; Spurinam non naturalis forma nobilitat, sed accersita deformitas. *G.* Vt virtus animi corporis formæ iuncta sit, studeo. *R.* Si id effeceris, tum demum verè mihi tunc vndique fortunatus fueris; formáque clarior videbitur, & virtus gratior. Quamuis enim errare, sibi visum esse qui ait, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus*, scribat Seneca; mihi tamen iure reprehensus videretur, si dixisset, maior, aut perfectior, aut altior. Nunc quia dicendo, gratior, nō rem ipsam, sed spectantium iudicia respicit, non mihi visus est errare Vergilius, qui hoc ait. Et ad summam, vt nihil in se solidum habet formæ gratia, nihil optabile, sic si vltrò obuenerit, virtuti addita, neque vtriusque de pretio error sit, hanc illius ornamentum dici patiar, vel non inamœnum visui; breue tamen ac fragile: solam verò, pondus animæ dixerim, atque infaustum tristis insigne ludibrij.

De Valetudine corporis prospera.
DIAL. III.

Sæpius ægrotat mens sano in corpore, nusquam
Perùs habet mala mens, corpore quàm valido.

G.A.V.

QVid, quòd valetudo prospera est. *R.A.* Quicquid de forma modò diximus, repetitum puta. *G.A.V.* Valetudo corporis firma est. *R.A.* En senectus ab aduerso, mille morborum

borum armata generibus: contra valetudinem interea voluptas militat, familiare certamen. *G.* Valetudo corporis tuta est. *R.* Inconsulta iucunditas; quæque negligentes & incautos facere soleat possessores suos; & sæpè morbos accersere quos valetudini propriæ diffidentis intentio declinasset. *G.* Valetudo corporis bona est. *R.* Benè vtere: alioqui leue bonum; quin & graue malum; si [vt solita est] culpæ cuiuspiam causa sit. Multis periculosa & pestilens sanitas fuit qui tutiùs ægrotassent. *G.* Valetudo corporis optima est. *R.* Res pergrata multúmque vtilis seu corpore quid agendum, seu animo est. Sed vt quarundam radicibus herbarum inest vis veneni, quæ dum aliarum rerum immixtione purgata est salubre poculum è pluribus fit quod ex vno pestiferum fuisset: sic corporea sanitas, ne noxia sit habenti non aliter quã adiuncta animi prospera valetudine temperanda est. Nusquam peiùs, quàm in sano corpore æger animus habitat.

De Sanitate restituta. DIAL. IIII.

Est melius valeas animo, quàm corpore, mullis,
Crede mihi, nocuit conualuisse malis.

G. AV.

LOnga ægritudine liberatus gaudeo. *R.* Gratiorem fateor sanitatem redditam, quàm retentam. Ingratissimi mortales bona vestra vix aliter, quam perdendo cognoscitis; & perdita ergò vos cruciant; & recuperata lætificant. *G.* Grauissima febris me destituit. *R.* Grauissimas febres Medici dicunt quæ ipsis in ossibus, & medullis æstuant. Quantò illæ sunt graviores, quæ in anima intus latent: his tè ma-

ximè liberatum velim. G. Ægritudo abiit. R. Ægritudo præsens sæpè profuit; dum debilitatis viribus corporis, animæ sanitatem peperit. Consequenter igitur, & digressa nocuit, & animæ lumen imminuit, & corporis auxit insolentiã: quãuis mala, quamuis pessima ægritudo videatur; optabile malum tamen, quod mali remedium sit, mai oris. G. Tandem ægritudo longior finem habet. R. O stultissime; sic tu reris mortem effugisse, ad quam curris assiduè? nunc propinquior mortiẽs, quàm dum illi contiguus videaris. Irremeabile vobis est iter; neque vlla eius in parte substitur, neque diuersorium, neque lentior vsque gressus; & somnus & vigilia, & labor, & requies, & morbus, & sanitas, æquè sunt gradus ad mortem. G. Ancipiti ægritudine absolutus sum. Cretidricem habes infallibilem: dilata solutionis dies est; sed non cassa ratio. Habes ægrotare iterum, & mori.

De Viribus corporis. DIAL. V.

Insanit, qui robusto de corpore fidit;
Excellit vires corporis ingenium.

GAV.

VIrium satis; immo multùm contigit. R. Quæ de forma, ac valetudine dicta sunt, relege. Similium similis disciplina est. G. Multùm est virium. R. Vide, ne quid aggrediare viriũ fiducia, quò imbecillis appareas. G. Abundè est virium. R. Taurina gloria. G. Plurimum est virium. R. Plusculum elephanti. G. Virium nimis est. R. Facilè crediderim id quidem. Sẽper excessus autẽ in vitiũ vergit, seu ipsum est vitium. G. Nimis est virium. R. Nimietas hæc, si ad mediocritatem redeat, bene

bene erit. Quid si ad defectum transeat? Quid si hoc robur fragilitas insignis excipiat? Crede mihi, nullæ tantæ vsque corporum vires, quę vel labore immodico, vel morbo acri, vel cuncta vincente senio, non frangantur: infatigabilis, & inuicta vis animi est. *G.* Ingens robur est corporis. *R.* Nemo Milone robustior; clariores multi. *G.* Vastum & prævalidum corpus est. *R.* Præstantissima rerum virtus, mole corporea non eget, in animis habitans. *G.* Nihil his viribus difficile. *R.* Immo impossibilia permulta, atque illud imprimis, vt qui corpore spem posuit, in altum scandat. *G.* Iam supra hominum vires sunt. *R.* Hac in re qui superior cunctis hominibus euaserit, multis tamen animantibus inferior erit. *G.* Nihil his viribus metuendum. *R.* Immo nunc maximè. In magnam enim virium fiduciam, magnis viribus accingitur fortuna; & interdum ex æquo congredi indignans, vt ostendat quàm fragile animal est homo [dum sibi etiam robustissimus videtur] giganteos viros leui prælio confecit. Herculem ab omnibus inuictum vis latentis mali vicit. Milonem ipsum cunctis celebratum, & cognitum palęstris, arbor vna detinuit, lacerandúmque feris obtulit. Sic robur illud eximium, sine exemplo, fissę quercus robori impar inuentum est. Tu viribus tuis fidis? *G.* Vires immensæ suppetunt. *R.* Omne immensum laborat mole sui. *G.* Vires in augmento sunt. *R.* Natura fermè rerum omnium hæc est, vt cùm ad summum peruenerint, descendant, idque non æquo gressu. Ascensus enim lentior, descensus præceps; hæ quoque vires cùm crescere desierint, non consistent; & primò quidem clanculùm, post apertiùs tandem ruent. O-

mnes res mortalium præter animum solum, æquè fugiunt; sed non æquè omnium fugæ vestigia apparent; nisi fortè minùs eunt animalia, quæ vel tenebris, vel tacito repũt nisu; vel, quoniam id quoque traditur, itineris indicium caudis premunt. G. Corporis mei viribus glorior. R. Quid faceres tuis? Cogita verò quantarum ipse sis virium; istæ enim non tuæ sunt, sed hospitij, immò carceris vires tui. Vanum est autem cùm ipse sis fragilis, forti habitaculo [dicam melius] forti aduersario gloriari. G. Viribus meis lætor. R. Quid hic dicam? nisi poëticum illud? *Non longum lætare, inque lætitiæ locum venient querelæ.* Meministi vt is ipse tam validus, quem bis modò memoraui, de suis viribus in senectute conqueritur.

De Velocitate corporis. DIAL. VI.

Currimus ad mortem citiùs, vel tardiùs omnes
At pretium vitæ, qui bene curris, habet.

G. AV.

SEd pernicitas multa est. R. Refert quónam cursus intendatur; multos sua velocitas in exitium tulit. G. Pernicitas mira est. R. Currite mortales, vt libet; cæli velocitas vos præcurrit & ad senium, & ad mortem applicat. Illud vobis cursum eripiet, motum illa. G. Pernicitas summa est. R. Eò tendit, vbi desinat. G. Pernicitas inaudita est. R. Illò properat, vbi tarditas multa erit. G. Pernicitas infinita est. R. Sit quanta libet: vbi se exerceat, non habebit. Siquidem puncti vicem terra omnis obtinuit. G. Pernicitas inæstimabilis est. R. Hæc ingenij laus est, cui maria & cælum, & æternitas, & naturæ spatia, recessúsque, & arcana

arcana rerũ omnium patent. Corpus puncti, momentíque ambitu circunſcriptum, quò ſua pernicitas latura, atq; vbi diſpoſitura eſt? Nónne enim vt latiſſimè pateat hoc ſpatium, ſeu temporum, ſeu locorum, nihilominùs quocúnque ſe flexerit, ad ſepulchrum currit? Illæ ſaltem anguſtiæ ſine vllis aut aſtrologicis cõiecturis, aut geometricis demonſtrationibus notæ ſunt. Ita eò curritur, vbi profecto non curritur. *G.* Incredibilis mihi modò pernicitas eſt. *R.* Cùm omnes homines exceſſeris, lepuſculum non æquabis. *G.* Pernicitas ſtupenda eſt. *R.* Hæc pleroſque pendentibus, & præruptis locis comitata plano calle deſtituit; quoſdam per propugnacula turrium, per antennas nauiũ, per confraga montium innocuè volitantes, poſt leui pedis offẽdiculo, in via publica prolapſos, extinctoſque nouit ætas noſtra. Anceps eſt, contráq; naturam inſueta, grauium corporum hæc leuitas, volucrémque hominem non diu factura. Nam etſi inoffenſa proceſſerit, feſſa tamen citò deſinet: breue robur hominis, breuiorque pernicitas. *G.* Valde nunc agilis ſum. *R.* Et aſellus agilis iuuenta, & ſenio piger pardus. Spatio leuitas ingraueſcet. Prima ætas ſtimulos habet, frœnos vltima: quicquid es, non eris diu; & ſi eſſe cupis, cura vt ſis bonus. Senium virtus ſola non metuit.

De Ingenio. DIAL. VII.

Serpentina placet prudentia, callida vulpis
Aſtutæ mens eſt inſidioſa nimis.

GAV.

AT ingenium eſt velox. *R.* Ad virtutes vtinam. Alioqui quò velocius, eò propius ruinæ. *GAV.* Ingenium expeditum eſt.

R.A. Si & bonis artibus applicabile, pretiosa animi suppellex; si minus, onerosa, periculosa, laborioſa. *G.A.V.* Ingenium peracutum est. *R.A.* Ingenij non acumen, sed æquabilitas, atque constantia, veram laudem, & perpetuam merentur: quorundam acumen tenui cuspide frangitur; primóque molimine deficiet: validissima etiam, si ad vltimum extenuentur, infirma sunt; sic robur omne tenuitas atterit. *G.A.V.* Acutissimum ingenium est mihi. *R.A.V.* Nihil sapientiæ odiosius acumine nimio. Nihil verò philosophanti molestius quàm sophista: ideò inuisam Palladi finxere veteres araneam, cuius subtile opus, ac tenues telæ sunt, sed fragiles, nullíque vsui. Vt mucronis ergo, sic ingenij acies sit; non penetret modò, sed subsistat. *G.A.V.* Promptum, & versatile ingenium est. *R.A.* Hoc Mar. Catoni Censorio tributum est, quòd literis simul, atque armis, bellicísque omnibus, & vrbanis, ac rusticis artibus æquè foret idoneus; quod ex parte Græci suo tribuunt Epaminondæ; Persæ autem Cyro. Tuum hoc versatile quonam vergat, nec versutum sit, neue aliquid non agile, sed leue potiùs, & inconstans habeat, caueto. Aliud est enim non posse consistere, aliud facilè ire posse, quò velis. *G.A.V.* Ingenium est excellens. *R.A.* Multùm refert, quo in genere excellas: huius enim quoque verbi significatio vaga est: verúmque est, vbi intenderis ingenium, valere. Malo igitur ingenium bonum, quàm excellens; quòd illud in malum flecti nequit; hoc in diuersa volubile est. Nam & Crispus Lucium Catilinam magna vi animi fuisse, ait; sed ingenio malo, prauóque. *G.* Ingenium magnum est. *R.* Bonum cupio, & modestum, magnitudo

sola

sola suspecta est. Sępè magnum ingenium magnorum initium malorum fuit. Rarò autem magni errores, nisi ex magnis ingeniis prodiere.

De Memoria. DIAL. VIII.

Est aliquid, bene qui meminit, sed sape tenaci
Accidit ingenio, quod meminisse dolet.

GAV.

MEmoria ingens data est. R. Ampla ergo domus tędij, & Atrium fumosarum imaginum, vbi multa displiceant. G. Memoria est multarum rerum. R. Multis in rebus pauca delectant, plurima cruciant, & sæpè delectabiliū mœsta recordatio est. G. Rerum adest variarum memoria. RA. Si bonarum, bene, si malarum, quid hinc gaudes? parumne triste est, vel tulisse mala, vel vidisse, nisi vel quotidie recursent, vel sub oculis sint semper? G. Memoria diuersarum rerum suppetit. R. Et culparum, & delictorum & scelerum, & ignominiarum, & repulsarum & dolorum, & laborum, atque discriminum; quamuis huic vltimę voluptas quędam [vt aiunt] sit adiuncta memorię. In quo tamen intelligitur, non tam pręteritorum malorum cogitatio, quàm pręsentis boni delectatio iucunda esse. Itaque neminem laboris, ac periculi meminisse iuuat, nisi quietum, aut securum: paupertatem lętè meminit, sed diues: morbum, sed incolumis; sed liber, carcerem; sed solutus, vincula; sed reuersus, exilium. Sola ignominię memoria, in mediis licet honoribus tristis est. Adeò nihil delicatius, vel incurabilius, quàm fama. GAV. Memoria multiformis est, & multorum temporum. RA. In recordatione multiplici multiplex molestia,

Quædam nempe conſcientiam vellicant, quædam pungunt, quædam vulnerant. Alia confundunt, alia exterrent, alia deiiciunt: vnde ſit, vt memorantium ora rubor, pallorque viciſſim in ſilentio occupent, quod peſſimis hominum plerunque accidit, inceſſúſque ſit varius, vox incerta, & quæ ſunt eiuſmodi, animi memoria laborantis indicia. *G.* Memoria prompta eſt. *R.* Mallem, voluntas pia, caſtúmque deſiderium & honeſta conſilia, & actus innocui, & vita probri neſcia. *G.* Memoria apprimè tenax eſt. *R.* Vnde hæc igitur obliuio cæleſtium præceptorum; quæ tam pauca ſunt numero? Vnde obliuio Dei vnius? Vnde obliuio ſuimet? *G.* Memoria admodum tenax eſt. *R.* Terrenarum, & inutilium rerum credo: quónam verò, & quò vaga hæc, volatilíſque memoria? quæ cùm cælum, terrámque peragrauerit, in ſeipſam neſciens reuerti, quod vnum neceſſarium ac ſalubre erat, obliuiſcitur. In qua ei ſi fortè aliquid delectationis interdum, ſæpè tamen anxietatis eſt plurimùm, nec immeritò. Themiſtocles, cùm ei quidam memorandi artem à Simonide tunc inuentam polliceretur: Malle ſe ait obliuionis artem, quàm memoriæ diſcere. Et licèt hoc ille ſuo quodam iure reſpondiſſe videatur, vt qui naturæ dono illo ſupra fidem excelleret: cuiúſque memoriam innumeræ quidem rerum atque verborum imagines prægrauarent; ferè tamen omnibus conuenit: ita omnes & dediſcenda diſcitis, & diſcenda dediſcitis; in his tantùm quorum vtilis eſſet obliuio, memoriam exercentes, inque id naturæ finibus non contenti, inſaniam arte laxatis. *G.* Memoria omnipotens eſt. *R.* Titulus hic vni

ſuus

suus est Deo. Multipotens dicere voluisti. Si qua tamen insignis memoriæ vis est [quod omni curiositate melius fuerit] damnosa reiiciat stringat vtilia, neque tam sedulò quæ delectent aggreget, quàm quæ prosint. *G.* Memoria optima est. *R.* Optimo nihil est melius quòd si fidem dicto quæris, vt in optimis te memorem præbeas oportet. Memento peccati tui, vt doleas memento mortis, vt desinas, memento diuinæ iustitiæ, vt timeas, memento misericordiæ, ne desperes.

De Eloquentia. DIAL. IX.

Eloquio multi adiuti, multi perière.
Heu quantùm miseris lingua nocere potest.

GAV.

AT præclarum est eloquium. *R.* Magnum, fateor, instrumentum gloriæ, sed anceps, cupide gemina. Et hoc quoque qualiter vti scias refert plurimùm. *G.* Eloquium torrens est, & rapidum. *R.* Haud ineptè quidam stulti atque improbi eloquentiam furiosi gladio æquiparant, vtrumque enim publicè inermem esse expedit. *G.* Eloquium clarum est. *R.* Clarum aliquid variè dicitur. Clarus sol, clarum incendium. *G.* Præfulgidum eloquium est. *R.* Et lugubres cometæ & infesti gladij & hostiles galeæ fulgent. Vt fulgore eloquentiæ glorioſus sit, sanctitate & sapientia temperetur. *G.* Copia eloquij ingens est. *R.* Siquidem iuncta modestiæ, magnum aliquid supráque communem hominum mensuram, non inficior, alioqui mutum esse præstabat. *G.* Eloquentiæ satis est. *R.A.* Satis eloquentiæ, parùm sapientiæ fuisse in homine illo sce-

lestissimo apud Crispũ legis: neq; is quidẽ gloriã eloquentię quæsiuit vllã, quanquam altiore iudicio non eloquentia, sed loquacitas illa fuit. Verus enim orator, hoc est, eloquentiæ magister, nisi vir bonus, esse non potest. Quòd si bonus & sapiens, putabas ad oratorias laudes, perfectúmque munus eloquentiæ hunc verborũ impetum, qui sępe procacibus, atque inuerecundis vberior est, siue hanc ipsam etiã dicendi peritiam satis esse; fallebaris: linguæ volubilitas, atque verborum copia, & ars etiã quędam, sceleratis, piísque communia esse possunt. Id quod quęris, bonorum est, nõ omnium quidem, sed pauciſſimorum: ita vt mali omnes huius laudis extorres sint, ad quam scilicet, animi bona, quibus carent virtus & sapientia requiruntur. Quod vt sic esse nõ intelligas, dicã. Sed memineris duarum, de quibus loquor, rerũ: diffinitiones in mentem redeant, quarum altera Catonis, Ciceronis est altera. Ille ait: Orator est, vir bonus dicendi peritus. Iste autẽ nihil est, inquit, aliud eloquentia, nisi copiosè loquens sapientia. Ex his vides ad oratoris, atque eloquentię essentiam, & bonitatem, & sapientiam exigi: nec tamẽ sufficere, nisi & peritia adsit, & copia. Ita vt primę illę duę virum bonum, sapientémq; duntaxat: hæ autem solę nec bonum, nec sapientem nec loquentem quidem efficiant, sed loquacem. Omnes verò coniunctę perficiant oratorem, eiúsque artificium: quod profectò rarius, atque altius est, quàm putent, quĩ in multiloquio situm sperant. Tu ergò si oratoris nomen, & eloquẽtiæ veram laudem quęris, virtuti & sapientię primũ studе. *G.* Eloquentia plena atque perfecta est. *R.* Pleno atque perfecto nihil deest: deerit autem multum, si prędicta defuerint. Antè igitur quàm de v-

de vniuerso pronuncies hoc vnum tacitus tecum volue. G. Eloquentia summa est. R. Supra summum nihil est: his ergò cessantibus, iam summa non erit, sed caducum quiddam, & informe, cui fundamentum fastigiúmque detraxeris. G. Eloquentia dulcis & ornata est. R. Dulcedo, & ornatus iste nescio quid blandum, seu dolosum, non virile, nec sincerum præfert: sed non pluris est apud rectos iudices suauis, & compta viri fallacis oratio, quàm vel meretricis fucus, vel mellitum virus, vel phrenetici robur, vel auari aurum: quicquid est, quanuis appareat, ac mulceat, si principium essentiale defuerit, nihil penitus, aut nihilo proximum videri debet. G. Eloquentiæ fiducia magna est. R. Magna sæpe fiducia magnis periculis viam fecit, vt animum attollat, atque adiuuet, frœnum accipiat, sese norit, quod agẽdum instat, examinet, absit insolentia pariter, & contemptus. Sin progressa liberiùs, virium obliuiscí cœperit, iam non fiducia, sed temeritas, & audacia est, qua nihil est à sapiente remotius: hæc in rebus omnibus agendis, vt aspectu pretiosior, sic affectu periculosior ignauia est. Illa enim domi pigros, & inglorios tenet, hæc impellit ardentes, & quos æstimabatur promotura, præcipitat: hæc sæpe bellacissimos viros ostendit imbelles, cautissimos probauit incautos, vtque ad te redeam, qui disertissimi videbantur, infantissimos patefecit. GAV. Eloquentia ingens est. R. Vt sit historico fides, inter vitia iusinita eloquentiam habitasse, veríque locum teneat authoritas, neque dubium sit, quod eloquentiæ princeps in Rhetoricis scribit, eloquẽtiã sine sapiẽtia esse nõ posse: quæ vt liquet, superioribus aduersatur: ista tamen quolibet modo sumpta eloquentia, cer-

te quò maior eò dãnosior, funestiorq; si sola est. *G.* Eloquẽtia singularis est. *R.* Hęc est, quæ singulares viros & Græcos & nostros in perniciem traxit: quod ita esse Demosthenes, & Cicero, & Antonius nõ negabunt. *G.* Eloquentia plausibilis est. *R.* Si innocẽter absque iactantia vtare: vix vlla re citiùs multitudinis amorẽ tibi concilies, & gloriam quæras. si quo, nisi meræ virtutis artificio, quæri potest. sin arroganter atque improbè perfacilè tibi discrimen, & multorum odia tibi conflaueris. Sapientis dictum est cuiusdam: Mors & vita in manu linguæ. Non vnius verò tantùm hominis, sed multorum. Quorundam linguæ totas euertêre Respub. euerténtque. Pessimum, nocentissimúmque hominis mali membrum, lingua est. Nil hac mollius, nil durius. *G.* Eloquentia sonora est. *R.* Et sonorum fulmen. *G.* Eloquentia florida est. *R.* Et floridum Aconitum. Denique versa vt libet, & reuersa, & gloriæ habes viam arduam, & inuidiæ pronam valde.

De Virtute. DIAL. X.

Virtutem iactas, vitiorum pondere pressus;
Affectus, Virtus est, cohibere suos.

GAV.

NVnquid non saltem licet de virtute gloriari? *RA.* Vt liceat, in illo tantùm licet, qui virtutis & omnis boni auctor solus, atque largitor est. *GAV.* Magna est animi virtus. *RA.* Videautem, ne quò maior creditur, minor sit. *GAV.* Spectata virtus in rebus dubiis est. *RA.* Proprium est virtutis, non quid actum, sed quid agendum sit, nec quid adsit sibi, sed quid desit attendere: vnde est, vt sæpe illam non de quæsito gloriantem, sed de quęrendo sollicitam videa-

videamus. Dicerem, si liceret, auaram, aut certè auaritiæ similem esse virtutem. Iugiter sitit, quotidie inardescit, quò plus quæsierit, eò sibi pauperior videtur, & plus appetit. Nullus ei desiderij modus est. Nullus sat magnus cumulus meritorum. *GAV.* Virtus supra humanum morem est. *RA.* Vereor ne superbiæ sit ista professio, non virtutis. *GAV.* Virtus longè clarissima est. *RA.* Fundamentum veræ virtutis humilitas, nec tanta claritas vlla est, quam elatio non obscuret. Scit ille, qui clarissimus creatus, séque ipsum efferens, non obscurus tantùm, sed princeps meruit fieri tenebrarum. Quod si illi accidit, quid alij de se sperent? *GAV.* Virtus eximia est. *RA.* Non solet esse virtus iactatrix, aut miratrix sui, sed imitatrix alieni. Itaque semper anhelans, semper altiùs aspirans, dum se comparat, paruipendit. *GAV.* Virtus consummata est. *RA.* Nunquam hoc virtus de se iudicat, non confidit, nihil arrogat. Scit hoc tempus esse militiæ, non triumphi, atque adeò nunquam torpet, & semper in actu est: semper, quasi nunc incipiens, accingitur. Quæ omnia perfeciſſe, séque vndique consummatam credit, crede mihi, non est virtus, error est virtuti obuius, atque aduersus. Quisquis ad summam peruenisse credit, in hoc primum fallitur, quòd vbi credit esse, non est. Deinde, quòd illinc ferentem viam aberrando deserit, dúmque quod nõ habet anticipat quod habere potuisset, sponte sua negligit: siquidem nil tam profectui aduersum, quàm perfectionis opinio. Nemo studet agere, quod peregisse se putat. Error hic sæpe magna parantibus obstitit, iámque alta prensantibus. *GAV.* Virtus pro humana capacitate plena est. *RA.* Si omnem vitam ante oculos

ponis, pérque dies singulos actum, ac verborum, & cogitatuum rationem à te ipso exigis, incorruptus rerum arbiter tuarum, videbis quantùm vacui in animis sit, quantum vitia occupent. G. At saltem communis, & mediocris est virtus. R. In rebus altissimis vix mediocritas locum habet: verum habeat, non tamen hæc gaudij materia, sed laboris, ac studij est. Nam quod ad summa disponitur, donec eò peruenitur, non quiescet. G. Aliqua est virtus. R. Huius quoque iudicium linque aliis. Et si qua est virtus, non ibi finis gaudij, sed in illo, ad quem vera per arduum virtus ducit. Eam nempe philosophiam profitemur, quę non fruendum virtutibus, sed vtendum docet. Nondum plenè igitur gaudendi tempus est, tot nunc etiam vitæ periculis circunfusis. sed optandi potiùs, sperandíque. Gauisurum te, sperare potes, sic tamen, vt metuas doliturum. G. Si quid boni est, sentio vnde sit, & in illo gaudeo: quicquid autem deest, scio vnde poscendum sit, & de illo spero. R. Hæc est virtus, & iam tutum iter ad verum gaudium inueniśti.

De Virtutis opinione. DIALOG. XI.

Conscia mens pravi, non claro nomine gaudet,
Displicet ingenuis gloria falsa viris.

GAV.

QVisquis ego sum, opinio de me hominum bona est. R. Opinio rem non mutat. G. Bonum me communis habet opinio. R. Quid si malus tu, nonne opinio falsa est? Scientem certè falso gaudere, dementia est. G. Opinione vulgari bonus dicor. R. Nihil est, quod non sibi fingere possit opinio. Bonum autem, seu malum, quod in animis habitat, neque diuersis opinio-

opinionibus, neque sermunculis variatur. Non si cuncti igitur te mortales bonum dixerint, bonus fies. *GAV.* Bonum mihi saltem est nomen. *RA.* Melius esse nomen bonum, quàm diuitias multas Hebræorum Sapiens ait, Idémque alibi: Melius nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa. & valorem boni nominis: & odorem famæ his verbis expressit, comparatione scilicet auri, & vnguenti. Quomodo autem, seu nomen seu aliud quicquam esse potest bonum, si sit falsum? Qualecunque igitur sit nomen impij, non fit ideò minor impietas. Non inani igitur nomine glorietur, sed illud eiusdem Sapientis audiat: Nomẽ, inquit impiorum putrescet. Et illud alterius: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Illa si intus tibi obstrepit, quid tibi proderunt adulantium susurri, quid blanditiis, aut fictionibus partum nomen? E radice mala nihil boni oritur. Neque hinc ortum nomen bonum dixeris. cùm verum dicere non possis. *GAV.* Bene de me sentiunt ciues mei. *RA.* Non refert, quid de te alij sentiant, sed quid tu. *GAV.* Bene de me loquuntur ciues. *RA.* Noli credere; quid loquantur nesciunt, & cupidè mentiuntur, pruritu quodam linguæ, in vtranque partem nimio, & consuetudine in naturam versa. *GAV.* Bene de me plurimi loquuntur. *RA.* Ignorantibus credere, quid est aliud, quàm volentem falli? *GAV.* Bene de me loquitur vicinia. *RA.* Dulciloquio forsan, aut muneribus delinita, aut de te aliquid sperans. Nunquam, vel amanti credideris, vel speranti. *GAV.* Vicini mei nomen meum celebrant. *RA.* Alter alterum decipit, omnes te. *GAV.* Bonum mihi testimonium ciues dant. *RA.* Est intus in anima testis incorruptior, certiorque: Conscien-

etiam tuam interroga: illi crede. G. AV. Bene de me homines opinantur. R. A. Opinio ambiguæ nomen est rei: certissima res est virtus. G. AV. Ego ipse mihi vir bonus videor. R. A. Ergò es malus. Boni enim, sibi displicent, séque accusant. G. AV. Et mihi videor. & aliis bonus. R. A. Quid si tu malus, illi autem stulti? G. AV. Bene de me sperant ciues. R. A. Curane spes ciuium falsa sit. Turpe est de se sperantes, cùm possis aliud, frustrari. G. AV. Credo sim de quo non frustrà sperent multi. R. A. Si id esses, id non crederes. Malum est alios, pessimum autem seipsum fallere. G. AV. Omnes me virum bonum putant. R. A. Quid si tu contrarium scis? G. AV. Omnes me virum bonum dicunt. R. A. Et tu credis omnibus? Num te autem dici pudet, quod non es? sed est hoc nobis insitum inter cuncta mirabile, de nobis nostríque de rebus, quanuis occultis, plus cuicunque, quàm nobis credere, iuxtáque Flacci sententiam, Et mendacem, timere infamiam, & falsa gloria delectari. G. AV. Totum vulgus vna voce me laudat. R. A. Nulla proniora ad errorem, atque ad præcipitium via est, quàm per vulgi vestigia. Quicquid penè vulgus laudat, vituperio dignum est. G. AV. Cunctis hominibus placeo. R. A. Placentes hominibus Deus spernit & placere hominibus, displicere est Deo: contraria contrariis gaudent. G. AV. Viri boni nomen habeo. R. A. Vitæ constantia, honestate, seruandum est, alioqui facilè euanescet: ventus est enim. G. AV. Multæ sunt in populo laudes meæ, R. A. Seuisti in agro arido arbores caducas. G. AV. Magnæ inter doctos etiam laudes meæ sunt. R. A. Si veræ, durabunt, &, vt ait Cicero, radices agent, & propagabuntur. At si fictæ, celeriter tanquam flosculi decident. G. Omnes vno ore meam prædicant

dicant virtutem. R. A. Non in hominum statu, neque in propria virtute, quanuis vera, sed in ipso virtutum omnium authore gloriandum. Qui contrarium facit, non modò non assequitur assertione hominum, quod non habet sed id ipsum, quod habet, vel imminuit, vel amittit. G. AV. Vulgus omne me prædicat. R. A. Dixi, & repeto, quicquid vulgus cogitat vanum est, quicquid loquitur, falsum est, quicquid improbat bonum est, quicquid approbat, malum est, quicquid prædicat, infame est, quicquid agit, stultum est. I nunc, insanorum sermunculis gloriare.

De Sapientia. DIALOG XII.

Est Sapiens, qui dissimulat sapientiam habere,
Est sapiens vitam qui tenet innocuam.

G. AV.

SApientiam consecutus sum. R. Rem magnam, si vera esset, & inseparabilem à virtute. Si illam igitur approbasses: hæc probata esset: sed vtraque opinione aliquantò facilior est quàm re. G. Sapiens sum. R. Crede autem mihi nunquam, si verè esses, hoc diceres. Sapiens enim quantum est, quod sibi desit, intelligit, non gloriatur itaque sed suspirat. G. Sapientem me profiteor. R. Bene irent res, si tot essent sapientes quot sapientiæ professores. Nunc illud perdifficile est hoc vero facillimum. G. Sum sapiens. R. Si verè sapiens esse vis noli id quidem opinari. Credere se sapientem, primus ad stultitiam gradus proximus est profiteri. G. Studio ad sapiẽtiam perueni. R. Vtique sic ad illam peruenitur. Sed an tu perueneris, recogita. Non est enim res studij breuis, egens aliquot annorũ vt reliquę artes, tota, vel longissima opus est vi-

ta. Si quis [vt aiunt] tota die currens peruenit ad vesperam, satis est. Notum est illud Platonis, vt alia multa præclarissimum, quod Ciceroni placet, & mihi: Beatum, cui etiam in senectute contigerit, vt sapientiam, veráque opiniones assequi possit. Has tu an calle medio obuias habueris, an nescio quo pennato equo vectus ante tempus attigeris incertum, tam citò sapiens euasisti? *G.A.* Sapientiæ perfectionem cœlitus accepi. *R.A.* Est, fateor, cœleste donum sapientia, sed magnus certè vir erat, & cœli amicus, qui dicebat: Non quòd iam acceperim, ideò perfectus sum. *G.AV.* Sapientiam cupida mente comprehendi. *R.A.* Vt pecuniæ, rerúmque multarum, mala, sic sapientiæ cupiditas bona est. Sed an tu tantæ rei capax sis, videto. Certè, ille idem: Ego me, inquit, non arbitror comprehendisse. Et ille quoque permagnus erat, qui cum Deo de seipso loquens, sic aiebat: imperfectum meum viderunt oculi tui. Hoc est proprium Sapientis, imperfectionem suam nosse, ac fateri. *G.AV.* Sapiens dicor. *R.A.* Non te tuæ, neque alienæ vnquam voces, sapientem fecerunt, sed res ipsa. *G.AV.* Sapiens vulgò dicor. *R.A.* Vulgus insanos sapientes dicere, & sapientes insanos, iure suo didicit, quod est, vt falsa pro veris, veráque pro falsis habeat. Nihil est à virtute vel à veritate remotius, quàm vulgaris opinio. *G.AV.* Omnes prædicant me sapientem. *R.A.* Ad famam fortasse aliquid, ad sapientiam nihil omnino, Sentio autem: superscriptionibus inniteris literarum, quibus nihil est liberalius: non satis est facere sapientes, qui non sunt, sed egregios & insignes faciunt, ac verecundos: serenissimos insuper, & illustres, vt iam simplex sapientiæ titulus sit pudori, qui quàm paucis conueniat, stupor est: obsoleuit tamen inter

ter titulos clariores, quos qui scribendo sic accumulant sciunt se mentiri. Sed vrbani, vel mendacio fieri volunt. Vos qui legitis non veros modo sed citra verum sistere illos rati, publico errore fallimini. Nemo est, qui de suis rebus interroget. Omnes aliis de se credunt. Vis autem noscere quàm sis sapiens, verte oculos retrò. Recordare quoties in hoc vitæ cursu cespitaueris, quoties aberraueris, quoties offenso pede ceciderís, quot pudenda quot dolenda, quot pœnitenda commiseris; tunc, si audes, te dicito sapientem: credo autem, non audebis. *G.AV.* Scio mẽ sapientem. *R.A.* Literarum forsan vis dicere. Sunt enim planè literati aliqui verè, licet pauci, sapientes autem pene nulli. Aliud est sapienter loqui aliud sapienter viuere, aliud dici, aliud esse sapientem. Fuêre qui dicerent sapientem nullum. Id, quàm verum, falsúmve sit, non disputo. Certè nimis prærupta sententia est, & ad desperationem prona, & studio aduersa sapientiæ. Hebræi Sapientem Salomonem suum prædicant, qui, quàm sapiens esset, turba coniugum pellicumque testatur, multóque maximè Diis alienis cultus exhibitus. Romani Sapientem Lælium, & Catonem. Græcia ipsa dum floruit, septem habuisse dicitur Sapientes. Ij quoque hoc titulo indigni sequentibus visi erant Qui excusant, dicunt nõ eos illum sibi titulum assumpsisse, sed ab errãtibus populis traditum, possedisse. Vnus tantùm fuit, sua possessione, suoq; sapiens iudicio, stultissimus omnium Epicurus. Quem titulũ cũ Metrodoro participare voluit nec honorificum amici donũ ille respuit, seq; etiam Sapiẽtẽ dici æquanimiter tulit, vt sua illa, qualis qualis gloria, error esset alterius. Vn⁹ quoq; sapiẽs Socrates oraculo dict⁹ Apollinis, forsã ideò, vt vnũ illũ

sapienti proximum, falso testimonio, falsus Deus ad amentiam, atque insolentiam irritaret. Hæc de antiquis sapientibus dixerim. Felicior ætas nostra quæ non vnum, duosve, vel septem, sed in singulis vrbibus, ceu pecudum, greges numerat sapientum. Nec mirum sanè, multos esse, qui tam facilè fiant. Venit inuenis stultus ad templum, præceptores illum sui prædicant, celebrant, seu amore seu errore: tumet ille, vulgus stupet, plaudunt affines, & amici. Ipse iussus, in cathedram scandit, cuncta iam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans, tunc maiores certatim, ceu diuina locutum, laudibus ad cælum tollunt, tinniũt interim campanæ, strepunt tubæ, volant annuli, figuntur oscula, vertici rotundus, & niger pannus imprimitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio, nec Nasoni cognita. Sic fiunt hodie sapientes. Verus sapiens fit aliter. *G.* Sapiens sum. *R.* Solent qui de se magnificè sentiunt, præfidenter maiora viribus aggredi, inque nisu medio prolapsi, suo vel periculo vel pudore condiscere, quàm iusti fuerint rerum æstimatores suarum. Præstat igitur [mihi crede] falsas opiniones abiicere, insolentiam deponere, insipientiam circunspicere, & optare, ne qua experiendæ sapientiæ necessitas incidat, quæ declaret te de nihilo gloriatum. Hæc rectior, tutiórque quærendæ sapientiæ via est. *GAV.* Credo ego ad sapientiam peruenisse. *R.A.* At, si mihi obsequeris, ad illam potiùs assurgendo, nitendoque peruenies, quàm credendo. Nihil altiùs ascendit, quàm humilitas operosa.

De Religione.

De Religione. DIALOG. XIII.

Orphanos, viduásque inuisere, spernere mundum.
Hac Christo vera Religione places.

GAV.

REligione glorior perfecta. *R.* Religio optima, ac perfecta vna est, supra Christi nomen, supraque petram firmissimam fundata: reliquæ omnes superstitiones vanæ, & deuia, & errores sunt, quibus est iter ad tartarum, atque ad mortem, non hanc momentaneam, sed æternam. Et quot putas, quantique viri huius veræ religionis inopiam mirabilem passi sunt, cunctis in rebus altis altiores? Habent illi, quod æternum gemant, habes tu vnde glorieris, & gaudeas, non in te quidem, sed in eo, qui te summa in re tantò maioribus præferre dignatus est, qua nil maius, nil melius tibi tribui poterat in hac vita, de qua loqui aliquid vberiùs non grauarer, ni res Ipsa cœlesti lumine pènè iam omnibus nota esset. *G.* Piis sacris initiatus sum. *R.* Pia sacra religionis huius sunt tantummodò, reliquarum omnium sunt furores, rituſq; sacrilegi. Neque tamen initiatum esse sufficit. Maius est fortè, quàm putas, deuoto licet animo dulce negotium. Non enim Deum nosse satis est, quod & dæmones faciunt, qui oderunt. Amor, & cultus exigitur, his ex rebus constans, quæ vtinam tam bene implerentur ab hominibus, quàm sciũtur. *G.* De vera religione mihi placeo. *R.* Placere sibi, superbire est. Hæc autẽ vera religio, quæ tẽ Deo religat; Deum tibi, humilitatẽ piis mentibus inserit, insolentiã extirpat. Sic tibi igitur gaudere permissum, vt quãtò lętior, quãtoq; religiosior tãtò sis melior, & operib. bonis affluẽtior. Illi gratias

agens, qui tibi ex hac mortali vita rectum iter ostendit ad æternam vitam. *GAV.* Veram Religionem [Deo gratias] sum adeptus. *RA.* Bene agis, Deo gratias. Custodi autem illam bene ab erroribus, à negligentia, à peccatis, & sic habe, si hanc assecutus es, & in ea te exerceas, vt dignum est, cessare controuersiam, de qua modò litigauimus, cũ sit scriptum sacris in literis: Pietas est sapientia: & per alium: Initium sapientiæ est timor Domini. Neque id ipsum tacitum in prophanis. Cuius rei Lactantius meminit Institutionum secundo. Affirmat, inquit, Hermes, eos qui cognouerunt Deum, non tantùm ab incursibus dæmonum tutos esse, verùm etiam ne fato quidem teneri. Vna, inquit, custodia pietas. Etenim pius homo, neque dæmoni pessimo, neque fato subiacet. Deus enim liberat pium ab omni malo. Namque vnicum atq; solum bonum est hominibus pietas. Quid sit autem pietas ostendit alio loco his verbis: Pietas. n. scientia est Dei. Eandémque sententiam Asclepium in sermone quodam regio latiùs explicasse confirmat. Vides, vt obstinatissimi duo pagani vestram circumuelant veritatem: tanta est veri vis, vt linguas sæpe hostium ad se trahat.

De Libertate. DIALOG. XIV.

Non liber, qui peccatis inseruit, habetur,
Libertas, sed vbi Spiritus est Domini.

GAV.

IN Libertate natus sum. *RA.* Non qui nascitur liber, sed qui moritur, liber est. Multùm fortunę licet in nascentem, in extinctum nihil. Expugnat vrbes munitissimas, armatos fundit exercitus, potentissima regna subuertit. Inexpugnabilis arx, sepulchrum. Illic regnum vermibus

nibus, non fortunæ. Itaque limen illud ingressi soli mortalium; vitæ huius ab insultibus tuti sunt. Tu te liberum iactas, & ignoras, non dico ad sepulcrum sed an liber hodie in cubiculum sis iturus. Libertas vestra tenuissimo nitens filo, sicut alia, quibus fiditis, omnia, tremula semper, & caduca est. *GAV.* Liber sum. *R.A.* Idcircò te [vt reor] liberum dicis, quia dominum nullum habes, sed Annęum audi Senecam: Bona inquit ætas est, forsitan habebis. Nescis, qua ætate Hecuba seruire cœpit qua Crœsus, qua Darij mater, qua Plato, qua Diogenes? His ille te admonet exemplis. Multa sunt alia, vel tacita Senecæ, vel ignota. Nunquid non Attilium Regulum meministi: indignum prorsus hoc ludibrio; passum tamẽ? Nunquid tibi recentior annis Valerianus excidit? quorum ille modò dux, hic autem princeps populi Romani, moxque ille Carthaginensium, hic Persarum seruus: ille truci supplicio peremptus, hic longa & misera contabuit seruitute. Quid Macedoniæ, Numidiæque Reges? hinc Persen, hinc Siphacem memorem atque Iugurtham? regni omnes è culmine Romana lapsos in vincula. Mitto veteres regum casus. Ætas tua quosdam è regia trusit in carcerem, eundemque vna hora, & primũ regem, & vltimum seruum vidit. Siquidem eò quisq; miserior seruus est quò felicior liber fuit. Noli igitur libertate tumescere, quoniam non ex liberis modò, sed ex regibus, tam subitò serui fiũt. Nec miraberis cùm secundum Platonis sententiam, non minùs ex seruis etiam reges fiant, Mutantur assiduè res humanæ. Nihil sub cœlo stabile. Quis in tanta vertigine firmum aliquid, ac mansurum speret? Neque verò te liberum hinc duxeris, quòd esse dominum tibi nõ vides, quòd po-

rentibus ortus ingenuis, nec in acie captus, nec vendatus sis. Sunt vobis inuisibiles animorum domini, & in ipsa hominum origine latens pestis est. Nascendi genus obnoxium peccato, qua nulla grauior seruitus fingi potest. Sunt occulti hostes, & bella clandestina: sunt, quæ miseras animas nundinentur, quas [heu] vili pretio venditis, voluptates fœdissimæ dominarum, quę vos inenodabili laqueo vinctos tenent, Ite nunc, & libertate gloriamini. Sed vos cæci, nihil, nisi corporeum videtis. Vnde eum, qui vni mortali subest domino seruum dicitis: Illum vetò, qui mille immortalibus tyrannis opprimitur, liberum iudicatis: eleganter, vt reliqua. Profectò autem liberum non facit fortuna, sed virtus. *G.* Liber sum. *R.* Planè. Si prudens es, si iustus, si fortis, modestus, si innocens, si pius. Horum siquid abfuerit, pro ea te parte seruum scito. *G.* In libera patria natus sum. *R.* vrbes quoque tu liberas, tua ætate, perexiguo flexu rerum, post paululum seruas nosti. Quòd si vel notiora, vel clariora sunt vetera, Lacedæmon & Athenæ liberrimæ vrbes, ciuile primùm, mox externum passę sunt iugum. Hierosolyma sancta vrbs, & libertatis æternę mater, temporaliter & Romanis seruiuit, & Assyriis, nunc seruit Ægyptiis. Roma ipsa non solùm libera, sed domina gentium, suorum primùm ciuium, post etiam vilissimorum hominum serua fuit: nemo vnquam libertati, nemo vel imperio suo fidat.

De

De Patria gloriosa. DIALOG. XV.

Quid refert, qua sis patria satus? omnibus una
Quærenda est nobis, non peritura domus.

GAV.

GLorioſa in patria natus ſum. *R.* Plus negotij habes, vt in lucem venias. Fulgent minutiora etiam aſtra per noctem, & Bootes ad ſolis radios habet, & lucifer. *G.* Clariſſimæ patriæ ciuis ſum. *R.* Bene, ſi virtutum hoſpes, vitiorum hoſtis: fortunæ enim eſt illud, hoc tuum. *G.* Patria mihi felix, ac nobilis eſt. *R.* Refert qua nobilitate. Hanc numerus incolarum, hanc infignis opum magnitudo, hanc ſpectata fertilitas, hanc ſitus ipſe nobilitat. Salubris aer, clari fontes, mare proximum, tuti portus, opportuni amnes. Nobilis patria vulgò dicitur vini ferax, olei, frumenti, frequens armentis, ac gregibus, auri ſcatebris, & argenti. Bonam terram dicitis, vbi fortes equi, vbi pingues boues, vbi teneri hœdi, vbi dulcia demum poma naſcuntur: vbi autem boni viri, id nec quæritis quidem, nec quæſitu dignum ducitis, æſtimatores egregij. Atqui ſumma patriæ laus, ſola virtus eſt ciuium. Rectè ergo Virgilius gloriam, ac felicitatem cùm deſcriberet Romanam, nihil horum, ad quæ ſola reſpicitis, dignatus attingere, vnam vrbis, & imperij magnitudinem, atque altitudinem attigit animorum. Felicem denique prole virum dixit. Ea eſt enim vera vrbium felicitas, vera nobilitas. *GAV.* Præclara ciuibus bonis patria eſt. *RA.* Quid ſi tu obſcurus? Quid ſi claritas ipſa te prodet, eque latebris eruet, & in apertum trahet? promptiùs in luce notaberis. *GAV.* Famoſiſſima eſt patria. *RA.* Non tam

infamis esset Catilina nisi tam famosa in patria natus esset. Caio etiam & Neroni, alter infamiæ aceruus Imperium accessit, & mundi natos in vertice fortunæ fauor extulit, quò latiùs noscerentur. *GAV.* Nobilissima in patria viuo. *RA.* Multorum aut contemptui patens, aut inuidiæ: sine altero in magnæ vrbe vix viuitur, illud tutius, hoc clarius malum. Vtriusque autem hæc ipsa, quam prædicas, natalis soli nobilitas, causa est. Tot inter oculos nullæ sunt latebræ. *GAV.* Notissima ex patria sum. *RA.* Malim per te patria, quàm tu propter patriam notus sis: nisi verò per te fulseris, quid tibi lux patriæ præter tenebras allatura est? Multos habuit claritas magnæ vrbis obscuros, quos abundè claros, parui ruris obscuritas habuisset. *GAV.* Inclyta mihi patria est. *RA.* Est quæ suas sibi laudes habeat, tuásque participet, quicquid bene gesseris, prima quodammodo patriæ laus erit. Fuit qui Themistoclis gloriam Athenis ascribere niteretur, qui planè pergrauiter, & vt talem virum decuit, respondit. Cùm enim sibi, Seriphi angustæ, & ignobilis Insulæ quidam incola inter iurgia obiecisset, non eum sua, sed patriæ gloria clarum esse, Neque hercle ait, aut ego obscurus, si Seriphius aut tu si Atheniensis, clarus esses. Non splendori patriæ, sed virtuti propriæ fidebat. Viriliùs planè quàm Plato, maior licet ille philosophus. Sed existunt interdum in magnis etiam ingeniis magni, & mirabiles errores. Is ergo inter cætera, magnæ suæ felicitatis claritatem patriæ ascribebat. Vt enim totum noris hac in parte excellentis viri animum, aiebat Plato se pro multis gratias agere. Rectè id quidem, modò intelligat, cui quibúsue pro donis gatię sint agendæ. Ille verò naturæ gratias

tias agebat. Primùm quòd hominem eum, non mutum animal, quòd marem, & non fœminam, quòd græcum, & non barbarum, quòd Atheniensem, & non Thebanum, denique quòd Socratis ætate, non alio tempore genuisset, vt scilicet esset à quo doceri posset, atque instrui. Vides inter gratulandi gloriandique causas, vt Atheniensem quoque ponat originem. Quid hic dicam forsan expectas? Ego verò, & si de hoc vno sermo sit institutus, quando tamen tanti viri mentio iucidit, quid de hoc toto illius sermone, & aliis sit visum, & mihi etiam videatur, dicam similiter. Scio quosdam, claros, & disertos viros incunctanter asserere, nihil vnquam ab aliquo esse dictum deliriùs, quorum in sententiam, quin [vt dici solet] eam pedibus, parum abest. Nam quid quæso attinet his gaudere? Quæro enim quid si barbarus, quid si mulier natus esset? An non multi barbari multis græcis, & virtute, & ingenio meliores extiterunt? An non fœminæ aliquæ & rerum gloria, & inuentione artium quibusdam viris optabiliores? Quid denique si Bos; quid si Asinus nasceretur? quid ad hunc ipsum de quo loquimur, Platonem? qui tam non Plato esset, sed id potiùs quod natura parens edidisset, nisi fortè Pythagoricæ credebat insaniæ, è corpore in corpus animas commigrare, quo nihil vnquam certè stultiùs, nihil impudentiùs, non dicam à Philosopho, sed ab homine dictum fuit, nihil magis veritati dissonum, ac pietati, nihil demum à quo religiosæ aures magis abhorreant. Quid deinde, an Atheniensem nasci, clarum adeo, vt non æquè clarum esse posset alibi, Thebis etiam natum esse? An non Homerus, & Pythagoras ipse, & Democritus, & Anaxagoras, &

Aristoteles, & mille alij alibi, quàm Athenis nati, clariqúe habiti, non minùs quàm qui nati sunt Athenis? Ac ne à Thebis abeam, quas spernere Graij solent; an non si ingenium quæratur, Thobis natus est Pindarus, quem imitatione inaccessibilem Flaccus ait? Si rerum claritas gestarum, Liber pater, atque Hercules, tam famosi, vt Alexander Macedo contemptor omnium fermè mortalium, illos duos, vt altissimum, atque vltimum signum gloriæ sibi proponeret imitandos? Sin vtrunque, nónne recenti memoria, & penè ante oculos, erat Thebanus Epaminondas, summus philosophus, summus dux, Græcorumque omnium, recto sub iudice, omnis æui princeps? Hic est qui Lacedæmones penè funditus euertit, & Athenienses Platonis sic exterruit, vt eo mortuo, quasi summo terrore liberati, illicò se in luxum ignauiámque resoluerint: quo adhuc etiam apud Thebas florente, quot Athenis inertium, & stultorum millia fuerint, quis facilè animo metiatur? Non igitur quòd Athenis, sed quòd talis natus esset, ac genitus, h. e. tali ingenio taliqúe animo, tali denique & parentum indulgentia, & rerum temporalium facultate, vt erudiri posset, & ad omne bonum opus institui, gratias agere decuit tam anxiè doctum virum illi Deo, qui hæc ei dederat, non Socrati, non Athenis, cuius in schola & in qua vrbe, quot & iniqui fuerint, & indocti opinari promptius sit, quàm noscere. Et vt vrbem sileam habuit schola illa inter multos Alcibiadem & Critiam, illum patriæ hostem, hunc sæuissimum tyrannorum, quibus quid præceptor Socrates contulerit, Plato ipse respondeat, vel sic intelligens, quàm inane est, quòd terreni doctrina præceptoris discipulorũ auribus instrepit, nisi gratia magistri

magistri cœlestis aspiret, sine qua nihil omnino Socratem potuisse, quanquam Dei mendacis oraculo, vt prædictum est, sapientissimum iudicatum, inter duas tamen simul vxores procacissimas anus, ipse vel alius quantumlibet eum excusset ineptissimè conuersatum. Sed hæc & reliqua incidenter, præter vnum illud, quo Platonem talem virum hac eadem vanitate glorioſæ patriæ implicitum fuisse cognosceres, non vt magni comitis clypeo tuum tegas errorem, sed vt accuratiùs illum vites, cui succubuisse summa etiam cernis ingenia. *G.AV.* Ampla in patria vitam ago. *R.A.* Multa sunt amplæ vrbis incommoda, distat templum, distat forum. Illud animo nocet, hoc corpori, distant opifices, atque amici. Qua quidem nulla durior distantia, quos laboriosum visere, negligere inhumanum. Audis, vt de hoc queritur Flaccus: *Cubat hic in colle Quirini, Hic extremo in Auentino, visendus vterque.* Quocunque ire decreueris, ceu peregrè profecturus, domui tuæ dispone, quando, & an redeas, incertum, & ipse reditus cum labore est. Sæpe etiam cum errore, ferro, ac magnete iter agitur, hac eas facilius, hac rectius, hac curiam, hac theatrum vites, hac balneum effugias, hac macellum, hi & mille alij sunt vrbium scopuli, inter quos nauigans, domum tuam, quasi alterum orbem petis, vix te ad illam peruenturum sperans, Et hoc quoque apud ipsum Flaccum legis: *Vt Philippus orator, Domum dum redit, foro nimium distare carinas, Iam grandis natu sequitur.* Hæ paruo in oppido modestiæ cessant omnes. Quicquid quæritur, iuxtà est. *G.AV.* E paruo oppido in immensam vrbem commigraui. *R.A.* E tranquillo portu procellosum sponte pelagus ingredi temeritas

est. Nec miror ideò quia læti euentus. Fecit hoc tamen & gens Claudia, è Sabinis Romam petens, è Tusculo Marcus Cato, ex Arpino Marius, & Cicero, successitque feliciter. Sed vbinam tales viri? non tutò quidem in exemplum trahitur, quicquid raris, & summis ingeniis attentatum est. Postquam tamen soluisti funem, omni studio inter difficultates enitere, inter alta consurge consilio cœptum regens, [quod hic boni dixerim] plures erunt ad virtutem stimuli. Erunt fortè quos ad gloriam sequi velis. Erit vbi te exerceas vbi cum paribus possis de laude contendere; pudebitque te stium tantorum. Multis sæpè, quod vis animi non dabat, contulit vis pudoris, & ad ignauiam profligandam sæpè plus spectator valuit, quàm virtus. Et hi hercle quorum proximè memini, & accitus Curibus Numa Pompilius, Corduba profectus Seneca, Leptique veniens Seuerus, multique alij ex aliis locis, vbique futuri magni viri, vt aliquantò maiores Romæ essent, æmulatio virtutis, & illustrium copia exemplorum præstitit. Stude ergò, quòd vnicum bonum est in hac tua commigratione, ne pereat, neu nil aliud migrando quæsieris, quàm vt te coram pluribus, nouæ patriæ fulgor nudet.

De Origine generosa. DIAL. XVI.

Quid frustrà exultas clarorum nomine auorum?
Et falsum nomen nobilitatis habes.

GAV.

ORigo generosa est. RA. Rursum mihi redis ad ineptias, quid ad te? GAV. Propago vetus, & glorioſa est. RA. Alieno gloriari ridiculosa iactantia, auorum merita, nepotum

tum degenerantium notæ sunt, nec aliud magis posterorum maculas aperit, quàm maiorum spẽ dor, ac gloria. Sæpe alteri commodum virtus alterius tulit. Veram laudem, nisi de proprio sumpseris, ab alio non expectes. *G.* Magna est nobilitas antiquorum meorum. *R.* Mallem per te alij, quàm tu per alios noscereris. Verùm age aliquid & tu, vnde sis nobilis. Nam & illi nisi aquid egissent laude dignum, nunquam nobiles fuissent. *G.A V.* Multa sanguinis est claritas. *R.A.* Omnis propemodum sanguis est concolor, sicubi fortè alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas efficit sed sanitas. *G.A V.* Magna est claritas parentum. *R.A.* Quid si maior obscuritas tua est? Corpus semper, & patrimonium sæpe à parentibus accipitis, claritatem & qui habet, raro in filium transfert & qui non habet, aliquoties in filio illam videt. Quantùm patre clarior Cæsar, quantùm obscurior Africani filius? Qui si per manus tradi claritas posset quàm clarus futurus esset intelligis. Sed amare illum potuit pater, illustrare non potuit, infinitam suæ lucis eclipsin passus in filio. Sic quod pretiosissimum habet hæreditas, iudicio testantis eximitur, nec nisi de viliſſimis rerum est tanta illa solemnitas testamenti. Mille ego nunc tales clarissimorum hominum obscurissimos hæredes enumerem, si vacet, & si expediat summam teneŝ. *G.A V.* Ingens claritas gentis est. *R.A.* Nil tibi amplius ea claritas præstabit, quàm vt latere nequeas, si velis. Ita in primis iucundissimum tibi vitæ latibulum, & secretus rerum trames eripitur. Quicquid ages, erit vulgi fabula. Qualiter domi viuas, & quid cœnes, nosse vicinorum studium, & veluti exploratores ad te pater auusque

remiserint, sic totum rei familiaris arcanum, & quotidiani victus ratio. Quid cum filiis, quid cum seruis, quid denique cum vxore; & ad vnum actus omnes, ac verba, de rebus licet minimis, inquirentur, quoque altiùs stomacheris, ab his maximè quorum nihilo intererit. Hic igitur tuæ claritatis est fructus, vtque si vel modicum aberres, dedecus gentis & monstrati desertor itineris, longè inexcusabilis habeare. Hoc est enim suum ac perpetuum gentilitiæ claritatis, reliqua illa communia, vndecunque partum decus infestant, quoniam difficile est clara recondere. *GAV.* Clarissimè natus sum. *RA.* Stulte claritas non nascendo quæritur, sed viuendo: sæpe etiam, quod mireberis, moriendo. *GAV.* In multa luce natus sum. *RA.* Turpitudinem caue, quæ obiectu lucis insignior fit, atque conspectior. Id ni feceris, in tenebris natum fuisse melius foret. Adulteri, & fures, & omnis turpium cohors tenebras quærunt. Sola lucem non refugit fœda hæc, falsa nobilitas, cognoscique appetit, cui vnum vitandæ infamiæ consilium sit, nesciri. *GAV.* Antiqua nobilitas est generis. *RA.* Antiqua igitur virtus fuit, sine qua vera nobilitas non est. *GAV.* Peruetusta nobilitas est. *RA.* Vetustas nimia claritatem rebus eripit, & parit obliuionem. Quot fuerunt nobiles familiæ, quarum hodie memoria nulla est? Quot tu ipse florentissimas vidisti, quæ paucis annis fermè ad nihilum rediere? Vnde præsagium facias de his modò florentibus, deque his nunc primùm erumpentibus, capútque tollentibus. Omnia tempus imminuit, consumitque. Senescunt non modò familiæ, sed vrbes, mundus ipse [nisi fallimur] ad extremum vergit. Tu qui vetustate gloriaris, vide ne

de ne gloriam ipsa vetustas extinxerit, neu iam radix aruerit, cuius floribus vis ornari. Omne quod in tempore oritur, cum tempore occidit. Vetustaque nobilitas tempore incipit, tempore desinit, & quam longa dies peperit, longiorque auxit, longissima subruit. Fieri potest, vt quo te nobilem fingis, esse desieris, esses fortè nobilior, si serius incepisses. G. Inuetearta nobilitas est. R. A. Inanis ambitio, nec suo merito, sed aliorum obliuione subnixa. Confusa nempe sunt omnia, & perplexa successionum series. Hæc inter tibi accidit, non nobilior vt esses, sed ignotior. Origo cunctorum vna est. Vnus parens humani generis, vnus fons vniuersorum, qui vicissim modò turbidus, modò nitidus ad vnumquemque vestrum peruenit, ea lege, vt quod paulò antè clarum erat, mox obscurum fiat, & quod obscurum, clarum. Ita non de fonte dubitatio est, sed quibus alueolis hæc clari sanguinis [vt dicitis] ad vos vnda profluxerit. Hinc est, vt qui heri arabat, hodie militet, & qui per vrbes medias ardentem corripedem aureis habenis regere solitus, superbus incesserat, per squallentem campum pigros boues humili pugione sollicitet, verumque Platonicum illud libet opinari, neminem regem non ex seruis oriundum, neminem seruum non ex regibus. Ita verò vicissitudo hæc, & conditio statuum humanorum variabilis atq; inconstans est, vt iterabilis quoque sit semel & pluries. ne mireris, si vel arator ad militiam, vel miles redeat ad aratrum. Ingens rerum mortalium rota est. Et quia tractus est longior, breuis hunc vita non percipit, quod nisi sic esset, & ligones regum, & agrestium diademata cernerentur. Nunc hominum memoriam occupatam, intentámque aliis

tempus fallit. Et hæc est illa tota vestra nobilitas, qua tumidi, clariq́ue inceditis, vanum genus. *GAV.* Auorum clara prosapia est. *R.* Quousque vagaberis? de te agitur. Tu mihi nescio quos in tuum locum substituere niteris, qui pro se fortè aliquid pro te nihil, nisi ipse tuis testibus causam instruxeris, responsuri sint. Proinde aui isti vel proaui clari fuerint, tum scilicet, dum è vulgari acie virtutum sese alis attollere cœperant. Ea nobilitas radix vltima, sed perge altiùs, exquire acriùs, proauorum atauos obscuros inuenies, & ignotos. Ad summam, hæc nominum, atque imaginum claritas, & perbreuis est, & quantulacumque est, tua certè non est. Define igitur tuum nomen alienis obumbrare virtutibus, ne, vnoquoq; suum reposcente, nudus ipse de proprio rideare. *GAV.* Nobilis sum. *RA.* Quantùm sit nobilior rusticus vir fortis, quàm ignauus nobilis, scies, quum libraueris, quantò sit melius nobilitatem fundare, quàm euertere. Si exemplis eges, domi militiæq́ue affluunt, passimq́ue legentibus occurrunt, vt per te ipsum mensor, censorque reliquorum fias. Ex omnibus duo paria hominum expendisse sufficerit. Altera igitur in lance Marium & Tullium, in altera horum aduersarios Aulum & Clodium constitue, quò examen vergat, & quàtùm Roma cedat Arpino, quis tam cæcus, vt non videat? *GAV.* Nobilis natus sum. *RA.* Iam dixi. Verus nobilis non nascitur, sed fit. *GAV.* Insignis nobilitas, saltem ista vulgaris à parentibus est relicta. *RA.* Ipsa claritas non nascendo quæritur, sed viuendo. Vnum hic quoque bonum video. Familiaria virtutum exempla non deerunt, & domestici duces, quorum pudeat deseruisse vestigia. Id si labi finis, quid nisi famosum, & difficile malum-

malum est nobilitas ? Nescio autem quomodo difficilior est suorum imitatio, quàm exterorum: fortè ne videatur hæreditarium bonum virtus. Non libens dico, sed res ipsa loquitur. Rarò excellentis viri filius excellens fuit.

De Origine fortunata. DIAL. XVII.

Indulget Fortuna malis, vt ladere possit,
Fit casus levior, si minùs altus erit.

GAV.

IN magna genitus sum fortuna. *R.* Vitam ab inquietudine auspicatus es : haud equidem impropriè tempestatem Fortunam vocant nautæ. Magna quoque fortuna, magna est tempestas: magna verò tempestas, & consiliis magnis eget, & viribus. Habes non lætitiæ materiam, sed curarum. *G.* In amplissima fortuna natus sum. *R.* Tunc fortè felicius censes magno in mari, quàm exiguo in flumine natum esse: quod si nemo sanus dixerit, quid perinde felicius habet nasci in palatio, quàm in casa? vbique ortos terra parens excipit. *G.* In magna fortuna natus sum. *R.* Aduerso sydere voluisti funem: quòd si in tempestate dies acta est, cura vt nox te inueniat in portu. *G.* In alto natus sum. *R.* Turbinibus rerum pates, latitandi spe prærepta. Scitum est illud Lyrici poetæ: *Sæpius ventis agitatur ingens Pinus, & celsæ grauiore casu Decidunt turres, feriúntque summos fulmina montes.* Vt clarum fatear in alto nasci, nec tranquillum certè, nec tutum est. Altitudo quantalibet humana per se ipsam inquieta est, perpetuóque fremens tonitru. Vnde miror quid ita displiceat Senecæ, Mecœnatis illud : Ipsa enim altitudo attonat summa. Nam cùm alij hoc verbo vsi sint, cur solus il-

le reprehenditur? Nil præterea tam altum, quod non & solicitudini, & labori, & inuidiæ, & pauori, & mœrori, & in finem morti peruium sit. Et sanè omnem fastum, eminentiámque mortalium sola mors in planum redigit. *G.* Alto & magno in statu natus sum. *R.* Iam primùm ex alto graues lapsus, & magno rara quies in pelago est: nec in imo præcipitium metuas, nec naufragium in sicco. *G.* Principium fortunatum fuit. *R.* Finem respice, vt reliquis, sic fortunæ suo multùm licet in regno. Quò fortunatius principium, eò finis est incertior. Nónne vides, vt res hominum turbinis more voluuntur? vt quietum mare tempestas turbida, lucidum mane, nubilus vesper insequitur? vt inter initia planum iter in confragosum desinit, sic prosperitatis insolentiam improuisa calamitas, & lætissimæ cursum vitæ mœsta mors claudit, & sæpè primordio dissimillimus finis est. *G.* In alto cœpi. *R.* Vide vbi desinas. Vita omnis à fine describitur, & finem planè senties, qui principium non sensisti. *G.* In summa fortuna editus sum. *R.* Et seruorum filios in solio vidimus, & filios regum in ergastulis.

De Lauto victu. DIAL. XVIII.

Fœcundi calices, amor immoderatus edendi,
Eneruant vires corpori, atque animi.

G. AV.

IN lautissima educor familia. *R.* Multũ tibi hoc videtur, parum est, eritque mox nihil. An ideò magis tibi quàm duro agricolæ vermes parcent, an cibo molliore vescentur auidiùs? Non iocor tecũ, nec te terreo. Scis, etsi fortè dissimules, te illi conuiuio præparatã escã, & fortè iam cœnæ tempus instare, certè autem longiùs abesse iam non pos-

non posse. Nam & breuis est lux, famelicique conuiuæ, & quæ mensam instruit mors impigra, quid tibi tunc lautitiæ istæ profuturæ sint videris. G. Lautissimè ab infantia educatus sum. R. O pessima pueritiæ rudimenta, neglectis bonis artibus, exquisitis cibis, & peregrinis poculis assuefactus à puero præclarissimam in spem adoleuisti. Sapores atque odores nosse, mirarique doctus eximiè, opiparas mensas, & vasa aurea venerari, neque sero, vt virorum fortium mos fuit, famem sitimque communibus lenire, sed ambitiosa semper nausea, & damnosis stomachi farciinis manè illis occurrere, cùm tot in heremo sancti viri exsurierint, tot in castris glorioſi duces, parcè, sobriè, atque asperè vixerint. An si tibi gemmis atque epulis obsesso, hinc Curius, Fabricius, Corũcanus lecta suis manibus olera cœnantes fictilibus, atque arantes ad vesperam ieiuni: Quintius ac Serranus, aut post hos Cato Censorius consul in Hispaniam nauigans, vnde triumphator rediit, non alio quàm quo remiges vino vsus, omnes notissimi hostes voluptatis occurrerent: illinc Paulus atque Antonius fontis ad ripam missum cœlitùs partientes panem, non verecundia ac dolore faucibus hæreret iners cibus, & attoniti gustus titillatio illa lentesceret? Cogitares ab his viris victu tam tenui tamque humili labore gaudentibus, & seruatam patriam, subactosque nobilissimos reges ac populos; & [quæ victoriarum difficillima est] carnem propriam, ac mundum, & inuisibiles hostes animæ debellatos: te inter amplas dapes, ac superbam requiem vili perdomitum voluptate? G. AV. Lautissimus victus est. R. A. Sentio: omne in eo est, vt ad fundum miseriæ curiositas fœda perueniat: nihil est actum ci-

bi ac potus elegantia, nisi accedat & copia, immo verò redundantia, atque fastidium. Nec succurrit, vt Augustus Cæsar, qui fortassis paululũ te lautior esse potuerat cibi [sic enim de illo traditur] minimi fuit, & vulgaris ferè. Sileo quibus vesci solitus, ne quasi rusticanus paterfamilias contemptui tibi sit, intérque fasianos, & siceduias ac pauones tuos, illius principis secundarius panis, & caseus bubulus, & minuti piscículi rideantur. At quantò meliùs fasiani isti vestri, & mensarum decus eximium, & gulæ summa felicitas apud Colchon semper, & Phasidem latuissent, quàm huc ad corrumpendum orbem nostrum, & irritandas illecebras aduolassent! Quantò fuit honestior ætas illa, de qua Naso ait. *Ti, cis adhu. illis populis sine fraude natabat: Ostreaque in conchis tuta fuêre suis. Nec Latium norat, quam præbet Ionia diues: Nec quæ pygmæo sanguine gaudet, auis. G.* Vino fruor electissimo. *R. A.* Malè, sed propriè, ais, fruor: hic est finis vester, ad hoc nati estis. Quantò autem tutiùs sitim vestram vinum debile, vel lymphis debilitatum, siue purus etiam riuus extingueret? Certè princeps ille, de quo nunc loquebar, vini quoque parcissimus [nam & id scribitur] fuit, ter non amplius super cœnam bibens, dum in castris esset. Vos ter decies ante cænam bibitis, & in cœna centies, nec numero quantitas cedit, & castra ipsis vinosiora sunt vrbibus. Nulla nisi ab ebriis vel expeditio, vel certamen. Non bibebat ille interdiu, vos diebus, & noctibus non cessatis. Ille sitiens pro potione, perfusum aqua frigida panem, vel lactuculæ thyrsum, vel succosi pomi morsum, vel frustum cucumeris capiebat, at vos sitim omni lenocinio aucupantes, illam vinis ardentibus, & bibendo

aliam

aliam sitim parituris extinguitis[dicã veriùs]accenditis. Nec in animum venit, bibere vos sanguinem terræ, ac venenum cicutę, dum sic vinũ bibitis, vt Alexandro Macedoni scripsit Anthocides. Quibus si illẽ præceptis obtemperauissẽt, profecto amicos in temulentia non interemissẽt, vt ait Pli. nec ipse insuper tandem in temulentia periissẽt. Hæc eadem cibi indifferentis ac potus parcitas in cunctis ferè claris ducibus, atque principibus fuit, & in Iulio Cæsare singularis, quæ quantùm vestræ sit præferenda libidini, somnus vester illorum industriæ, & gestarum rerum gloriæ collatus, indicio est. G. Lautissimo fruor victu. R. Si honestis etiam rebus frui vetitum, quãtò magis inhonestis, ac turpibus? Nec te pudet: in eo, quod ad caduci corporis seruitium spectat, immortalis animæ fructum ponis. Epicureum dogma, sed infame, olimque reiectum, denique cunctis ex voluptatibus, quæ corporeis sensibus obrepunt animæ illas esse fœdissimas, diffinitũ est, quæ tactu, gustúque sese ingerunt, quòd illæ maximè vobis cũ belluis sint communes, & in belluinos mores rationale animal incuruent, quo nihil abiectius humana sors patitur. G. Lautis, & variis cibis delector. R. Et delectare, & fruere, si nil melius nosti, si nil peius; pudeat more pecudis pabulo gaudere, aut reconditorium ferculorum fieri, & suum dolio munus eripere: denique sic habeto non posse te hanc, quam probas, vitam diu pati, fastidio est vicina facietas, ieiunium cibos condit. Nil nisi dulce ac sapidum gustat fames. Nil tam lautum, quod non nausea reddat insipidum ac sordidum. Ipsi etiam, qui delectationi huic intendunt, appetitu & raritate illam cui fatentur, vt reliqua s copia frequentiáq; cõ-

tundi, & in nihilum sæpè, & in contrarium verti. Ipse demum professor voluptatis Epicurus tenuem victum, quasi vnicum suæ professionis auxilium & laudauit & coluit. Quodque sobrietati ac modestiæ tribuunt honesti viri, hoc ille tribuit voluptati, vt quamlibet viuendi viam eligas diuersis finibus vnum callem conuenire noueris, vno victu vtendum, tenui semper ac modico, nisi quem honestis ex causis rara fortè licentia, sed illæsa sobrietate laxauerit. Victus hic siccos, & validos, & aspectu placidos facit, & odore corporis nec sibi nec aliis molesto. Confer his madidos, æstuantes, tremulos, olentes, & vt Ciceronis vtar verbis, confer & sudantes, & ructantes, tunc videbis quid inter frugalitatem interfit, & crapulam, & si non virtus vt aspectus ipse monstrabit recta quonam vergat electio, vt vix sit quispiam tã gulæ seruus, qui acriter re discussa, non sobrietatem longè illi præferendam fateatur. Si hæc spernis vt leuia, nunquid & morbos hinc nascentes, mortémque contemnes? Quæ licèt per se ipsam magnis animis contemnenda sit; naturaliter atq: honestè, seu certè non turpiter inuecta, sic turpibus causis accersita morte, nil fœdius, nilque formidabilius. An verò non audis ecclesiasticum consultorem? Noli auidus esse, inquit, in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi perierunt, qui autem abstinens est adiiciet vitam. *GAV.* Lautis, & multiplicibus vtor cibis. *RA.* Asellum tuum, si nimis presseris, opprimes, si molliùs paueris, calcitrabit, venter verò depositarius malæ fidei est, non inefficax consilium videtur ad omnes, &

nes,& præsertim gulæ illecebras comprimendas, exitum contemplari.

De Conuiuiis. DIAL. XIX.

Sæpe bonos mores rapiunt conuiuia, mensâ;
Sæpe perit probitas, ingenuúsque pudor.

GAV.

CONuiuiis glorior. *R.A.* Lautus victus voluptatis, conuiuia sunt furoris. Quid enim nisi pompaticus furor est, multos diuites, à negotiis honestioribus fortassis abstractos, honorifico tædio vnum in locum cogere, & multos ventres, aut vacuos meliùs mansuros, aut suo gratiùs implendos arbitrio, exquisitis & nociuis cibis infarcire; vbi, vt vni morem gesseris palato, multis tædio fueris atque fastidio? Rarò enim inter conuiuas conuenit, verúmque deprehenditur quod ait ille: *Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur: Poscentes vario multùm diuersa palato. Quid dem? quid non dem?* Quid des, Flacce, seu quid facias? nisi vt penitùs nihil des, & hanc curam illis linquas, quibus nulla cura altior est. Agant quodlibet, qui agere nil aliud sciunt. Nam si tres discordant, quid centum facient, aut mille? Vix sine tacitis saltem abeunt lamentis. Hoc malè sapuit, illud malè oluit, hoc præferendum fuit, illud gelidum, illud intempestiuum. Hoc mœsto oblatum, hoc irato vultu. Crudum illud, hoc lacerum. Ille famulus segnis, hic præceps. Hic surdaster, hic contumax. Hic clamore offendit, hic silentio. Ille illotis vasis aquam tepidam, hic vinum molle porrexit. His querelis non tam aulæ, quàm viæ resonant, & plateæ, nec immeritò. Nam quid attinet iucundiùs domui suæ pransuros, precibus fatigare, aut quorsum &

sumptus inutilis, & superuacuus labor, atque vnum in atrium turba conueniens, nisi vt te viciniæ ostentes, & quasi de conuiuiis tuis pedester agas voluptuarium triumphum? Sic tubis cymbala concrepant, vtque appareat pompæ omnia tribui, charitati nihil. Finge postridie vnum aliquem conuiuarum tantulo egere, quanti sua constitit paropsis, nunquam id à conuiuij domino impetrabit. Nempe non id illi præstitum, sed sibi. Quæ quamuis ita esse non sit dubium: solent tamen, vbi ad mensam ebrij deierant, affirmantque aliquid, percussis epulis, his fermè verbis vti: Per hanc, inquiunt, quam simul facimus charitatem: quibus ritè respondeatur. Immo verò per hanc ebrietatem, & hanc crapulam. Vera enim charitas demum esset, si ieiuni, & sicci, quæ in vestram perniciem effunditis, in vsum pauperum verteretis, tunc charitatem, non impropriè iuraretis, nunc ad vestra conuiuia fastidiosi diuites coguntur, famelici pauperes excluduntur. Vobis scilicet æstimantibus glorioſum claris hospitibus abundare. Nec deest, præter vulgus [fontem omnis erroris] author insignis. Est enim, vt mihi videtur, ait Cicero, valde decorum patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus. Planè, vir egregie, qui referre vicem valeant, sed egentibus clausas esse. Qua in re haud indignè forsitan notatum à Lactantio Ciceronem nouimus, qui profectò illud melius alibi, sed eodem libro: Hoc maximè, inquit, officium est, vt quisque maximè opis indigeat, ita ei potissimùm opitulari. Quod contrà fit à plerisque; à quo enim plurimum sperant, etiam si ille his non eget, tum ei potissimùm inseruiunt. Bene nunc ais, Cicero, & verè:

verè: nam & ita fieri debet, & à plurimis contrà fit. Sed [vt ad rem redeam] si querelis, ac fastidio conuiuarum vis carere, conuiuiis abstine. Habent vtcunque fortassis, qui conuiuio interfuêre, quod arguant, quod grauentur: qui hoc ipsum arguit, quòd conuiuio non interfit, non iam ille conuiua est: sed impudentissimus parasitus, cuius lingua non pluris existimanda, quàm gula est: quæ non modò non metuenda est, sed optanda, nonnunquam, dicente Satyrico.

Nam quæ comœdia,
Mimus quis melior plorante gula?

Tales aliqui apud Comicos describuntur, lætique risum excitant, quid, nisi coràm auditi, queãt facere? Hæc denique summa est: conuiualem censuram, non conuiuando euaseris, parasiticos morsus ac rabiem ridendo, & contemnendo fugaueris: non est alia ad quietem via. *G.* Conuiuiis vaco. *R.A.* Pulchrum tibi studium elegisti: quid huic gustui conueniat, quid illi; quibus aut compescenda fames ferculis, aut irritanda salsamentis. En præclaram vtilemque Philosophiæ partem; quis primus, quis secundus, & quis tertius ingratum stomachum cibus premat, quis vini fumus cerebro grauiores nebulas effundat? *G.* Conuiuiis delector. *R.* Si sic accipiatur, vt verbum sonat, & vt senserũt maiores nostri, nominis huius authores, non modò non arguam, sed laudabo. Dulce est enim, & optabile, & honestum amicis conuiuere: sed commessationem conuiuium appellatis, turpissimæque rei pulcherrimum nomen imponitis, quasi verò non possit cum amicis viui aliter, quàm comedendo & bibendo, & non meliùs cogitando, & loquendo, cùm & docto homini, & erudito [vt ait Cicero ipse] viuere sit, cogitare, & nil

nil profectò sit dulcius noto ac fido colloquio amicorum. Nolite ergo rem fœdam pulchro velo tegere. Transiucet enim, & quod conuiuium dicitur, commessatio esse cognoscitur. Audite potius Apostolum Paulum, clara voce, à malis nos, inter cætera, commessationibus, & ebrietatibus dehortantem, & videte ne ad turpia, nominũ splẽdore rapiamini. .Conuiuia me delectant. *R.* Dic quod est, Comestiones, potationes, epulationes, viscerationes. Hæc si delectat accipere, vilis tu, vilis rei debitor: at si dare, stultus tu, stultæ sollicitudinis seruus es. *G.* Conuiuiis gloriam quæro. *R A.* Mos est vester quærere ibi, vbi, quod quæritis non est. *G.* Spero gloriam conuiuiis. *R.* Falsa est gloria, verus error. Alexandrum Macedonem conuiuiis indulsisse vsque ad funestam ebrietatem legimus. Lucium Verum vsque ad profluuium amentis impensæ, flebilemque Imperij iacturam. Quæro alios duos, quem mihi sanum principem, quem sobrium regem his intentum dabis? Nam philosophos ac poetas egregios memorare necessarium non est, multoque minùs sanctos viros, & omnino omnes grande aliquid, piúmve animo agitantes; quibus omnibus, haud dubiè, tota ea res infamis, & inuisa est. *G A V.* Gloria mihi apud vulgus, & multorum gratia ex conuiuiis parta est. *R A.* Vilissimæ mercis ingens pretium, coquum fieri, vt gulæ complaceas alienæ. Credo autem sunt, quos gula vrget, frenat inopia: his nihil est gratius, quàm aliena cura & impensa freno illo absolui, quodque per se nequeunt, per alios adipisci. Qui hoc eis præstant, clari apud illos, dum id faciunt, & famosi sunt. Finge desinere simul desinent clari esse. Tandem, vt ego quoque iam desinam, hæc summa est: conuiuarum

uiuarum conditio delicata est, & querula, longéque difficilis. De paratisis breuem accipe regulam: dum illos affatim paueris, rodent, arridebũt, plaudent manibus, laudabunt, virum optimum liberalémque, patriæ patrem dicent. Nihil ad vltimum Graiæ adulationis omiserint, de qua Satyricus loquens, adulandi gentem prudentissimam, & comedam nationem asseruit, & reliqua pueris quoque notissima: sin aliquando cessaueris, & quidem sponte, auarum, sordidum, miserum, diffamabunt. Sin inopia homunculum non malum certè, sed stolidum, & ineptum, téque, tuámque domum fugient, vt scopulum. Tunc intelliges illud Flacci:

Diffugiunt cadis cum face siccatis amici.

De his quidem loquitur amicis. Veri enim maximè in aduersis hærent, & illas domos auidiùs frequentant, quas fortuna deseruit. His ineptiis, hisque difficultatibus vt occurras in tempore, & conuiuas tumidos, & scurras aridos, horúmque omnium voces, & sententias disce contemnere: & sit habeto; nihil loci recto esse iudicio, vbi totum voluptati tribuitur, nil virtuti. Caducum denique, malis artibus partum nomen, eámque vulgò, quæ gloria dicitur, apud doctos infamiam esse, non gloriam.

De Vestitu cultúque corporis. DIAL. XX.

Vile quid exornas nitido tam corpus amictu,
Quod tras forte auidis vermibus esus erit?

G. V.

AT egegiè vestior. *R.* Quæ pura sunt, nuda videri amant. Mos est, fœda coloribus abdere. *G.* Exquisitissimè induor. *R.* Pu-

debit cultus exterioris, quoties, quid eo tegatur, cogitabis. Insana enim ambitio est, fimum tegere purpura. *G.A.V.* Mundissimè vestior. *R.A.* Non audisti, quid illi vir fortissimus apud Crispum dicat: Munditias mulieribus, laborem viris conuenire. *G.A.V.* Vestitus insignis ac mollis est. *R.A.* Superbiæ vexillum, niduſque luxuriæ. *G.A.V.* Vestis singularis, ac insolita est. *R.A.* Non obiiciam tibi sacros pauperes seminudos, & rigidos, atque hirsutis togis hybernum frigus arcentes. Scio quidē quòd peccatrix opulentia sanctam spernit inopiā. Ille idem ditissimus hominum Augustus, cuius altercatione retrò tertia memini, veste non temerè alia, quàm domestica vsus est, ab vxore & sorore & filia, neptibusque confecta. Nam & hoc quoque de illo scriptum est. Sic ille cunctorum dominus, paucas quidem, sibique iunctissimas fœminas fatigabat. Tu fortassis aliorum seruus, disiunctissimas fatigas gentes. Tibi nent, tibi pectunt, tibi texunt Belgæ, tibi Persæ, tibi Seres, tibi Indi tibi Tyrius murex natat tibi fragrans bacca hispidis pendet arbusculis, tibi oues albicant Britannicæ, tibi indica sandix rubet, vterque tibi sudat Oceanus. Augusto autem vxor & filia sororque cum neptibus. Eò vsque decreuit virtus, creuitque superbia: sic contrario delectaris; exempla modestiæ viluerunt. In victu igitur ac vestitu multi, optimo principum contempto, post pessimos abiêre: Caium dico & reliquos, quorum ventri, ac tergo, nec ciuilis vnquam nec virilis, nec Romanus certè nec humanus, sed insanus, & nunc fœmineus, nunc diuinus, ab omni autem parte perfusus, atque monstrificus cultus fuit. *G.A.V.* Exquisitissimè induor. *R.* Operosior ornatus, & superstitiosæ curæ intentus formosis formę

gratiam

gratiam imminuit, & fulgore suo, deformium mendas prodit, oculosque prætereuntium ad spectandum excitat. Itaque nulla re peiùs sibi consulit deformis homo, quàm dum formosus vult videri. Vestis insignior, cultúsque corporis qui ad formam quæritur, risus mouet. *GAV.* Electissimis coloribus exornor. *RA.* Natura rerum humana arte non vincitur. Sæpe etiam, quasi indignans se tentari, quò maiore nisu premitur, tegitúrque, eò magis ac magis attollitur, eminétque: natiuam mortalis corpusculi fœditatem, nec colores alterant, nec odores: quin, aut magis conspectam efficiunt, aut suspectam. *GAV.* Pretiosis, ac variis ornamentis ambior. *RA.* Pone in feretro aureo pallidum cadauer, gemmis illud ostróque circunda, quò plus ornatus, & plus erit horroris, neu quod loquor ad iniuriam trahas, origo nominis inquirenda est, Siquidem à cadendo dicitur cadauer, cur non vt mortui; sic viuentis rectè dicitur? Nempe illud cecidit, hoc casurum est, caditque continuè. *GAV.* Nouus, & insolitus cultus est mihi. *RA.* Non est locus vt defleam, vtque execrer ludibria hæc habituum externorum, quos vobis ab extremis mundi finibus furibunda præsens ætas intulit. Sed dij hominésque malè oderint has belluas humana effigie, ferino animo, lingua latina, barbaricoue habitu, compto fœmineam ad mollitiem capillo, moribus, ad aprinam duritiem, horridis, atque incultis hinc obscœna corporum impudentissimè detegentes, illinc mentium leuitatem, vano vertice volucrum plumis extantibus, apertissimè designantes. An verò tam vigiles magistri, an tam dociles discipuli plus odij mereantur in dubio est, quorum ingeniis effectum vides, vt

inter mimos, ducésque, inter scorta & matronas, propè iam nil interfit aspectu. Nec dum sistit, sed in dies serpens crescit, & variatur insania.

De Otio & Quiete. DIALOG. XXI.

Nulla est certa quies, cunctis crux una ferenda est:
Post, si ea stabili, fata, quiete frui.

GAV.

OTium, quiésve è laboribus obtigit. R. Duo humanæ vitæ bona gratissima, nisi vsus immodicus mala illa grauissima fecerit, quod multis fecit, & totidem corporis, atque animi pestes, tumorem corpori parientes, animoque rubiginem. GAV. Otio fruor iucundissimo. RA. Vtor dic. Nulla hic re fruendum, sed vtendum multis, habet doctrina salubrior. GAV. Delectabile otium est mihi. R. Refert multùm hoc ipsum otium quale sit. Duas nempe species otij diffiniunt; operosi alteram, atque ipsa in requie laborantis, ac circa honesta studia solliciti: quo nil est dulcius. Alteram inertis, & languidi, & solam requiem complexi, quo nil fœdius, nil similius est sepulchro. De primo igitur sæpè magna quædam opera, & mundo vtilia, & suis authoribus glorioſa proueniunt. De secundo autem nihil vnquam, nisi inglorius torpor, ac marcidus. Primum illud, ritè philosophantibus, hoc secundum, pigris, ventri, somnoque deditis peropportunum, vbi, nullo interpellante, edant licenter, ac dormiant. GAV. Optata perfruor quiete. R. Quies illa qua perfruendum erit, vllum finem habitura non est hic. Vide ergò, qua gaudeas quiete. G. Quietem optatam reperi, R. Quietem dicis, an accubitum vis dicere, an somnum? quē mortis consanguineū poëtæ quidã, alij mortis imaginē dixêre. Vtriq; perpropriè. G. Dormio, &

mio,& quiesco. *R.A.* At qui & euntes sæpe animo quiescunt,& sedentes iacentesque animo laborãt. Et somnus ipse animalium quies dictus, suos habet abditos dolores, visionumq; ac phantasmatũ turbidos tumultus,atque horribiles, de quo Deũ familiariter alloquens sanctus, & afflictus vir ille queritur. *G.AV.* Otiosus in thalamo requiesco. *R.A.* Vter,quæso,putas dulciùs quiesceret,an Vacia suo in rure dormiens,an Scipio in Africa cum hostibus pugnans? Cato cum anguibus Regulus cum vtrisque? Nec quies sine gaudio,nec sine virtute verum gaudium esse potest. *G.AV.* Relectis laboribus grato recreor sopore. *R.A.* Labor est materia virtutis,& gloriæ: hunc qui reiicit illas reiicit. Contrà,vitij,& infamiæ materia sopor est nimius, qui multos ad perpetuum soporem vrget, atque præcipitat. Fouet ille libidinem, corpora prægrauat,eneruat animos,fuscat ingenia, scientiam minuit memoriam extinguit,parit obliuionem. Non sine causa insomnes industriique laudantur,Somno non laudatos cernimus,sed inflatos. Proinde vt somnum quidam mortem dicunt, sic vitam alij dixêre vigiliam. Inter mortem verò, & vitam vide quid eligas: vigilandum certè, quod sapientibus placet,ad hoc saltem, vt longior vita sit. *G.AV.* Longo, & minimè interrupto fruor somno. *R.A.* Bene,si non curis mordacibus auaritia, ambitione,metu mœrore,aut amore impio. Malè autem, si non honesti studij cura cuiuspiam sopor abrumpitur. Profectò, populis stertentibus, vigilant reges, sopitoque duces vigilant exercitu, quod & res docet, & Ilias probat Homerica. Nobilioribus animis curæ vigiles impendent sed sobriæ ac salubres. Augustum Cæsarem principum maximum atque optimum, somni breuis ac

cepimus, eiúsque etiam crebriùs interrupti. Tu contrario gloriaris. *G. AV.* Profundè dormio. *R. A.* Et guloſi & libidinoſi, & iracundi, brutis animantibus, viuis tamen, ſomnolenti ac ſopiti, duntaxat mortuis comparantur, & quod ad illam partem temporis attinet, nihil differre felices à miſeris, philoſophicam ſcis eſſe ſententiam. Iure igitur, vt pars illa pro viribus euitanda, quæ ſolam inter homines differentiam ſomniorum linquit, ſic ſectanda contraria eſt, nil difficultatis allatura volentibus. Si pro leui enim gloria, aut lucro exiguo, & bellatores, & mercatores, & nautæ totis ſub dio noctibus peruigilant, illi quidem inter hoſtium inſidias, hi quoliber hoſte peiores, inter fluctus, ac ſcopulos, tu propter veram gloriam, lucrúmque ingens, inter Dei laudes, ac libellos tuos partem noctium vigilare non poteris? *G. AV.* Vigiliis defeſſus ſomno totus incubui. *R. A.* Sic eſt: non mutatis ſtilum: cuncta ferè vno modo agitis, & quæ Deus ipſe, vel natura, vel ars aliqua vobis ad obſequium dedit, in veſtrum dedecus damnumque conuertitis, potum cibumque ad ebrietatem, & crapulam, otium & quietem ad ſomnolentiam, & marcorem, valetudinem ad voluptates, formam corporis ad libidinem, robur ad iniurias, ingenium ad fraudes, ſcientiam ad ſuperbiam, eloquentiam ad diſcrimen, domicilium, ac veſtitum ad pompam inanemque iactantiam, opes ad auaritiam & luxum, prolem & coniugium ad metum & ſollicitudinem immortalem. Ite nunc ſtupete, & querimini de fortuna, & malis veſtris ingemiſcite: de bonis mala facitis, deque cœleſtibus donis, compedes vobis, ac laqueos, & vincula animæ conflatis. *G.* Somno placido delector. *R.* At non modò reges, & duces, & principes, & Philoſophi

sophi, & poëtæ: insuper & familiarum patres vigilant ac nocte consurgunt, quod ad sanitatem atque œconomiam, & philosophiam vtile ait Aristoteles. Sed fures etiam, & insidiatores [quodque est mirabilius] insani, & amatores quos suarum mulierculârum memoria, & desiderium excitat: tu verò non virtutis amore somnum oderis, vitiis amicum? vtque elegantèr ait Flaccus,

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones.
Vt teipsum serues, non expergiscere?

Pudeat semper tantùm in vobis posse turpes causas, & nil posse pulcherrimas. G. Nullo vnquam interpellante, totis noctibus quiesco. R. Videtur quidem Aristoteles, quod superiùs attigi, ita vitam hominis partiri, vt dimidiam partem somno tribuat, dimidiamque vigiliæ, dum pro parte dimidia non differre studiosi vitam ait à stulti vita. Et siquidem pro somno noctem, pro vigilia diem vult intelligi: recta, fateor, ac vera est diuisio: æquis enim partibus tempus inter sese diuidunt. At si sic accipitur, æquas spatio inter partes, differentia certè alia ingens est. Nulla enim acrior, nulla altior cogitatio est, quàm nocturna, nulla pars temporis studentibus aptior. Si autem somnum ipsum dimidiam tẽporis partem dicit, mirabile dictum est, ex ore tam studiosi, tam docti hominis. Absit enim ab anima bene instituta, & studiis intenta, dimidium tẽporis dormire: cùm quartum suffecerit quibusdã & tertium voluptuosis quoque sufficiat. Noctu quidem surgere qualibet anni parte consilium est. Absit vt noctẽ, non hybernam modò: sed æstiuam totã dormiant, qui grande aliquid moliũtur. Cęterũ semel illã fregisse sufficiet fortassis, quodque vigiliarum anticipatum erit breui [si res poscat] meridiana vi-

ciſſitudine reſtaurari poteſt. At brumalis horæ noctis ſæpius rumpendæ, pſallendum, ſtudendum, legendum, ſcribendum, cogitandum, contemplandum, quærendum ingenio noui aliquid ſemper, & quod ſtudio quæſitum fuerit, memoria repetendum. Audiendus quoque Hieron. ad Euſtochium ſcribens, Noctib. bis, terq; ſurgendum, inquit, reuoluenda de Scripturis, quæ memoriter retinemus. Denique his ſtudiis fatigati oculi, alterno ſopore recreandi, & breui quiete recreati alterno exercitio fatigandi erunt, ne totis noctibus dormiendo, culcitræ incumbendo, ſepulta cadauera videamini; motu crebro atque honeſto vos viuos, & virtuti deditos comprobate.

De Suaui odore. DIAL. XXII.

Quàm gratos, moriens tumulo exhalabis odores,
Gratus odor tineis putre cadauer eris.

GAV.

SVauibus delector odoribus. R. A. Hi vel victui, vel veſtitui ſubſeruiunt, de quibus quid ſentiã audiuiſti. GAV. Odoribus ſtudeo. R. A. Odorũ alij gulam, alij libidinem irritant. Horum appetitus incontinentiæ notam ſubit, & præſertim vehemens. Alij propter ſeipſos expetuntur. Horum ſtudium non turpitudinis nempe, ſed vanitatis arguitur. Vnde eſt vt muliebrium vnguentorum odor, aut dapum, quàm florum turpior, ac pomorũ ſit. Eadem ratio eſt earum delectationum quæ auribus oculiſque percipiuntur. Si vnquam Ethicis applicuiſti animum, noſti hæc, neque te nunc doceo, ſed notæ veritatis ad memoriam retraho, vt huius generis oblectamenta videas, vel fœda eſſe, vel leuia, G. Odoribus operam do. R. Bonæ vtinam famæ, cuius odor bonus quoque dicitur, malúſq;

maior

maior multò latiúsque sensibilis, quàm aromatum, si terantur, aut sulphurum, si crementur. De his odoribus non nares, sed mens iudicat. *GAV.* Bonis odoribus delector. *R.A.* Si sensui pares, & voluptati inhias, vt dictum est, aut obscœnum, aut inane. Si valetudinis curam geris: excusabile; modò condimentum rerum omnium modus adsit. Confortat enim tabescentem spiritum odor leuis, sed ad omnia valet illud Comicum: Nequid nimis. Est autem [vt in multis] in hoc quoque naturarum varietas infinita, non solùm inter hominem atque hominem, sed inter gentem & gentem. Siquidem vera fama est, quámque magni non respuunt authores, gens, quæ Gangis fontem accolit, omnis cibi expers, solo mali syluestris odore alitur, peregrè profecturi, nil, nisi bonum illud malum, ac vitale circumferunt, tam fœtoris impatientes, vt sicut eos purus nutrit, sic infectus odor interimat. Delicata complexio, quæ sic viuat, & pereat. Hinc gens omnis ad ortum solis obuersa, cœlique mollitie delinita, vt ciborum negligentior, sic egentior, atque appetentior est odorum, & inde nimirum hæc primùm curiositas nos inuasit. Assyrij, Arabes, & Sabei vestris armis edomiti, suis vos odoribus domuêre, quibus aliquandiu rigida patrum & inuicta sobrietas obstitit vsque adeò, vt quingentesimo & sexagesimo quinto anno vrbis conditæ graui edicto à censoribus cauerétur, ne quis in vrbem ipsam vnguenta externa conueheret. Non multò autem post, modernorum vitiis [vt assolet] veterum scita rumpentibus, in senatum ipsum, edicti talis authorem, victrix lasciuia penetrauit. *GAV.* Libenter bene oleo. *R.A.* Peregrini odores, atque omne artificium bene olẽdi, proprij naturalis, nõ boni odoris argumenta, & la-

rentium sunt signa defectuum. Ob hoc ipsum, atque ob illam, nedum viro, sed ne honesta quidem fœmina digna curam, solitam sensum viri fortis offendere. Meministi adolescentis illius, qui dum, vt erat vnguento illitus, pro collata præfectura Vespasiano principi gratias acturus ante eum staret, ille, hausto mox odore, substomachans, acri supercilio, voce aspera; Mallem, inquit, allium obo-leuisses; sic increpitum sine honore, inhibitis, seu rescissis iam concessæ gratiæ literis, bene olidum dimisit. Ita cùm semper dedecori sint odores huiusmodi, interdum etiam damno sunt, maximè vbi morum grauis, ac masculus censor sit. Quid? quòd quibusdam fuêre periculo. Nam & illud nosti, vt Plantius Senatorij vir ordinis, triumuirali proscriptione, metu mortis Salernitanis latebris abditus, vnguenti proditus odore, sibi quidem perniciem, proscriptoribus autem suis excusationem sæuitiæ quæsiuit. Nam quis non iure cæsum diceret eum, qui eo tempore Reip. tantoque priuato discrimine vnguenta etiam nunc oleret? G. Artificiosis odoribus assueui. R. Desuesce, si consilium meum vis. Turpius est enim artificiosis quàm simplicibus assueuisse. Omne quod turpe est, quo artificiosius, eò fit turpius. Honestatis ornamentum ars, inhonestatis est cumulus. Adde quod & fœdius hodie quàm olim: quamuis enim Roma [vt dixi] & quam Græcorum Romam propè dixerim, Lacedæmon, huic pesti ex Asia venienti, quasi armatæ hostium legioni, ferreis moribus, atque edictis obstiterint, ad extremum tamen molles vnguentorum simulque vitiorum acies fefellit excubias, in Europam transiit, & fortissimas gentes vicit. Et quoniam singula prosequi longum est; ex vnius asperrimi, atque laboriosissimi viri mollita

lita duritie, de reliquis coniecturam facito. Siquidem in medio bellorum æstu ille inuictus, ac barbarus, cruento cum exercitu victus est Annibal. Penetrabilia vnguenta, sed penetrabiliora sunt vitia. Itaque eneruati ducis ac militum, quorum tam stupenda primordia fuerant, qualem decuit exitus fuit. Quo effectum est vt cùm multùm Africani semper virtutibus, Annibalis tamen vnguentis aliquid deberetis: expediebat illis vt sicci essent, vobis vt vngerentur. Ex illo sanè multis sæculis sic iste mos inualuit, vt labor stupórque sit legere, quæ de hac re in vtriusque literis scripta sunt. Et quid pluribus morer? vsque ad illius pedes, quò nil altius, vnguentum venit, quod ipse qui omnem mollitiem animorum atque omnes illecebras voluptatum extincturus ad uenerat, passus est non vnguento quidem, sed pietate delectatus, ac lachrymis offerentis. Iam verò pedetentim vsus hic abiit, vt cùm in multis ætas vestra maiorum gloriæ impar sit, in hoc excellere videatur, quòd vnguentaria non est, & qui his capitur, non communi temporum, sed proprio quodam animi vitio laborat. G V. Bonis odoribus illicior & delector. R V. Fieri non potest, quin quæ delectabilia sunt natura & illiciant, & dum præsentia sunt, delectent. Sapientis Hebręi dictum est; Vnguento & variis odoribus delectatur cor, quãuis vnguento quidem non tam mihi delectatio videatur inesse, quàm fastidium. Sed vt insit odoribus, meo certè consilio absentibus restituendum, contemptu & obliuione præsentibus vtendum modicè, neque vllum his studium impendendum, ne te, vel tacitus vltimarum, viliumq; rerum mancipium fateare. Néue hunc articulum longiùs traham, inhonestis odoribus, vt rebus omnib.

virilem effœminantibus animum, vetitis, ac seclusis, in reliquis Augustini sententiam amplector, qui de illecebra odorum inquit: Nō satago nimis, cùm absunt, non requiro, cū adsunt, nō respuo; paratus eis semper carere. Idē fac ne quādo bonis odorib. malè oleas, aut odiosis mūditiis odiosus sis.

De Dulcedine Musica. DIAL. XXIII.

Enervant animos Cytharæ, Camúsque, Lyræque,
Et vox, & numeris brachia mota suis.

GAV.

CAntu delector, ac fidibus. RA. Ah quantō melius lachrymis atque suspiriis! Præstat enim flendo ad gaudium, quàm gaudendo ad gemitum peruenire. GAV. Cantibus, sonisque per mulceor. RA. Et ferę cantu falluntur, & volucres, illud mirabilius; musica quoque dulcedine pisces tangi. Nota tibi Arionis, & Delphinis est fabella; tam pro vera habita, vt ipsis annalibus sit inserta. Multi quidem scriptorum illustrium meminêre miraculi; elegantiùs nemo quā Herodotus, Graiæ pater historiæ: astipulantur imagines æneæ, illic, vbi tāto pariculo incolumis primùm terris appulsus est, natantis piscis tergo insidens fidicen. Ad hæc Syrenes cantu fallere creduntur, illud verò nō creditum, sed cōpertum, vt quotidie blādis verbis homo hominem fallit: & ad summam, nihil ad fallendum voce aptius. G. Musica suauitate delinior. RA. Et aranea [vt aiunt] antequā mordeat, & medicus linit antequàm feriat, & auceps, & mulier, quem fallere vult, delinit; & prędo, quem perimit, & Polypus, quem demergit, amplectitur. Et quidē pessimi hominum nūquam terribiliores sunt, quā dum se gestu, & voce leniſſimos ostendunt, quod imprimis de Domitiano principe lectum est. Vix

vlla

vlla est sine suscipione delinitio. *GAV*. Cãtu gaudeo, & exaltor. *R A*. Caue. Nam scriptum est: Extrema gaudij luctus occupat: & rursus: Ante ruinam exaltabitur spiritus. *G*. Cano dulciter. *R*. Nescis an vltimum. Ipse prædulciter morti proximus olor canit. Plures enim gaudio, quàm tristitia perière: solito dulciùs canentem inter ipsa soni suspiria expirasse, recens fama est. *G*. Cantu ac tibiis delector. *R*. Non immeritò quidem. Singuli enim dies te, & horæ, & momenta ad sepulchrum vehunt, quò cum cantu ferri, vester etiam mos est: & antiqui tibiis efferebantur. Vnde illud Statij Pampinij:

Tibia cui teneros ossa sueta producere manes.

Tibi vtraque funeris pompa placet, illuc [te sineetire non sentias] absque vlla requie properanti. *G*. Cantu moueor. *R*. At quid refert? Est haud dubiè in animis hominum, generosis maximè, potentissima musica; sed effectus supra fidẽ varij: vtque omittam, quibus res non eget, hos ad lætitiam inanem, hos ad sanctum & deuotum gaudium, piásq; nonnunquam lachrymas mouet. Quæ varietas in diuersas sententias magna traxit ingenia. Nempe Athanasius, vanitates fugiens, canendi vsum in Ecclesiis interdixit. Ambrosius pietatis exercitum appetens, vt caneretur, instituit, Augustinus vtrũque se passum, & difficile hinc sibi negotium dubietatis exortum, inter confessiones suas piè meminit. *G*. Delectat canere. *R*. Graia olim delectatio, nũc & vestra. Apud illos quidẽ cãtus, ac fidiũ ignarus quisquis esset, indoctus habebatur: quod Themistocli Attico, Græcorum clarissimo, eo q̃ lyrã in epulis recusasset, accidisse: Epaminõdã vere The-

banum, hanc fortassis infamiam declinantem, præ clarè fidibus cecinisse author est Cicero. Mirum, & Socrates, talis senex fidibus operam dedit: ne miremur Alcibiadem ab auunculo Pericle tibiæ studio traditum, apud illos honestissimo, vt, inter liberales artes, hanc quoque condisceret. Sed verecundum pueri laudemus ingenium, qui cùm ab insigni tibicine, ad id ipsum accito, oblatas tibias ori applicuisset, & collecto spiritu genas inflasset, animaduersa deformitate vultus, erubuit, atque abiectas tibias aspernatus fregit, meruitque, licet tenera ætas exemplo esse, vt totius populi consensu tunc Athenis tibiarum vsus obsoleseceret. Ad vos, si non illud ardens musicę studium peruenerit, omnium principum mentes occupaturum: occupauit tamen aliquorum animos, pessimorum maximè. Caius quippe cantandi studiosissimus, saltandique fuit. Nero quantùm citharæ studio deditus fuerit, & quantam curam vocis habuerit, incredibile dictu est. Id enim stultum est, penitusque ridiculum, quòd nocte illa, quæ sibi vitæ vltima, mundo autem respirandi vel modicum, prima fuit, inter querelas quas vicina mors, & præsens metus dolorque dictabant, illud crebriùs, atque miserabiliùs defleuit, non quòd tantus princeps, sed quòd tantus musicus periret. Mitto alios: ad hanc vestram, quæ nunc agitur, ætatem, licet paratior, venit tamẽ aurium voluptas, qua castè, ac sobriè delectari, humanitas quædam; capi autem, & molliter inuiscari, vanitas multa est. *G.A.* Suauibus vocum modis cum delectatione detineor. *R.A.* O si audires sanctorum suspiria! O si hinc aures tuas damnatorum gemitus, & lamenta percellerent! Hinc beatorum iubilus, & cantus angelici, atq; illa cœlestis harmonia [quã Pythagoras ponit,

Aristoteles euertit, Cicero noster instaurat, tibi autem pietas, fidésque suggerit esse ibi perpetuas ac prædulces voces, & si non cœlorum, at cœlestium incolarum, primam illam, & æternam causam, sine fine laudantium, Si hæc, inquam, omnia tuis auribus inferrentur, quàm clarè discerneres, quis concentus dulcior, quísve salubrior? Nunc surdo sensui soni iudicium committis, de quo hactenus, parua quidem res nonnullis fortè videbitur, magnos tamen viros exercuit. Nec sine causa diuini Plato vir ingenij, musicam arbitratus est ad statum, siue correctionem morum Reip. pertinere.

De Choreis. DIAL. XXIV.

Conuincunt mollem spectata tripudia mentem,
Illelocus casto sæpe pudore vacat.

GAV.

CHoreis gaudeo. *R.* Mirabar nisi fidium cantus, & tibiæ choreas suscitarent & præscripto de more, vanitatem vanitas sequeretur, verùm maior, multóque deformior. Ex cantu enim dulcedo aliqua, & sæpe vtilis, ac sancta percipitur, ex choreis nihil vnquam, nisi libidinosum, ac inane spectaculum, honestis inuisum oculis, viro indignum. *G.* Choreis cupidè interfum. *R.* Corpus animum tegit, ac detegit, manuum iactatio, pes mobilis, oculus vagus, ac petulãs, tale aliquid arguunt in animo esse, qui non cernitur. Itaque cauendum valde est modestiæ cultoribus, ne quid effœminatum agant, aut loquantur. Occulti enim affectus, & pectorũ latebræ sæpe paruis indiciis patescũt, motus, sessio, accubit⁹, gest⁹, risus, incessus, sermo, signa sũt animi. *G.* Dulcedinẽ quãdã ex cho-

reis capio. R. A. O dulcedo ridicula! Finge enim te choream ducere, vel cernere, neque tibicinem audire, atque ita ſtultas mulierculas, & viros, mulierculis molliores, in ſilentio circumferri, redire, ineptire: quid quæſo vnquam abſurdius, aut delirantius vidiſti? Nunc motus inconditos, lyræ ſonus, aut tibiæ, hoc eſt, amentia vna aliam tegit. G. AV. Choreis delector. R. A. Non tam ibi delectatio præſens eſt quàm ſperatæ delectationis auſpicium: Veneris præludium illud quidem; ſono ſtupidas ac miſellas circumducere, atque vrgere, & ſtringere, ac ſpecie vrbanitatis atterere: liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant voces, pedum ſtrepitus, & multorum cantus diſſoni, & tubarum clangor, concurſatio, & puluis, &, quæ ſæpe ludis additur hoſtis pudicitiæ, & amica ſcelerum nox ipſa. Hæc ſunt, quæ timorem, ac pudorem pellunt; hi ſunt libidinum ſtimuli; hæc laxamenta licentiæ. Et hæc eſt, ne me falli facilem putes, illa delectatio, quam ſimpliciter, & velut innocuè, choreárum appellatione profitemini, & ludi tegmine, crimen obnubitis. Etſi enim ſolos inter viros, ſeu ſolas inter fœminas hæc nonnunquam fiant; illic tamen ſeparatim exercentur. Quídve, congreſſi iterum acturi ſint, ſimul diſcunt; ceu diſcipuli, qui magiſtro abſente, quid, eo reuerſo, loqui debeant, meditantur. Tolle radicitùs hanc ſpeciem ingenioſam, atque improbam: tolle libidinem ſuſtuleris & choream. Crede mihi, cum Dauid rege, nemo ante dominum ſaltabit, ne quem fortè ſua vxor irrideat; cùm tamen nullus irrideatur ante dominam ſaltans, ſiue etiam pandurizans. G. AV. Delectabiles ſunt choreæ. R. A. Sententiam meam tenes. Si delectant, propter aliud delectant: per ſe enim tota quidem inſul-

insulsa res est, & plus tædij allatura, quàm gaudij. Nam, quid omnino est aliud, in gyrum volui, quàm excire vertiginem, sineque termino viam ire inter locales septem motus, quos Plato dinumerat, hos. s. ante, retro, dextrorsum, siniſtrorsum, surſum, deorsum, ac circuitum? solus septimus infinitus est. Atque hunc ideò, quæ perpetua sunt; hoc est, cœlum, seruat, & sydera; hunc in terris perpetuus hominum agit furor, in cunctis ferè actibus, atque consiliis. Nec vllus Orpheus Ixioneam rotam siſtit; sed visibilibus in choreis, vbi animorum volubilitas corpora secum voluit. Et idcircò, cùm de omnibus dici possit, de his propriè dicitur, quod scriptum est: In circuitu impij ambulant. Hic ludus multorum dedecorum causa fuit. Sæpe ibi matrona diu seruatum decus perdidit. Sæpe infelix virguncula ipso nuptiali die didicit quòd meliùs ignorasset. G. Honesto tripudio libenter exerceor. R. Vellem aliud genus exercitij delegisses. Sed quò pergas, & quid velis, video, interdictum tolli, veniam dari, normamque præscribi. Quando igitur sic affectus es, seu is morbus, seu consuetudo est, qua mala, nihil peius; bona, nihil est melius: ea tibi in his omnibus lex erit, vt quibus carere penitùs non potes, modestissimè vtaris, ac rarissimè, ne quid vlla in re molle, vel fœmineum agas, sed vbique, non suis etiam in finibus, virilis rigor emineat, sitque tripudium, vel quisquis erit is ludus, fatigati animi relaxatio, & exercitium corporis, non voluptas eneruatrix mentium. Exemplo libentiùs abstinuissem: summorum virorum imitatio non omnibus tuta est. Non omne pennatum animal, aquilam sequi potest. Imitatorum alij contrariũ faciunt, alij verò aliud, nõnulli

idem aliter. Pauci ad plenum, quod imitantur, effingunt. Cato hic vltimus, Reip. curis pressum animum vino leuare solitus fertur. Fecit idem apud Græcos Solon. Hos aliquis sequi volens, vnum semper officium aget; bibet: quodque illis modicum, ac rarum, huic immensum, & continuum: quod illis remedium, huic erit ebrietas. Facilè idem in rebus aliis posset ostendi; sed hoc vnum intelligis, quid est, quod nunc tecum verear? Ex quo tamen damnatæ rei patrocinium vt susciperem, coëgisti, summi viri exemplum, quod vel non sequaris, vel non mutes, accipe his ipsis, quibus apud Senecam est, verbis, in eo libro, in quo tranquillitatem animi, stilo inquirit: Scipio, inquit, triumphale illud, & militare corpus mouet ad numeros, non molliter se infringens, vt nunc mos est, etiam in incessu ipso, vltra muliebrem mollitiem fluentibus, sed vt antiqui illi viri solebant, inter lusum, ac festa tempora, virilem in modum, tripudiare: non facturi detrimentum, etiam si ab hostibus suis spectarentur. Quibus in verbis, quid de sua iam tunc ætate sentiret, perspicis. Felix, qui non vidit tuam: quamuis autem ille, & tripudij & vini remissionem probet; veniendumque nonnunquam vsque ad ebrietatem dicat. Quod à tam rigido ingenio dictum miror: Si fideli consilio vti vis, vino parcè vtere, tripudio abstine. Alia sunt honesticora remissionum genera, quibus fastidienti, fessoque animo medeare; in omnibus tamen optimum fuerit, quod hic vltimum dixit, attendere: & quæcunque ages, ita agere, tanquam te hostes tui videant, atque obseruent. Multò quidem est sarius sic viuere, vt abstinentiam, & grauitatem tuam inimici stupeant; quàm vt lasciuiam amici excusent,

excuſent. Clarior fama eſt, cui nec verum crimen obiicere quiſquam poteſt nec falſum audet, quàm cui obiicitur, ſed purgatur. Accuſatorem perfecta virtus exterret, mediocris irritat. Quod ad ſobrietatem attinet, malim te Cæſari ſimilem, quẽ vini parciſſimum, ne inimici quidem negauerint. [vt Trãquillus ait] quàm Catoni [non Cenſoriũ illum ſenem loquor, de cuius ſobrietate iam diximus] ſed Vticenſem, cui obiectam ebrietatem, Seneca ſic refellit, vt dicat, faciliùs effecturum, quiſquis obiecit, crimen honeſtum, quàm turpem Catonem. Quod ad id verò, de quo agitur, nullo modò tripudies malim, quàm vt Scipio: quòd ſi te illuc vrget animus, quò nolim, his te ſaltem ducibus vti velim, vt ſi penitùs tibi inſedit illud Lyricum;

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus; &c.

Sic vinum bibas, vt Cato, ſic terram pede pulſes, vt Scipio.

De Pila ludo. DIAL. XXV.

Exerce corpus luſu, non membra fanga;
Nam cunctis debet rebus ineſſe modus.

G. AV.

AT delectat pilæ ludus. *R.* En aliud clamandi ludibrium, ſaltandíque. *G* AV. Libenter pila luſito. *R.* Odioſa vobis [vt videtur] eſt requies, vndíque labores aucupamini; decoros vtinam. Nam ſi exercitio ludus hic quæritur; vtrùm, precor honeſtiorem fatigationem furibunda iactatio, in qua nihil animo geri poteſt, an ambulatio tranquilla præſtaret, vlli, & membrorum motus vtilis, & ingenij agitatio honeſta eſt?

Quem morem, philosophorum quidam sic fecerunt suum, vt hinc secta famosissima nomen sumpserit. An tu verò Dionysium Syracusium, quàm Stagiritem Aristotelem sequi mauis? quando, vt studiosa deambulatione philosophum, sic tyrannum ludo hoc turbido delectari solitum accepimus, quanuis & modestos interdum animos voluptas hæc cœperit. Itaque & quintus Mutius Scævola ille augur elegantissimè hoc ipsum fecit, & diuus Augustus post finem ciuilium bellorum ab exercitiis campestribus ad pilam transiit. Et M. Aurelius Antoninus [vt de eo scribitur] pila lusit apprimè. Nec tamen, vel quia ille diuini, atque humani iuris peritissimus, vel hi doctissimi, atque optimi principes fuerunt, ideò ludus præceps, & clamosus placet. Si quidem motus omnis vehementior, præsertim si clamore permixtus sit, honestum dedecet ingenium.

De Ludo aleæ & calculorum. DIAL. XXVI.

Alicus exosas pellit lusorius horas;
Ludus habet laudem, si moderatus erit.

GAV.

ALeæ ludus, & calculorum placet. R. Damnosum illud, hoc inane, vtroque tamen idem ille Scævola, quódque altius, Augustus Cæsar altero vti solitus fertur. Neque rursus, ideò, quòd ille à ceremoniis Deorum, atque hominum legibus, quas excellentissimè calluit, iste à curis summi imperij, quod diutissimè, atque optimè rexit, tale sibi interdum laboris diuerticulum elegisset, hoc in te probauerim. Sunt enim & doctis ac magnis viris appetitus quidam peregrini, & sui, quorum si, vt in doctrinis, sic in moribus imitator fueris, facilè labi queas: neque enim omnium, qui laudantur, laude digna sunt omnia.

omnia. *G.* Aleæ ludo delector. *R.* Quis non delectetur, supra pictam tabulam, consignatas numeris ossium quadraturas, crispanti cubito iactare, quáque ille direxerit, trepidantibus digitis, rotundas in aciem tabellas mittere? Glorioſum exercitium & præclarũ nomen, & currus, & laureas meriturum. *G. AV.* Calculis libens ludo. *R.* O puerile ſtudium! O perditum tempus! O curæ ſuperuacuæ! O ineptiſſimi clamores, ſtulta gaudia, iræque ridiculæ; deliros ſenes impendere alueolo; & pauculis lignis vagis, ac furtim inſidiantibus, atque latrocinantibus! Vnde latruncularius ludus apud veteres dicebatur, quo luſiſſe Simiam, author eſt Plinius. Miraris? Atqui propriè ludus eſt Simiæ, miſcere calculos ac transferre, & poſt illidere, raptim iactare manus ac trahere inſultare aduerſario, & colliſis dentib. minari. iraſci, altercari, fremere, viciſſimq; interim [vt Flacci verbo vtar] caput ſcalpere, vngues rodere, & ad ſummam, omnia facere, quæ prætereuntibus riſum excutiant. Nunquid enim horum aliquid, aut vllum penitus amentiæ genus omittitis? Nonne ita torquemini, quaſi, vel veſtra, vel publica ſalus in dubio ſit? Multi, credo, prælio viciſſent, ſi quam ligneis aut eburneis impenderunt curam, veris militibus impendiſſent. Vix rei vllius tam intenſum támque ineptum ſtudium inuenias. Sed hoc eſt in regno ſtultitiæ commune, vt quarũ rerum minor eſt fructus, & cupiditas & delectatio maior ſit. *G.* Alea delector. *R.* Oſtendam tibi ſi conſilio vti voles generoſam atque honeſtam aleam, qua olim Athenis docti homines vſi ſunt, vt feſtis, ſcilicet diebus in concilio amicorum quiſque de literis aliquid in medium proferat, non ſophiſma lubricum, vt illi, ſed ſolidum, pro in-

genio proferentis, ad virtutem, aut beatam vitam pertinens. Dehinc collatione facta, sine inuidia, sine ira, qui inferiores, doctiorum iudicio vsi erunt, facili quidem multentur pecunia; hoc in philosophicas vertatur cœnas. Sic res vna, conuiuio sumptum: exercitium studio, calcar ingenio ministrabit: quòd hinc victos excitet, hinc victores. Hoc alex genere, quo antiqui Saturnalia, vos pia festa, & quo illi Atticas, vos Romanas noctes instruite. Habes ludum, quo & ludere iuuet & lusisse non pudeat.

De Ludo taxillorum prospero. DIAL. XXVII.

Amittit nummos, animi sed damna lucratur,
Tempus taxillis, qui terit omne suum.

G. AV.

IVuat ad taxillos ludere. R. O voragó ingens, inexplebilis! O patrimoniorum fluxus tristis, ac subitus! O animi tempestas & famæ nubes, & scelerum stimulus, &, ad desperandum via! Superiores, vtcunque ludi sunt, hic merus est dolor. G. At mihi prosper ludi huius euentus fuit. R. Taxillorum nullus euentus prosper: mali omnes, & miseri. Nam, & qui perdit, affligitur, & qui vincit, illicitur, inque insidias protrahitur. G. Prosperè lusi. R. Præsens sæpe prosperitas futuræ calamitatis augurium fuit; & suas hæc pestis habet illecebras. Si qui talis ludunt, omnes perderent, nemo vnquã luderet. Nunc lucrantur aliqui: sed lucrum illud arra est dãni. G. Lusi, & vici. R. Bene; nisi in cã pũ redis. Alioqui nullus cãpus planior: nullo in cã po volubilior est fortuna. G. Lusi, & vici. R. Ludes iterum & perdes. Quod viciſti autem, hinc atque il-

que illinc mille deripient : quod perdideris, nemo restituet. Adde quòd si quid est iustitiæ, quod vincis, non sit tuum. At quod perdis, etsi non fiat alterius, tuum tamen esse desinit. Multa sunt vndique, quæ ab hac insania bonam mentem dehortentur, ac retrahant, nisi vos impetus quidam auaritiâ pulsus vrgeret. *G.* Vici in ludo taxillorum. *R.* Scito autem te ab exactore impio fœdus centesimum accepisse, restitues quod vicisti, & de tuo adiicies, vt non sit, qui repetat, per seipsum euanuerit túque insomnis, felix esse desieris. *GAV.* Vici, & diues factus sum. *RA.* Cùm nulla sit stabilis pecunia, sed sua potiùs rotunditate versatilis; tum præcipuè, quæ taxillis quæritur. Taxillorum ludus nihil vlli donat, eorum maximè, qui familiariùs illum colunt, sed mutuat aliquid, & extorquet, eò semper inimicior, quò blandior visus erat. Nulli enim amarior est iactura, quàm lucri dulcedinem degustare orso. *GAV.* Lusi, & lucratus sum. *R.* Gaudere lucro taxillorum tale est ac si dulci gaudeas veneno. Vtrunque mox per venas erumpet. *GAV.* Ludo prospero delectatus sum. *RA.* Peior est delectatio peccati quàm peccatum ipsum. Sunt qui mala consuetudine penè coacti, peccant; neque post peccatum gaudent; sed tristantur; & si fieri posset, non peccasse maluerint. Quosdam vidimus, inter ipsas libidinum flammas, quandam velut glaciem doloris ac pœnitentiæ sentire; & si dici liceat, velle simul & nolle: peiorem licet in partem mali vsus quadam vi, detortos, quos haud improbè quis speret, vsu excusso, ad meliorem semitam posse conuerti. At, qui de peccato exultant, quid de his oro, reliquum spei est? *GAV.* Delector taxillorum ludo. *R.* Spero fore, ne semper

neu diu etiam delecteris : voluitur assiduè fundatarum status vrbium. Tu stabiles talos putas. Crede mihi, voluentur, & secum in lachrymas gaudium tuum voluent. Neque enim sic voluentur, vt vidisti : tunc inane tibi gaudium, nunc veros gemitus parabunt. *G.* Delectat ludere. *R.* Delectatio funesta, & turpis, corruptique animi. Ita enim, & conuitio dignus es. Nam quis quæso ingenuus, seu quis homo, & non potiùs trux bellua, delectari queat ludi nomine, abundante nequitia, atque impietate fœdissima? Vbi, præter hominum vultus, nil humanum sit, vultúsque ipsi iracundia, ac mœrore obsiti, confusisque clamoribus efferati, nec iã sint humani. Vbi decor nõ morum, non modestia sit verborum, non amor erga homines, non erga Deum reuerentia: sed iurgia, & rancores, & doli, & periuria, & rapinæ: vulnera & extremum, homicidia quoque. Nil in Deum sæuius potest humana temeritas, diuini nominis blasphemiis, quibus, ante omnes scelerum officinas, ille infelix ludus scatet. Vbi, quos fortè tacitos pudor tenet, crebrò tamen suspectantes, quid labiis cordis agant, sciũt ipsi. Quis hunc ludũ verus homo, non dicam tractare manibus, sed spectare oculis possit; & non angi prorsus, fugarique, sceleſti spectaculi fœditate? *G.* Delector tamen hoc ludo. *R.* Vide, ne Cretensium imprecatio in tuum caput inciderit, mala consuetudine delectari, quo nil dictu leuius, nil euentu grauius, propiúsque exitio est. *G.* Delector taxillorum ludo. *R.* Abiicienda est delectatio inhonesta; &, si non virtutis, at saltem famæ studio, & pudoris cura. Nam vix illud in actibus hominum inuenias, vbi tam clarè mores, & vitia detegantur. Vidisti alacriter in prælium descensuros, in hoc ludo tremere, atque

que orare flebiliter, & suum numerum inuocare. Quosdam alibi magnanimos, ac tranquillos, illic, pro parua pecunia, & precari, & irasci, & in finem furere. Quàm multa, pro paucis nummis, sæpe ibi fecerunt viri fortes, quæ, pro ingenti thesauro, alibi non feciſſent? Ibi enim vitiorum omniũ, sed imprimis iræ, atque auaritiæ regnum est. Meministi, vt Naso in eo libro, quo inhonestam quidem, ac superuacuam artem docet, vtile tamen interdum aliquid interserit: Amatrices monet, vt ob animi vitia celanda, ludo hoc, aut simili abstineant, ne conspectæ ira tumidæ, aut auaritia inexhaustæ, amatoribus displiceant suis. Quantò id viris digniùs præcipitur, ne non modò hominum, sed Dei oculos omnia videntis, & bonos animos, moresque ingenuos amantis, offendant? *G.* Lusi, vici, gaudeo. *R.A.* Ludus turpis, damnosa victoria, gaudium inane. *G.* Vici, gaudeo. *R.A.* Omne de suo malo, gaudium stultum est. Proinde Tartareus quispiam ludi huius inuentor fuit: cuius insci ludibrio ac noxæ; scientes verò, miraculo subiaceãt, ac stupori. Nam quid mirabilius quàm quòd veteri prouerbio vulgatum, verúmque iugi experientia deprehenditur? Omnes huiusmodi ludi magistros nudos esse, atque inopes, & egenos.

De Histrionibus. DIAL. XXVIII.

Sunt scurræ fatui, sed vtilis aulica turba;
Dilecti Dominis, quos lenis aura capit.

G A V.

DE lector histrionum iocis. *R.* Nobilior multò delectatio illa est, quæ de modulatione musica, liberali, scilicet, quadam arte percipitur: hæc solius vanitatis, & impudentiæ plena est. *G A V.* Histrionibus delector. *R.A.* Malim pau-

peribus, malim amicis humilibus, malim tandem solitudine delecteris. G. At Histriones mihi risum mouent. R. Quid tu illis? quoties de se dominum ridentem risit Histrio? quoties se mirantis amentiam admiratus, finxit aliquid, quo falsò illum, verè se autem delectaret? G. Histriones doctos habeo. R. Habes de quibus rideas, quique te rideant, & te rodant. Pestis diuitum peruetusta; quæ ab Ethruscis orta, Romæ creuit, adeò, eóque fiduciæ est euecta, vt Æsopus hinc quæsitum patrimonium incredibile, atque immensum, filio dimiserit: & Roscius vagam, sparsamque rem, arte collegerit, de Histrionica librum scribens, in quo artem suam oratoriæ, séque perinde Ciceroni æquare non erubuit: eam, scilicet, ob causam, quòd affectus animi, conceptúsque abditos, quos Cicero verbis ornatis variè pronunciaret, ipse alio modo, sed effectu pari, gestibus aptis exprimeret. Et sanè fuit ille mirus artifex; nec scio, quid tam durum esse, vel tam triste potuerit, quod non facilè leniisset; non dico, qui facillimi, atque mitissimi Ciceronis amicitiam ingenio meruit, dignúsque, pro quo tantus orator verba faceret, & de quo scriptum opus, memoriæ posterorum traderet, est habitus: sed qui tetricum, ac superbum Syllæ animum inflexit, & ab illo omnium contemptore admissus in gratiam, annulóque aureo donatus est, qui tot graues, & seueros senes, senatúmque illum, per quem frena orbis agebantur, quoties voluit, ad risum, ac lætitiam coegit; qui populum Romanum, tantum & tam varium, sic illexit, vt diurnum salarium de Publico mille denarios, sine gregalibus, ac ministris, solus ipse perciperet. Magna merces, quamuis exigua fingatur moneta: nõ sine mira quadam, & insolita agilitate animi hoc

fieri posse consenserim, vt si quis vsquam Roscius affuerit, non tibi fortè sit vetitum, quod Ciceroni licitum fuit; non solum ludis interdum, sed familiaritate eius, & ingenio vti. Est enim ingeniis inter se quanquam studio & professione distantibus, multa cognatio. Vbi verò hunc quærimus? multùm breui tempore nobilissimæ artium retro cessêre, ne dicam histrioniam, quæ eò rediit vt nunc illi deditos, corrupto gustu, falsoque iudicio esse non sit dubium: profectò enim consequens est, vt quibus mala bene sapiunt, bona illis ignota sint, & curis nobilibus insuetos esse, qui vilibus delectantur. *G.* Multi quotidie me frequentant histriones. *R.* Frequentare te desinent, quum tu dues, aut largus [dicam rectiùs] quum tu stultus, & prodigus esse desieris. *GAV.* Magna mihi acies histrionum est. *R.* Immò muscarum, quæ te vnctum comitentur, siccúmque destituant: nec destituisse sufficerit, nisi hunc plausum par sequatur infamia. Sunt linguæ, quibus quies, ac silentium, pœna est: nunquam verò, nisi de aliis loqui iuuat, aut falsò laudant aut liuidè detrahunt; & quorum nequeant mordere diuitias, famam mordent. Vna est histrionum, atque parasitorum lex, vtriq; blanditiis armati, post fortunam eunt. Verum illis ventrẽ impleſſe satis est. His alia fames cibi mẽtio, iniurię genus est: implenda cupiditas, fundo carens.

De Ludo palæstrarum. DIAL. XXIX.

Et lucta, & cursu, saltu, & certare palæstra,
Hæc bene conueniunt, sed moderata viris.

GAV.

PAlæstricis delector ludis. *R.* Si spectator vanus; si luctator insanus. *G.* Palæstricis exercitiis vaco. *R.A.* In singulis verbis, cuius domini mancipium sis, apparet. Nempe hæc, vt su-

periora, corpori seruiunt, quod, vt paulò antè commemini & aliquantò honestiùs sine impetu & sine strepitu fieri potest. Et est agitatio quædam animi nobilior, quam si nosses, hos corporeos conatus & sperneres, & odisses: sed vos animum, quasi hospitem degenerem, atque inuisum corpus, vt dominum generosum, ac dilectũ colitis: illi seritis, illi metitis, illi aratis. Iure id quidẽ; illud iniustiùs, quòd eò omnia refertis, curáque animi posthabita noctes illi insomnes agitis, illi suspiratis, vota illi facitis, ingenuásque artes illi discitis, illi demum obsequimini, ac seruitis sumptuosissimo dominorum omnium, atque ingratissimo; cui, nec vnquam satis aliquid; nec, si quid aliquando defuerit, vlla vnquam memoria sit accepti: huic tamen tali domino quicquid iusserit, paretis, atque esuriente animo, huic vni non tantùm necessaria, sed superuacua vndique, ac nocitura conuehitis: neque ea solùm quæ ad victum pertinent, ac vestitum, de quibus suo egimus loco: sed quæ ad ludos etiam, variámque libidinem: non videntes, quàm vestris aduersa consiliis ipsa sit veritas, quæ disertissimo Ciceronis ore loquitur: vnde appareat, quòd qui corpus negligit, non se ille, sed fragile caducúmque domicilium; at qui animum, ille sese verè negligit. Neque enim ait, tu is es quem fortuna ista declarat; sed mens cuiusque, is est quisque; non ea figura, quæ digito demonstrari potest. *GAV.* Palæstræ delector exercitio. *R.A.* Quadrigarum feruor, & equorum strepitus, & ardentes rotæ per angustias inoffensæ, & luctantium plausus, atque colliſio, oleum, sudor, puluis mirabilis, sed illa quidem oculorũ, seu aurium, seu narium voluptas, hebetatique sensus indicium ingens: qui, si sanus, integérque esset, non

non clamorum, atque tumultuum officinæ, quas palæstras vocant: sed obseruatio diligens palæstræ huius, quam nascentes ingrediuntur, quam viuentes atterunt, vnde digrediuntur obeuntes, atque vtilior quædam, honestiórque suauitas delectaret. G. Studio deditus sum palæstrico. R. Fuit hæc quidem apud veteres non vltima gloria; sed tam magna, vt senì illi Rhodio Diagoræ, qui & ipse palæstrita insignis fuerat, cùm duo vno die filios palæstricis insignitos victoriis conspexissent, quasi nihil clarius iam restaret, quò aspirare posset in vita, Amicus alter Lacedæmonius senex diceret, Morere Diagora: nunc enim in cœlum ascẽsurus es: tam magnum, támque altum censebat, tres simul vnius familiæ palæstritas esse. Leuicula prorsus, & grẹcula verẹ laudis æstimatio, sed cõmunis adeò, vt magna etiam turbaret ingenia. Vnde & Plato tantus philosophus, Olympionices clarus fuit, inque hac arte multis notus euentibus, adolescens tamen. Amplitudo quidem [vnde Platonis nomen ortum putant] robúrque corporis, & ætatis feruor, iuuenilem animum impulerant ad experimentum virium: vbi cùm summis quoque par esset, accessu temporis cognito, quid ageret, ad meliora se transtulit; Socratique similis fieri maluit, quàm Miloni. & sanè multa ætas excusat. Facilè teneris annis ignoscitur. Vanitatis excusatio nulla est viro. G. Palæstre studium delectat. R. In hoc sæpe vilissimus omnium superior fuit, & corporea mole, animi virtus est oppressa. Quem tu mihi ducum vel heroum proferes, quẽ Milo non superet? qui per stadium, bouem viuum gestans humeris, cucurrit, eundémque, nudæ ictu manus occisum, vno die solus, haud grauatim integrum comedit. Mira res dictu, sed apud Histori-

cos vulgata. Quis huic igitur in palæstræ suæ regno par occurrerit? Atqui nihil indignius, quàm generosos spiritus tali belluæ succumbentes cernere & iccircò nobilibus animis, bene sibi fidentibus, summoperè prouidendum est, ne sua sponte descendant, vbi ab ignauissimis vinci queant. Quin tu, si contentionibus gaudes, id tibi sume certamen, in quo semper ferè superior, qui melior non de corporum viribus aut omninò de re vlla, vbi peior idem esse possit, & victor. Non de opibus ergò, non de dignitate, non de potentia, sed de scientia, ac virtute contende, atque eo animo, non vt cuiusquam famæ obstrepas, sed, vt alienæ laudis æmulatio tibi sit calcar ad gloriam, Nullæ ibi sint penitus partes inuidiæ, sed virtutis. Habes & hic exemplum Catonis huius vltimi de quo Crispus: Non diuitiis, inquit, cum diuite, neque de factione cum factioso, sed cum strenuo de virtute, cum modesto de pudore, cum abstinente de innocentia certabat. Honestissimum hoc palæstræ genus, quo te exerceas, non tantùm olympiæ, sed vbique; non minùs in thalamo, quàm in foro, nec minùs in otio, quàm in actu, neque cum præsentibus modò: sed cum absentibus quoque, cúmque ætatum omnium, ac terrarum viris illustribus. Semper enim memorabile, ac magnificum illud Scipionis apud Liuium, iudicaui: Maximo, inquit, cuique id accidere animo certum habeo, vt se, non cum præsentibus modò, sed cum omnis æui claris viris comparet. Tu quoque, vel de grege præsentium, si occurrat, quod vix spero, vel ex omni memoria vetustatis, quemlibet tibi parem delige: cum quo non vlnis, aut cæstibus, sed ingenio, ac virtute luctabere, sine metu peri-

periculi, sed immarcescibilis spe coronæ. Hoc de palæstris consilium: hæc sententia mea est.

De Varijs spectaculis. DIAL. XXX.

Si tauros te tam iuuat expugnare feroces,
Fac contra carnem bellageras propriam.

GAV

DElector variis spectaculis. *R.* Circo forsan, & theatro: quæ duo loca bonis semper aduersa moribus fuisse notissimum; quò, quisquis malus ierit redibit pessimus. Nã bonis, iter illud ignotum est: qui si casu aliquo ignari adeant, contagio non carebunt. *GAV.* Circo delector, atque arena. *RA.* Atqui delectationes aliæ vanum, seu libidinosum aliquid habuere, hæc vtrumque superadditámque sæuitiam, & inhumanitatem habet, bonis animis rem indignam. Neque excusat, quòd iisipsis Romani olim, flos hominum, delectati sunt, recto namque iudicio vrbs illa, alioqui abundantissima bonorum omnium, atque illustrium exemplorum, nihil omnino reprehensibilius habuit, reliquisque deformius, sibique inuicem, quàm hinc discordiarum ciuilium, hinc ludorum studium immodicum: quasi non sufficeret bellorum cruor domi, militiæque; nisi cruenta pax esset, cruentæque etiam voluptates: nisi circo fortassis honestius quis theatrum dixerit, cui pariter inhiantes videas, non modò populum, sed senatum: atque ipsos mundi dominos, imperatores Romanorum. Sic spectaculis capiebantur illi etiam, qui humano generi speculum facti erant. Rem mirabilem dicam, sed cognitam, vulgatámque. Sic cunctorum animos theatralis furor ille peruaserat, vt non modò coniuges Cæsarum, aut filias, sed virgines

quoque vestales in publicum, atque in turbas ēduceret, quarum pudicitia nihil exactius, nihil fama tenerius, nihil conseruatione secretius, vsque adeò, vt in eis omnis motus, omnis cultus, omnis sermo lasciuior nota dignus, ac supplicio haberetur; & tamen his ipsis in theatro locum assignasse legitur non quicunque, sed summus, atq; optimus principum Augustus Cæsar. Neque minor est idcò error quò magni errant, sed maior potiùs, atque conspectior. *GAV.* Libenter scenicos ludos specto. *RA.* Rem, quæ nec honestè geritur, nec honestè cernitur, nec facilè dictu est an lusor infamior, an spectator, & an scena sit turpior, an orchestra, nisi quòd in illam sæpe quidem paupertas, in hanc verò semper vanitas trahit. In omni sanè delicto pluri mùm interest, vtrùm inopia an libidine, seu superbia quis delinquat. *GAV.* Amphitheatri spectaculis oblector. *RA.* Damnosa vndique, & publicè priuatimque nocens delectatio: quod facilè colliges, si in animū redeat ex historiis rei huius initium progressúsque, quanto publici census impendio, quantáque insaniæ proxima ducum cura, quanto demum populi studio, ac labore constiterit. Equidem & tot vana dinumerare difficile est, & tam vulgata superfluum, mille simul gladiatorum paria, non ludo tantùm satis multa, sed prælio: elephantorum, tigridúmque, & leonum, ac pardorum greges, onagrorum quoque, equorúmque ferocium, atque animalium diuersissimi generis è toto orbe transmissos, omnium terrarum syluis, omniumq; gentium venatibus, Romano famulántibus theatro. Adde illam ædificandi luxuriem, exemplo carentem, non imitatione caritura, conuectas terra, pelagoq; marmoreas columnas in ludorū vsum,

& at-

& artificum ſummis ingeniis expolitas, & verticibus ſuperbas, auro rutilante frondentibus; cuius princeps inſaniæ nominandus eſt Scaurus. Is, qui ædilis in theatri ſcenã opus dierum paucorũ, & quod paucis lignis ac funib. attolli poterat, ſuffecturum oculis populi, talibus gaudentis, trecentarum ſexaginta talium columnarum monſtra intulit, fecitq. opus [vt ſcriptũ tenes] maximũ omniũ, quæ vnquã fuere humana manu facta, nõ tẽporanea mora, verùm etiam æternitatis deſtinatione; quo promeruit, vt veriſſimè diceretur, proſcriptione primùm graui ciues; idem poſt, ædilitate leuiſſima, mores bonos, in exilium pepuliſſe, vt qui multi perditi temporis inani plebeculæ, multarũmque inutiliũ impenſarum P.R. author, & exemplum fuit. Sed, ô mirum ducti! mox furorẽ hunc vicêre ſequentiũ furores, quib. effectum eſt, vt miraculo operum, ac numero fateri oporteat, præter Romam nihil mirandum fuiſſe in toto orbe terrarũ. Nam & hoc itidem ſcriptũ vides. Penetrata terræ intima, perfoſſæ filices, egeſtæ rupes abditæ, aduerſi amnes in fiſtulas coacti, incluſum, aut excluſam molibus iratum æquor, ſuſpẽſa iuga montium, tentatíque mariũ receſſus; deniq; ſtratũ latè, ſignatúmque nepotibus iter inſaniendi, & impleta in vobis ſpes auorum, nunquã ſcil. defuturã eſſe luxuriã. Et, vt cumulatius malũ ſit, publicis damnis accidit calamitas priuatorum qui ſpectandi cupidine compediti, & quotidiani interim quæſtus immemores, neque diem labi ſentiunt, neque armatam, tergóque inſtantem reſpiciunt egeſtatem. Sic viciſſim, & priuata in publicam, & publica pernicies in priuatam vertitur. Neque verò patrimoniorum iactura grauior, quã morum; vbi libido diſcitur, humanitáſque dedi-

scitur. Proinde quid de spectaculis sperare tis, iam inde ab exordio, primus regum vestrorum Romulus omen fuit, qui in his rigidam, tetricámque illam Sabinarum pudicitiam circumuenit: etsi vtcunque matrimonij honor, texit iniuriam. At quàm multis hoc postmodum, non ad coniugiũ, sed ad stuprum, vagámque licentiam fuit via? Ad summam enim hoc teneas velim pudicitiam spectaculis sæpe stratam, sempérque impulsam. Et, vt fileam viros, quibus is scelerum furore est vt penè iam adulterio glorientur, multarum ibi fama periit, pudórque: multæ inde domum impudicæ, plures ambiguæ redière: castior autem nulla. Iam verò quæ corporum clades, ne quid prorsus desit infortunij, quæue non singulorum modò, sed populorum strages, indicio sunt, & risus subitò versus in gemitum, relatáque funera theatris, & plaudentium choreis mixtæ lugentium cohortes. Audisti, vt Curio is, qui ciuili bello pro Cæsaris partibus in Aphrica occubuit, Scaurum, quem opibus æquare non poterat, ingenio superaret, non marmoreum [vt ille] sed ligneum theatrum duplex tamen, & pensibile meditatus populum victorem gentium ludis victum & periculis plaudentẽ suis, mira arte suspendit: vt ridentes interiùs, stupentésque ipsi exteriùs, spectatoribus risui fierent, ac stupori. Et miramur, Imperij spe obiecta vnius, licet magni exulis, animũ flectere potuisse, qui oculorum leui breuique voluptate proposita, tot millia ciuium volubili spectaculo circumuoluit? At nemo ibi periit, dicet aliquis: sed perire potuêre, & periêre alibi innumeri. Néue attingam nouas simul ac veteres ruinas, quibus sæpe multi mortem simul, ac tumulum inuenere: sub Tyberio principe, celebri spectaculo apud Fide-

Fidenam vrbem amphitheatri lapsu, oppressa, viginti hominum millia meministi. Hi spectaculorum fructus, hi sunt exitus. *GAV.* Spectaculis cum voluptate detineor. *RA.* Aut fictis amoribus, aut veris odiis. Primum equidem non est viri: secundum verò, nec hominis, spectare. Quis fertum iugulo lætus exceperit? Quis feruido vulnere plus cruoris effuderit? Quis minùs conspecta morte palluerit? Quid crudelitatis ad scholam ire iuuat? Non egetis præceptoribus; nimis dociles malorum estis. Plura per vos domi discitis, quàm necesse est. Quid, si tam promptis ingeniis artifices scelerum, ac magistra errorum, plebs accesserint? Multos; quos mites natura fecerat, sæuitiam spectacula docuêre. Mens hominis in vitium prona, non vrgenda vtique, sed frenanda est; si sibi linquitur, ægrè stabit: si impellitur, præceps ruet. Multùm mali auribus inuehitur, sed multò plus oculis; illis; quasi fenestris, bipatentibus, in animum mors irrumpit: nil potentiùs in memoriam descēdit, quàm quod visu subit; facilè audita præteruolant, conspectarum imagines rerum hærent etiam inuitis: nec tamen nisi volentibus ingerunt, nisi perrarò, atque ocyùs abituræ. Quò pergis igitur? Quis te rapit impetus? vt ad horam gaudeas, vnde semper doleas, vt videas semel, quod vidisse millies pœniteat. Iugulari ferro hominem, aut ferarum dentibus vnguibusque discerpi aut tale aliquid, quod & vigilem turbet, & sopitum terreat. Nescio quid hic dulce, seu non quid potiùs amarum, aut triste sentitis, nec vllum in vobis maius insaniæ argumentum video, quàm quòd quotidie vos ad mortem miseris delinimentis illectos, & velut stygio sopore demersos, dulcedo amara, & delectatio inamœna præcipitat. Vna est enim vobis

lex rerum fermè omnium. Quicquid cupitis, quic quid molimini, quicquid agitis, contra vos est.

De Equo agili. DIALOG. XXXI.

Vtile equus animal sæpe est, sed inutilis vsu:
Cum stulto Domino est forma labore prior.

GAV.

EQuo agili delector. RA. Ferocissimo, & inquietissimo animante, insòmniqúe, & inexpleta voragine. GAV. Equo libens circumuector. RA. Non multò est peius, mari turbido, quàm frementi equo rapi. Nullum animal insolentius domino suo est, nec ineptè iam equorum domitoribus in prouerbium venit bis equum male facere; quòd nimis hinc humilis, hinc superbus sit, qui illis viribus, eaque pernicitate pro vili cibo fieri alterius domariqúe, & duris stringi fasciis, nodisque, & fune vinciri, freno frenari, ferro calciari pertusa clauis vngula; ferro vrgeri, ferratum ferre victorem, turpem carcerem, ac graue seruitium pati possit. Inde autem, quasi indomitus, non tantùm pro libero sese gerat, sed, vt domini sui hostis agat omnia. Si currendum est, stimulos non audit. Si subsistendum, frena mordicùs rapit. Si fremendum, torpet. Si latendum, fremit. Obsequiosum illud [vt perhibent] fidumque animal, de quo tam multæ iactantur fabulæ, animal nobile, regium, optabile, colendum, dignúmque, quod enormi pretio comparetur, anxia nutriatur cura: Immò verò animal, quod, si conferantur cum obsequiis tædia, nemo sapiens emat, nemo diligès pascat animal, & otij impatiens, & laboris illo tu midũ, hoc deiectũ, nunc impetuosũ animal, nunc ignauũ, nunc audax, nunc trepidũ, nunc volatile, nunc caducũ, hinc culicũ metuens, atque vmbrarum-

rum, hinc dominum suum spernens, diuersisque illum viis in discrimen trahens. Quis contumaciam, quis morsus, aut calces explicet? Quis hinnitus, & ascensionis impatientiam, ac sessionis? Equidem, quot equorum mores, totidem equitū constat esse pericula. *GAV.* Equorum studio detineor. *RA.* Mirarer, nisi ingentes viros, vsque ad ludibrium, captos hoc studio meminissem. Quis Alexandrum Macedonem non audiuit amato equo tumulum erexisse, vrbemque de equi nomine appellatam? Sed nihil in illo mirabile viuente, impetus, & animi feruor fecit. Mirabilior in Augusto quāuis minor ineptia, neq; enim vrbem equo ille suo instituit, sed sepulchrum idque ipsum illi grauitati atque ingenio impar fuit. Nam diui Iulij monstrosus sonipes, an ab ipso, an ab alio ante ædē Veneris, marmorea sit consecratus effigie, dubitari potest. Minor multò, vel ætate, vel gloria verùm opibus ac Cæsareo nomine penè æqualis Antoninus Verus. Vt sileā, quem victū quémue amictū equo, quem immodicè amabat, exhibuit; certè & viuenti simulachrū aureū fieri fecit, & mortuo sepulturā [quo grauius stomachemur] in Vaticano extrui, tot inter sacra ossa ibi condita, & condenda. Vix credibilia loquimur, vera tamē. Horū similiūq; cōscius vates, heroum animas apud inferos quoq; equorum studio deditas facit nec minor ideò, sed maior est vanitas, quæ tam magnos ad se animos trahere potēs est. Néue quis priscā tantū, nō modernā amentiā suspicetur, redeat ad memoriā, nec lōgè seu loco, seu tempore requirēdus adhuc enim viuit, nec dū senuit, & in terra Italica vobiscū degit, quem nominare non est necesse fortunæ vtique vir ingentis, nec parui ingenij consiliique vir, alioqui magni animi, nec insulsi, vbi

quid seriò agendum incidit.; qui tamen ægrotanti equo, quem amabat aureum puluinar, ac sericum cubile substrauit. Cumque ipse interim podagra vinctus, atque immobilis, Medicorum legibus regeretur, nihilominùs tamen, aut seruorum vectus manibus, aut equo altero vix iniectus, & suos Medicos secum ducens, equum ægrum suum bis, terque quotidie visitabat, illi suspirans, atque anxius, assidebat, illum leniter manu tractans, blando murmure solabatur. Quid multa? Nullum medicinæ genus intentatum, nil languenti amico debitum prætermissum fuit. Fabulam fortasse posteritas vocet; vera res, & magno in populo nota est. Sic vir fortis curam equi gessit, vt propriam, sic extinctum luxit, vt filium. *GAV.* Delectat equitare. *RA.* Est id quidem vtile interdum, & celeritati adminiculum, & fatigationi remedium, & nobilitatis insigne; nec inficior, gloriosum vulgò extantem insigni equo vehi, & cunctis excellere, nec vertice solo, sed humeris, & toto pene corpore supra esse. Contrà verò laboriosissimus, & sæpe domino suo pestifer immitis equus. Optes iter pedibus agere, tam nulla est respirandi, vel minimùm, facultas, equestre periculum pedestre luto, seu puluere permutatum velis. Proinde multos media de morte rapuerunt equi, multos in mortem impulerunt, aut allisérunt, aut corporibus oppressérunt. Quid, quòd non vltimum belli semen equi sunt? Tolle equos, peregrinos terris incursus, partemque maximam bellicæ cladis abstuleris: vt, quod de ventis in natura, quodque de Iulio Cæsare in historia est quæsitum; expediénsne fuerit, aut flare ventos, aut Cæsarem nasci? & de equis similiter quæri possit. Tam multa sunt vtrinque contraria. Nec immeritò Thes-

tò Thessalia, quæ prima equos reperit, domuitq;, prima aureum, argenteumque nummum cudit, prima pelagus rate tentauit. Martis seminarium visa est; quod non semel, tot post sæculis, multo claroque sanguine patuit. *G AV.* Quàm me, putas, iuuet poëta noster, vbi nobilis equi spiritum, moresque describit? *R A.* Nec te terret Hebræorum vates, vbi ait: Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Excute singula; non tam illud lene, quàm hoc asperum.

De venatu & aucupio. DIALOG. XXXII.

Quid iuuat optandum venatu perdere tempus,
Quærere cùm possis commodiora tibi?

G AV.

AT canibus gaudeo. *R A.* Nunc intelligo adolescentis imberbis gaudium, de quo Flaccus,

Gaudet equis, canibúsque, & aprici gramine campi.

Vide autem ne, & quod sequitur, sis,

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidus, & amata relinquere pernix.

Hunc te.n. esse metuo, qui gaudium tuum in fugacissimis rebus loces. *G AV.* Canibus, ac volucribus delector. *R A.* Hoc insaniæ deerat. Non satis est currere, ac vagari, volare etiam instituis. *G AV.* Rides me; non volabo equidem, sed volantibus delectabor. *R A.* At illæ delectationem tuam despicient abeuntes, nec te noscent, & ingratæ se vocanti surdas exhibebunt, quid implumis facies? Alata voluptas tua est. Finge redeant: damnosa redit occupatio; iterũ clamabis, & oblitus melioris negotij, diem perdes: iterum retrò accliuis, & oculos

fixus in nubem, postauiculam tuam flebis; quasi nil necessarij operis vita ferat, ex commodo otiosi & lenti, vos volucrum seruos esse gloriamini. Natura vobis duas manus fecerat, vos hanc freno curuatis, hanc vnguibus occupatis. Sic inutiles vndique, & volandi studio, manci effecti, ne nihil agere videamini, multo cum strepitu ante diem surgitis, & quasi sint hostes in limine, præcipitanter erumpitis; tota dehinc luce iactamini stagnis, syluis, ac vepribus, implentes cuncta clamoribus dissonis, & incondito vlulatu, inque hoc spiritum, nulli maiori rei habilem, effundentes: spiritum, quo maiores vestri bello terrebant hostes, pace iustitiam defendebant. Serò autem, re veluti bene gesta, domi sedetis altercantes, quàm bene, vel auis hæc volauerit, vel illa digesserit; quot sint caudæ, quot alarum plumæ superstites, quot emissæ. Nonne hæc omnis scientia vestra est? Hic amor, hæc felicitas, & hoc totum, quod creatori Deo, quod altrici patriæ, quod parentibus, quod amicis redditis? Accipitres aut herodios vestros sonantes in nubibus, & laniatæ prædæ paululum & sudorem, & puluerem, nocturnam perditæ lucis historiam. In hac.n. indefessi semper, & validi; delicati autem, & imbecilles ad seria. Liuij historias, & Ciceronis orationes, sacraque [nec pudet] literas, prolixitatis arguitis. Quis hæc inoffensis auribus audiat? Quis vos ferat, ad aliud natos, in his viuere, si modò viuitis, hoc agentes? *G. AV.* Canibus atque auibus delector. *R. A.* Atqui ducum, & illustrium multos equis, quosdam canibus delectari solitos audiuimus, eò vsq;, vt Adrianus Imperator non equis solùm, sicut hi, quos suprà memoraui, sed canibus quoque busta construxerit; oppidumque insuper eo loci, vbi

vbi vrsam prospera venatione peremerat, manu sua, sæpe & mactare solitus leonem: quibus nullum ferè: vnde & irrisum ferunt à Vergilio Marcellinum Augusti nepotem, quòd dare his operam adolescentulus videretur. *GAV.* Venatu libenter exerceor. *RA.* Fuit hæc quondam Latinorum, nunc Gallorum ars propria est; quod & res probat, & illorum scriptores aliqui gloriantur. Itaque vt fileam Reges, quorum tota vita venatio est; summus apud illos regum, quantùm ab armis otij fuit, venatu [vt vides] assiduo semper exercitus, ad extremum morti proximus, venatu etiam lassitudinem senectutis, atque incommoda refouet. Mirum dictu, in rege præsertim literato, nec à studiis melioribus abhorrente: sed gentilitium hoc illi erat [vt perhibent] sitque gentilitium, sinite. Neque hanc gloriam Gallis Itali eripiant, neque velint de vanitate contendere. Nam, si errore depositio, in rem ipsam figis oculos, seminobilium vltimi ordinis exercitium hoc videbis, quos à rebus arduis torpor quidam, & ignauiæ comes diffidentia; ab humilibus autem pudor, ac superbia dehortantur, & retrahunt. Ad honestum igitur nihil idonei; syluas colunt, non vitam solitariam acturi, cui non minùs, quàm politicæ se ineptos sciunt, sed feris, ac canibus, & volucribus conuicturi; quod non facerent, nisi illis similitudine aliqua iuncti essent: qui, si ex hoc voluptatem quandam, seu solam temporis fugam quærunt, vtrinque stulti, voti compotes forsan euaserint. Sin, nescio quam, seu ingenij, seu magnificentiæ gloriam aucupantur, errant. Quænam quæso, non principibus modò, sed ingenuis est gloria, mechanicis, immò & seruilibus delectari artibus

atque negotiis? Vna horum excusatio. Nam qui liberalibus studiis, quæ maiores coluerunt sui, atque omnino literis indixerunt bellum, quonam potiùs, quàm ad hostilia castra transfugerent? Sed pudebit forsitan, si ad antiqua respiciant, seque cum maioribus metiantur, ac comparēt. Sæpe quidem legere potuerunt & Platonem philosophantem, & Homerum poëtantem, & Tullium orantem, & Cæsarem triumphantem, venantem, puto, non legerint.

De numeroso famulatu. DIAL. XXXIII.

Si grauis oblectat te turba domestica, curis:
Non requiem capies, nec bene tutus eris.

GAV.

MAgno circumuehor famulatu. *RA.* Obsideor dicere voluisti. *GAV.* Magnus circunstat ordo famulorum. *RA.* Dic, quod est, hostium: à quibus [quo nihil est durius] neque as cauere, quin latebras domus introspiciāt, prodantque consilia, quæ nouerint, vt effundant, quique, præter furta continua, quod nulli vnquā accidit obsesso, vestiendi tibi interim, pascendique sint, inque ipsis penetralibus habendi. Durum ac dubium belli genus, pace carēs, & induciis; vbi sub tuis signis, hostilis muros habet exercitus. *G.* Serui mihi multi sunt. *R.* Multi serui, multæ lites, multę que discordiæ, multa denique bella domestica, quorum, vel spectator fœdus, vel laboriosus compositor sis oportet. Intérque reos, & accusatores medius, seruis tuis seruias, iudex factus ex domino. *G.* Multos seruos habeo. *R.* Curiosissimū animal seruus ad inquirendum: negligentissimū ad obsequēdū: quid agas, & quid cogites, nosse vult: quid iubeas,

iubeas, ignorare. *G. AV.* Seruos multos habeo. *R.* Meliùs pauci seruiunt, quã multi; siue ideò, quòd gratum obsequium turbam vitat, siue quòd, vbi multi sunt, alter alterius respiciens manus, quiescit: laborem fugere, vt industriis pudor, sic inertibus gloria. Quod ita esse norũt omnes: nullus cõsulit. Nemo est qui non multitudine delectetur. *G.* Mihi multi domi serui sunt. *R.* Vbi serui multi, multus strepitus, pauca seruitia, & secretum nullum. Quot seruorum linguæ tot præconum tubæ, quot seruorum aures, atque oculi, tot domorum rimulæ, quibus illa etiam, quæ in fundo sunt facilè dilabuntur, pertusum vas ac futile, seruilis animus nihil continet. Quicquid infuderis mox effluet. *G.* Multos seruos domi habeo. *R.* Multos sibilos, linguasque vipereas, domesticæque pacis virus abditum, multos quoque profundos, & capaces ventres, ac lubrica guttura, procellam aulæ, thalamo dedecus, pestem penu, voraginémque perpetuam. Paucos seruos bene regere difficile est, multos impossibile. *G.* Multi mihi serui domi sunt. *R.* Meliùs solitudo tibi esset. Nihil est peius, quàm dum malarum qualitatem rerum quantitas adiuuat, aut numerus: pauci serui mali, multi autem pessimi. *G. AV.* Multi mihi seruiunt. *R. A.* Rectè quidem, si promissio, & res ipsa, quæ promittitur, vnum essent. Nunc inter vtranque quid intersit sentiunt experti. Promittunt, fateor, promissisque Deos testes vocant; ne soli, scilicet, solos fallant. Exige autem promissi fidem, nulla erit. Multùm esset, & abundè fidei satisfactum, modò ne violarentur, néve afficerentur iniuriis, quibus est obsequium promissum. Nunc promisisse sat est: quid, quod præter seruiendi votum, omniũ quoq; notitiam profitentur? Vbi ad experientiã ventum

est, norunt paucissima : volunt nihil, nisi quod venter, soporque suaserit ac libido. Nil humilius nilque abiectius horum ingressu, nil insolentius, nilque infidius progressu, nil inimicius demum, nil odiosius eorum egressu. Durum est cogitare [ne dicam pati] vt per dominorum domos inflati, elatique ambulant, seruitiumque polliciti, dominium vsurpant, exercentque tyrannidem, & quasi ad vastandum conducti, non tantùm deuorant vniuersa, sed spargunt, gulamque largitionibus adiuuant. De alieno prodigi, auariſſimi ad rapinam : quos, quando ad se pudor, aut necessitas reflectit, vt se seruos esse meminerint, quã superbè, quam querulè, quantoque cum murmure seruiant, quis ignorat? vt meritò possit, non pretio emptum modò sed gratuitum quoque seruitium huiusmodi fastidiri. Ad extremum, qui clandestinas domi agebant, vbi limen excesserint, cum inuisis dominis apertas inimicitias linguis agunt, armis, si liceat, acturi. Et si quis horum fortassis conuiciis abstinet; non id prioris amor domini, sed sequentis timor efficit, cui ob hoc vilis, suspectusque fieri metuit, de se similia coniectanti. Quibus ex rebus, nisi oculos timor obstrueret, sole clariùs cerneretur, quantò sit satius omni tali seruitio caruisse. *GAV.* Vtrunque mihi latus serui ambiunt. *RA.* Serui, nomine, re [vt dixi] hostes acerrimi, atque impij: & absque his viuere superbia vestra non potest. Inque hoc [vt in multis] malo vestro miseri gaudetis; in hoc maximè diuitias opratis, in hoc terras, & maria pererratis; in hoc aurum, & cumulatis & spargitis, vt acies hostium vestrorum densior sit in dies, atque inimicior: an fortasse non ita est, an aliud concors diuitum habet opinio? Nulla ferè alia se mediocris fortu-

fortunæ bene institutam domum, opulentissimæ Persarum, aut Lydorum regię cedere, cùm in multis excedat, quàm quod illa plures pascit, & lautiùs. *GAV.* Seruorum me circumfusa tegit cohors. *RA.* Immò, sub obtentu seruitij vrget, & comprimit, sonorisque compedibus vinctum trahit, vt & tibi iure optimo dici possit; Quid fecisti miser, vt tot custodibus indigeres? *GAV.* Serui me vndique circumuallant. *RA.* Nulla fugæ, nulla spes igitur est salutis. Malo quidem suo pertinaciter delectari, desperatæ dementiæ est. Atqui ob hoc vnum & optanda paupertas, & amanda erat, vt cùm cæteris opum malis nexibus, tum vel maximè te seruorum dolis, ac fastidio liberaret.

De Magnificentia ædium.

DIALOG. XXXIV.

Quid struis eductas immensis sumptibus aulas?
Sis memor, extinctum te breuis vrna teget.
GAV.

MAgnificentissimę mihi sunt ædes. *R.* Quid hic dicam, nisi Tullianũ illud: Ornanda dignitas domo, non ex domo tota quærenda nec domo dominus, sed domino domus honestanda. *G.* Ornatissimæ ædes sunt. *R.* Quid hinc tumes? Architecti laus est, non tua. *G.* Ædibus amplissimis habito. *RA.* Vbi fures latitent, tu vageris, serui luxurientur, vulgus hæreat, liguriant parasiti, multiplicis tædij capax locus. *GAV.* Maximis ædibus habito. *RA.* Vna est vrbium, & domorum lex: non statim meliùs habitat, qui latiùs: neque enim quàm latè habites, sed quã lætè requiritur ad beatã vitã. Sæpe vel in palatiis regũ, labor, dolórque habitant, vel in tuguriis inopum quies, & gaudium: quòd si amplitudo domus, aut forma

præstaret, nobilissima artium esset architectura. *G.* Regiis ædibus habito. *R.A.* Quasi verò curas, morbosque locus arceat, siue ad prehendenda turrium fastigia, mors egeat scalis. Nónne in regia Tullus Hostilius habitabat, quando ictus est fulmine? In regia quoque Tarquinius Priscus, quando percussus est ferro? In regia denique Superbus, quando pulsus est regno? Nullus locus periculis inaccessus, nullum limen morti clausum. *G.AV.* Habitatio mihi propria, atque perpetua est. *R.A.* Immò verò parui temporis incolatus: instat dies commigrandi. Ciuem fingis, aduena es, conductum habitas. Veniet, qui te nudum laribus his exturbet. *G.* Clara quidem, & augusta domus est. *R.A.* Hinc digresso fusca erit, & angusta; sed & nunc, si verè domum tuam respicis, obscura, & arcta illa prorsus, & caduca est; quæque in dies, tantis adminiculis vix fulta, subsistat, assiduè fatiscens, casusque sui nuncia, & quæ certè, nec à ruina vltima longè sit, nec interim generosum incolam delectet, vt domus, sed angat vt carcer; vbi moras oderit, vnde optet absolui. I nunc ergò, vel alienis ædibus, vel tuo carcere gloriare.

De Arcium munitione. DIALOG. XXXV.

Quas auri pondus fortes non vinceret arces?
Nullaque non metuit saxea fata domus.

G.AV.

MVnitissimis arcibus habito. *R.A.* In ędibus aliquid boni est: in arcibus mali multùm. Illę protegunt ab æstibus, à ventis, ab imbribus: hæ animum possidentis sollicitudinum procellis obiiciunt, & securitatem pollicitæ, curas afferunt, & pauores. *G.AV.* Arx mihi prævalidis mœnibus cincta est. *R.A.* An excidit illud Spar-

Spartani dictum? qui amico patriæ muros ostentanti: si hos, inquit, fœminis extruxistis, rectè quidem, at si viris, turpiter. *GAV.* Arcem habeo fortissimam. *RA.* Quid, nisi impatientia, & superbia, & auaritia vestra fecit, vt arcibus opus esset? Quantò erat honestius, æquo iure cum hominibus viuere, & in plano, cultisque in agellis habitare, quietos carpentem somnos, quàm te rupibus hispidis inclusisse, nocturnis excubiis vlulantem, teque tua miseria suspectum, & inuidiosum omnibus reddidisse? An & Publicolæ factum excidit; qui, quamuis inter primos, vrbem Romam seruitio regio liberasset; sentiens tamen seipsum situ ædium suspectum plebei, vt seipsum [licet indigna] suspicione liberaret, domum suam de monte deposuit? *GAV.* Arx inexpugnabilis est mihi. *RA.* An & illud vetus prouerbium non audisti? Nullum inexpugnabilem locum esse, in quem asellus onustus auro possit ascendere. Trahit oppugnationem arx munita, non impedit. Restitit aliquantulùm Senonum insultibus arx Tarpeia: Pœnorum Tarentina, donec vtrique, opportuno remedio succursum est: illi Camillus affuit: huic Fabius. Sed an gemina arx Locrensis ab ipso defendi quiuit Hanibale? Profectò nec Ilion ipsum, nec Byrsa defendi potuit: nec Corinthus, quæ vna peruetustam inexpugnabilis famam habuerat; sed hanc sibi Mummius victor eripuit. Nonne ante hos septuaginta annos Prænestina arx; qua nescio an vlla vsquam fortior esset, atque munitior, ab illo magno hoste, quia armis non poterat, blanditiis, ac promissis fallacibus capta fuit, & diruta, & vix tandem, velut è longæua febre, fragilior resurrexit? Ad summam, nihil inexpugnabile, tutum nihil ab humanis fraudibus est. *GAV.* Arce

subnixus munitissima, nil timeo. RA. Arces pestiferam multis confidentiam præbuêre. Multi, qui tuti sine arcibus in pace vixissent, arcium fiducia, ausi sunt, vnde ipsis in arcibus periere; vt illic potissimùm audacia domaretur, vnde orta erat. Non sunt ad audendum irritandi animi, sed frenandi. Omnis magna securitas, nisi de Deo oritur, stulta est. GAV. Habito in arce munitissima. RA. Vt sit aliquid, Arx hæc tua quid est aliud quæso, quàm refugium quoddam, & degeneres latebræ ad perferendam obsidionem: quod [vt ait Liuius] miserrimum est in bello? Quando vnquam audiuisti, vbi vnquam legisti Iulium Cæsarem, vtrumque Africanum, Magnum Pompeium, Marium, Alexandrum, Pyrrhum, Hanibalem alioque viros magni nominis, sese arcibus, continentes, & non potius arcibus insultantes? Arces scito non receptacula fortium, sed inertium esse latibula. Certè hac ætate Stephanus Columnensis, æui omnis illustribus viris par, cùm in eius auxilium, ad famam sui nominis veniisset nobilis quidam vir externus, & incognitus, essentque die quadam graui, & ancipiti prælio, & ingenti turba hostium circunuenti, ille periculum videns, accessit propiùs, &, vbi, inquit, O Stephane, arx tua est: Ille subridens, vt qui nec domum propriam quidem Romæ haberet: manu ad pectus appositâ; Hæc quidem, inquit, Arx mea est. Vocem suo authore dignissimam. Sic est autem, sancti & deuoti viri omnem spem in Deo habent: Iusti, ac solliciti in virtute; fortes, & bellicosi in armis. Timidi, & ignaui in muris, atque arcibus.

De

De Supellectili pretiosa. DIAL. XXXVI.

Est luxus, si multa nimis nitet arte supellex,
Temporibus priscis parcior vsus erat.

GAV.

IN ampla domo supellex eximia est. *R.* Superuacuo in spacio, pondus inutile. Illa furibus latebras dabit, hæc prædam; vtraque periculum tibi alimentum incendio atque liuori. *GAV.* In domo speciosa supellex copiosa est. *RA.* Illa, cùm te loco moueris, deferenda est. Hæc si vti volueris, sæpissimè transferenda est, & plus difficultatis allatura, quàm voluptatis, & plus oneris quàm honoris. *GAV.* Multa mihi, varij generis supellex domi est. *RA.* Iuge bellum non cum furibus modò, sed cum muribus, tineisque: & araneæ, & rubigo, fumusque, & puluis, & imber in vos dimicant. O diuites delicati, quibus armis hos hostes arcebitis? *GAV.* Pretiosissima est supellex. *RA.* Non rei pretium, sed contemptus, diuitem facit. Alioqui & quærendo cupiditas crescit, & paupertas cupiendo. Ita fit, vt nihil magis inopem faciat, quàm auari opes, quarum si æstimatio exacta, verique iudicij sequax contemptus, accesserit, ea demum veris diuitiis vera est via. Ego te diuitem, dum varia miraberis, non putabo; quanuis aurea stellantique gemmis ardentibus, tectum omne, supellectili, opertum refertúmque tibi videam. *GAV.* Inuidiosa supellex, & præfulgida est. *RA.* Pro captu oculorum; seu forsitan animorum: verè autem onerosa rerum colluuies, ac turbida. Sed auaritiâ nihil vsquam iniquius, nihilque miserius; cuius famem, & quærenda excitant, & quæsita non sapiunt; dúmque sperata fulgebunt, possessa sordescunt. Itaque, sæpe diuitias

dum quæsisse putaueris, sollicitudinem, & nauseam quæsiuisti: hæ nunc tibi charæ sarcinæ, si vel charioresaliæ se ostēderint, vel stuporem assiduitas dempserit, viles erūt. Esto autem; charæ sint, & maneat stupor; nónne etiam error manet, isque difficilis, atque perpetuus? Si quidem quærendi studium vnum fuit, seruandi labor est multiplex: nunquam deerit, quod reuisas, quod numeres, quod complices, quod excutias, quod abstergas, quod oculos simul, & mulceat, & offendat. *G.AV.* Supellex immensa est. *R.A.* O hominem, qui impedimentorum suorum magnitudine delactetur!

De Gemmis. DIALOG XXXVII.

Gemma valet tanti, quanto dilectior illa est,
Quæ cœli sedes vnto certa patet.

GAV.

GEmmarum fulgor, & species delectant. *R.A.* Rerum, fateor, terrestrium, & mortalium, vanitatis pars non vltima: exiguo in lapillo patrimonia magna claudentium: cuius pretium instabile, & incertum, quotidiéque varium; quod à sola mercantium fama, & diuitum insanorum credulitate dependeat; vnde diu spretæ, inopinis pretiis attolluntur, & gemmarum famosissimæ, subita premuntur infamia: nescio quibus notis erumpentibus, non tam ipsis, de quibus agitur, in rebus, quàm in opinione hominum ista callentium. Præclara quidem illa prudentia, quæ neglecto cultu Dei, atque animi, & vtriusque notitia; internoscendis lapidum venis inuigilat. Sed sic est mos. Neque nunc primùm in pretio sunt, qui his pretia vafrè fingunt. Verà enim pretia, vel nulla sunt penitus, vel ignota: quàm verò periculosa vanitas, quàm

quàm tremulum, quánque anceps iudicium, ipsos inter artifices, facile est iudicium, memoria repetentis id, quod nuper accidit: vt perbreuem gemmam [carbunculus is erat] decem millibus aureorum ille vir fortunæ maioris quàm ingenij, cùm emisset, diu se cunctatum fuisse iactabat, quòd naturalem & communem modum fulgor excedens, suspitionem faceret, eius artificij peritissimo cuidam, cuius consilio vtebatur, non veram gemmam esse, sed vitreum aliquod, seu quidvis aliud in eam speciem, non natura genitum, sed, nescio qua supernaturali, & mira quadam arte conflatum. Quæ quidem hæsitatio, quid nisi confessio quædam erat, vitrum tale visui pulchrius esse, quàm gemmam? quanuis forsan illa solidior sit. De hoc tamen ipsi iudicent, qui, vel in hoc quæstu pecunias aliò vertendas honestiùs, vel in hoc, cognitu melioribus debitum tempus perdunt. Quòd si ista cunctatio iusta fuerit; quid hinc sequatur, quis non videt? Quænam scilicet ambitio, & quanta sit cæcitas, non rei formam, ac substantiam, sed nudum nomen tanta mercede captantium. *G.* Nil mihi gemmis est charius. *R.* Credo hercle, nõ virtus, non fama, non patria, non vita ipsa: vtque illa duo fileam, quibus vobis nihil est vilius, duo hęc vltima, cúmque his, diuitias ingentes, & quicquid pretiosissimum iudicatis, vnius gemmæ pretio, atque amori succubuisse monstrabo; & exilio illam, & inopia, &, si ita res tulisset, morte seruatam. Cui enim, quæso, non est notum Nonij consilium? Romanus hic Senator fuit, vir locupletissimus, gemmámque habuit viginti millibus æstimatam; gemmę nomen Opalus. Mittit hunc India colorẽ penè omnium varietate præfulgidum,

Huius fama excitatus, accensúsque cupidine Antonius Triumuir, homo omnium superbissimus, atque auariſſimus;& cui,quicquid natura libitū, fortuna licitum fecisset,cum iniusto gemmæ desiderio [vt fit]crudele possessoris odium concepit; hinc in illo publico proscriptionis incendio; quo tot patriæ lumina periere,Nonij nomen arsurum cum reliquis,ob hoc vnum crimen, quòd formosæ tyrannoque placitæ dominus rei esset, insertū est.Ille autem cui ponticus saltem fiber exemplo esset, vt pernicioſæ iactura sarcinulæ libertatem redimeret ac salutem illam ipsam sibi [vt augu-ror]præsenti discrimine charioré sic amplexus au fugit,vt ea salua,nulla sibi,vel patrimonij,vel patriæ cura esset,cum illa paratus exulare, & mendicare,& ad extremum mori. Quis non magni æstimet,ad quam vir senatorius sic affectus sit ? Et profectò fatendum alterum,aut magni pretij rem fuisse,aut parui animi possessorem.Sed quid horū? verius[vt diffiniam]non expectas? Etsi autem huius,ac reliquorum simile iudicium,ceu contagium animorum,latè serpens,vulgi mores infecerit:magna tamen ingenia, nec nummis delectari, nec omninò alia , quam virtutis pulchritudine tangi decet:nisi,vt per hæc breuia,quæ delectant oculos,experrecta mens , in amorem, ac desiderium æternæ pulchritudinis rapiatur,quo de fonte,quicquid est pulchrum,prodit. *GAV.* Excellentibus gemmis allicior. *RA.* Hanc excellentiam non natura fecit , sed opinio , quæ apud quosdam Carbunculo palmam dedit; apud alios Adamanti.Ista vulgo,ac plerisque gemmariis æui huius æstimatio ; ista veteribus quibusdam rerum Scriptoribus probatur:secundum quos,non modò gemmarum , sed rerum omnium terrenarum

narum pretiosissimus Adamas. Regum olim atq; non omnium, sed præcellentium gemma fuit; hodie, quia nullius rei tantùm, & tam velox, quã luxuriæ, & superbiæ incrementum est; multorùm, non regum, etiam esse cœpit, & iam plebis in digitos sensim venit. Huic proximam Indicam, atque Arabicam margaritam locant; & huic itidem Smaragdum, nescio quidem, qua ordinis iniuria. Nam si illorum rubor, pallorq; gratus est, cur nõ æquè horum candor vigorque oculis blandiatur? Iustiórque nunc etiam Saphyri querela; quo vix aliud terra parit cœlo similius sereno. Verùm [vt dixi] furor hic hominum non natura nobilitat. diuitum nugæ inanes, atque otiosorum fabulæ; qui facilè ista contemnerent, si quo vnquam honestiore pacis aut belli negotio tenerentur. *G.* Fulgidæ animum mouent gemmæ, & suauiter candidæ margaritæ. *R.A.* Mouent, ais? immò sternunt, calcant, molliunt & eneruant. Qua de re; si pergam virorum ac mulierum exempla congerere; non te doceam sed obtundam. Vnum ex omnibus; & id maximum, attingam; vt intelligas, quàm periculosus iste furor sit infirmioribus animis; qui eminentissimos, fortissimosque peruaserit. Magnus Pompeius continentissimus Romanorum ducum horum, dico, nouissimorũ; qui quantùm magnitudine gestarum rerum cæteris antecellunt, tantùm modestia virorum vitæque frugalitate maioribus cedunt suis; victor ab Hispania pacato rediens occidente; compressisque prædonibus, & in vnum coactis locum; cui Conuenarum nomen ob hoc inditum; insæculum id durat illic pyreneis in montibus, locorum forsan asperitate, modestiam adiuuante, atque ætatis, victoriæque superbiam compescente,

masculum trophęum; purámque,& rigidam sui oris imaginem erexit, verè tunc magnus atque magnificus, quanuis adolescens annis, moribus senex, maturúsque animi. Idem postea, captis piratis, & oriente perdomito, quasi cum loco mutatus, ac tempore, atque alia parte orbis ipse alius reuersus, non militarem, sed fœmineum, seu diuinum potiùs in morem, vultus suos non iam viriles, sed solito molliores, non ære fictos, aut marmore, sed insuetis atque exquisitissimis margaritis in triumpho tulit. Exprobratio non leuis, Eoi fastus vnum in caput expositi, non sine insultatione quadam victoris omnium populi, atque excusatione principum sequentium. Quid non enim à Tyrannis Roma iam serua pateretur; quæ libera, ciuis amantissimi talem hanc insolentiam aspexisset? Neque reliqua triumphi illius humilia magis, aut sobria: non arma, & equi domitarum gentium [vt mos erat] non captiui memorantur, aut currus, aut phaleræ: quod viliſſimum in eo legimus, Aurum fuit, gemmæ omnia, & margaritæ. Inter multa, alueus ingens ibi, & ingentium thesaurorum ordo bicolor, ita vt singulæ gẽmis è singulis constarent, & vasa aurea, & vestes, & statuæ, quin & luna quędam solido ex auro immensi ponderis, lectíque auri, & coronæ plurimæ, magnis, & candidis margaritis intextæ. Denique mons aureus illic fuit, formæ illæ mirabiles in quadrum ductæ, ceruis, ac leonibus, & figuris variis animantium frequens, nec non arboribus, atque omni pomorum genere consitus, ramos aureos tegentibus margaritis, montis in vertice. Iisdem ex rebus horologium artificio vbique vincẽte materiam, voluebatur; mirabile prorsus ostentũ his, qui mirari inania didicerunt. At his rebus, inquies,

quies, delector. Credo id quidem, téque hunc triumphum, & cupidè spectaturum reor, & cupidiùs ducturum, & cupidissimè possessurum: id tibi passionati status animi suadet. Crede autem & tu mihi; hæc, quæ visum vsque adeò delectãt, semper animæ, & sæpe corpori nocuerunt. Illius certè, quem loquimur, triumphantis gloriæ, nil vnquã magis obfuit, nõ Thessalicus dies, non Ægyptia calamitas: ibi enim fortunæ succubuit nõ totus, hic vitio totus, ibi aliena vis, aliena perfidia: hic sua fragilitas, sua fuit ambitio. Illic ergo potẽtiã, & vitã, hic animi popularis, modestiæq; insignis, famam, magnisque laboribus partum Magni nomen imminuit. Mirum dictu, tanto victoriosior contra Hispanos, bellicosam gentem, quàm contra imbelles, & inermes Asiaticos apparuit, eóque mirabilius, quòd in ipsa quoque Asia, aliquandiu integer, atque inuictus; cùm se in templo Hierosolymæ omniũ opulentissimo verè erectum atque abstinentissimum præbuisset: ad vltimum, vrgenti vitio non restitit; neque iam amplius vir singularis, atque vnicus, vt semper fuerat, sed quasi vnus ex multis, captus, deiectúsque est: is gemmarum fulgor, ea vis margaritarum, ídque auri pondus fuit. Vicerat iam antè pari prælio Alexandrum Asia, sed parum est, vitiis victum suis, vincere. Illud magnum, viciſſe victorem sui, post quem, nullus fermè ducum stetit inter Asiæ delicias, quæ in orbem Latium transuectæ, vestra vos in patria vicerunt. Nempe, si fateri verum vultis, vbique gentium victores, Asiatica victoria victi estis. I nunc, & amicas oculorum, animorum hostes, & victrices virorum fortium gemmas cole. *G.* Gemmis delector ardentibus. *A.* At hic variis, ille pallentibus: multiplex au-

petitus, vna vanitas. Audisti, vt Pyrrho illi, qui cũ Romanis bellum gessit, Achates fuit lapis, olim pretiosissimus, hominum iudicio. Nunc eodem, quo pretia rebus fiunt, variante, vilissimus: in quo quidem species rerum diuersarum repręsentari solere oculis, fama est: hominum, iumentorum, fluminum, nemorum, volucrum, ferarúmque; nulla penitus manu artificis, sed naturæ. In annulo sanè regio [vt Solini verbo vtar] non impressis, sed ingenitis figuris. Musæ nouem & Apollo erat choreæ nobilis citharista; sparsis ita, nexisque inuicem gemmæ notis, vt tot imaginum, in tam paruo spacio, vnaquæque suis discerneretur insignibus; præclaris vt ei erat annulus; addidítque gratiæ, regis nomen. Pluris enim fiunt res illustrium. Sed quid, oro illi contulit Achates suus an bello inuictum, an non dicam mortis, non hostili gladio, sed saxo, quòd fœminea etiam torsit manus exemptum fecit? Quid inquam, vel hunc Pyrrho profuit habuisse? vel hoc nocuit caruisse Fabricio, Curióque; quibus ille victus, atque Italia pulsus est ducibus? Affirmare ausim neutri horum vnquam sessurũ animo fuisse vt horrentem galeam rigidúmque, nec auro, nec gemmis insignem gladium, annulo regio permutaret. Sic mollia quæque despiciunt viri fortes; quomodo verò annulum regis ambirent, qui sola virtutis fiducia regem ipsum, & regias opes, regnúmque contempserant? Contrà autem vos, animorum diffidentia, cuncta miramini, &, quasi beatos factura, concupiscitis, virtus sola contemnitur. Est & gemmæ alterius fama vetustior; quam Samiorum Tyrannus Polycrates habuit; ferunt fuisse Sardonicem. Is lapillus, inter multa pretiosa, ditissimi hominis pretiosissimus habitus: quamobrem,

qui

qui nihil vnquam sensisset aduersi, palàm obsequentis, & clanculùm insidiantis fortunæ inuidiam placaturus, nauigio in altum prodiit, annulúmque ipsum, in quo gemma erat, manu propria demersit. Vel sic saltem semel doliturus in vita; visus sibi callidè transegisse cum fortuna, si tot lætis hoc vnum triste pensaret. Illa verò, nec falli facilis, nec mulceri, mala bonis æqua lance componens, plusculum exigebat pro diuturno fauore, breue quidem, sed prædurum; vt qui per omnem vitam felicissimus sibi, atque aliis visus esset, in morte miserrimus videretur, essétque miserrimus: hinc vitiis, hinc suppliciis omnibus vnum caput vrgentibus. Itaque, velut oblatum respuens [ô fortunæ ludos] piscé quodam internuncio, qui tunc ore annulum excipiens, captúsque illicò, mensæque eius appositus fuerat, annulum illi suum, non sine quodam spectantium stupore restituit. Eam gemmam multis post sęculis Augustus Cæsar, & pretio tactus, & miraculo, insertã aureæ coronæ ad ædẽ Concordię dedicasse fertur. Hic rursus interrogo; quid hoc, vel tyranno profuit habuisse, patriã affligenti, vel Pythagoræ obfuit caruisse communẽ sibi cum illo patriã, & domum propriam, & amicos morum eius odio relinquenti? Nempe tyrannus ille patibulo affixus, omnium iudicio cùm summum supplicium pateretur, maiore etiam dignus erat. Iste philosophus in pace obiens, pro Deo cultus; domus eius pro templo habita est. Tantùm inter illius gemmam atque huius pallium interfuit. Neque verò seu Polycrati tunc Sardonix ille, ne morsu volucrum semesus in cruce marcesseret, seu modò Ioanni Galliarum regi, ne acie victus in manus hostium deueniret, suus valuit præstare

carbunculus;quem die illa in digito eius inuentum, ereptúmque ſibi, & poſt annos ab amico quodam, orbe alio redemptum, remiſſumque, cernere fuit; ac tangere rem pretij infiniti, ſed nullius efficaciæ, nulliuſque operæ: niſi cuius, & reli quæ id genus. Gemmas enim lucidas non nego, ne ſenſui contradicam. Nego vtiles, nego vllam vim habere, niſi illam, quæ vulgò etiam fertur. Poſſunt ſerasauarorum quoque diuitum confringere, atque arculas exhaurire. *GAV.* Vtcunque in pretio ſunt gemmæ, hæque animum delectant. *RA.* Atqui dementiæ ſummæ eſt, multam curam rebus impendere, quæ, etſi aliquid videantur, in ſe nihil ſunt. Hoc eſt enim errore oculorum, ac præſtigio delectari. Quid in his laboras? quæ, non dico, felicitati non conferunt; ſed nec miſeriæ detrahunt præſentes, neque contrario, abſentes. Etſi multa equidem hic à multis, & mirabilia ſcripta ſint, non veritati rerum, nec vtilitati legentium, ſed ſtupori operam dantibus; præcipuaque à Magis, qui his nugis libros integros implere [tantùm erat otij] potuerunt. Mihi tamen hac in parte cum Plinio ſecundo planè conuenit, & ſcripſiſſe eos ego quoque non ſine contemptu, & riſu generis humani arbitror; vt, & ſtultam credulitatem vanis opinionibus implicarent, & ſeipſos noſtris ineptiis oblectarent. *GAV.* Delector gemmis, quibus credibile eſt aliquam vim ineſſe. *RA.* Quænam illa ſit, audiſti: vt ſi alia, quantula tamen illa eſt, mercatorum, ac ſcriptorum collata mendaciis, non Graia tantùm arte confictis, ſed veſtra etiam aſſenſione auctis, atque firmatis; quæ multò eſt ſatius vel prudenter arguere, vel magnificè contemnere, quàm callere omnia

nia gemmarum pretia, virtutésque, & vitia. Hic enim à Plinio [cuius multa placent] valde dissentio. Ille quidem falsas deprehendendi artes, seu notitiam quandam pollicetur, quando, inquit, Etiam luxuriam aduersus fraudem muniri decet. Mea verò sententia, non munienda, neque armanda luxuria est. Sed inermis, & sola, circulatorum inter armatas acies deserenda, vt circunuenta sæpius, & illusa, quando aliter non potest, saltem damnis, & fraudibus castigetur.

De Gemmarum poculis. DIAL. XXXVIII.

Fictilibus rarò vasis aconita bibuntur;
Pocula sunt magnæ quælibet apta sitî.

GAV.

IVuat gemmis bibere. R. Cauari gemmas ad pocula, luxuria vetus est: non vitrum modò, rem fragilem, ac profectò pulcherrimam mundissimámque despiciens, sed argentum, ipsúmque aurum, humanæ olim cupiditatis vltimam metam. Inuentúmque aliquid, quo auaritiam luxus excederet. Non sat digna mali causa. Vidit hoc Poëta, dum diceret.

Hic petit excidiis Vrbem miserósque penates:
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Malum ingens, nec iustitiæ tantùm, sed humanitati obuium. Et vt scires vnde ortum, addidit, *Vt gemma bibat*, En ciuilium par furorum causa, vt cùm calix argenteus diuino cultui satis esset, aureus humano vsui parùm sit, nisi pretium faciẽte periculo, gemmæ etiam, peregrino artificio, excauentur, quibus bibat infelix homuncio; & polluta mendaciis, atque spurcitiis labra, iucundiùs applicet, res & potui incommoda voluptatem in-

interpellãte metu,& apparatui operosa,& custodiæ difficilis,& saluti anceps,& venenis apertissima. Verum namque est illud alterius Poetæ,

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata.

G. Gemma bibere glorioſum reor. *R. A.* Superbia, dum ſe attollat, nec deſcenſum cogitat, nec ruinam: carè libentiùs bibitis, quàm ſecurè, ambitioſè, quàm ſapidè. Sic vitia vitiis vincuntur, & gulam parciùs aliquantò ſollicitat vini ſapor, quàm inſolentiam ſcyphi color. Obſtupeſcitis ad gemmarum radios: hunc ſtuporem nullo non pretio æſtimandum arbitramini: non tantùm pecuniæ, ſed virtutis. Nónne enim ille Virgilianus euerſor patriæ, hoc ipſo; de quo loquor, pretio, gemmam quærit, iuſtitia, ſcil. & pietate properans his amiſſis, illam adipiſci, & vt gemma bibat, ciuem, atque hominem obliuiſci? *G. AV.* Libenter gemmatis vtor poculis. *R. A.* Eſt fortaſſe alia deſiderij tam intenſi radix, neque ſolus fulgor allicit, ſed aliqua latens virtus. Nam quis omnes gemmarum vires, atque virtutes explicet? Ita, dico, ſi omnium, quæ de his dicuntur aut ſcribuntur, pars ſeptima vera eſſet; ſed nec ſeptuageſima vera eſt, neque profectò centeſima. Quòd ſi [vt Plinius ait] nulla fraus vitæ lucroſior, quis miretur, ſi & nulla numeroſior? Non quòd gemmarum, quàm cæterarum rerum crebrior ſit contractus; quippe quas raritas pretioſas facit; ſed quòd nuſquam rarior eſt veritas; neque etiam alicubi, vel experiendi minor copia vel maior licentia mentiendi, vel mendacij fructus vberior, vel impudentia liberior, vel conſuetudo frequentior. Quòd, ſi quid ex omnibus verum

prorſus

prorsus est, an illud forsitan verum erit; quod & Magorum authoritas & super illam fundata vulgi habet opinio, ebrietati resistere Amethystos? Parúmne igitur causę sit, cur ebriosorum poculis hæc gemma deseruiat? Ludo tecum. Sæpe ira iocos parit. Nempe vt hoc vni tribuant, quid aliæ meruêre? nisi quod voluptatis ingenium fuit, vt cum gustu bibentis delectetur visus, atque hinc illinc sensibus delinitis, ambitiosior, lætiorque sit ebrietas. Hæc [ni fallor] & verior rei huius, & certior causa, cùm in reliquis, tum in hac ipsa quę aduersus ebrietatem, quasi belli dux eligitur, de qua triumphare sobrietas sola potest, vti vino modico, iuxta illius consultoris optimi sententiam, eóque ipso non ad voluptatem, sed ad vtilitatem, & stomachi ægritudines depellendas, vino inquam exiguo, & fragili, lymphisque perdomito. Meri autem potentis incendium, atq; impetũ, seu fuga euadere, seu aquarum diluuio extinguere ac frenare. Scire & meminisse in vino magno, ac feruido potúque crebro & nimio, multam pudoris ac doloris pœnitentiæque materiam inesse; eam quocumque te verteris, oculis ingeri, neque à quoquam sanæ mentis posse dissimulari. Hæc sunt arma contra monstrum illud vtilia. Quis hic Amethysto, seu gemmis omnino vllus est locus? Mentiti sunt id Magi, fuerúntque qui crederent, vt hoc sponsore sobrietatis, intrepidi biberẽt. Perfidè quidem Magi, atque impudenter, vt plurima; stultè credulum vulgus, vt omnia. Summa igitur rerum est: nihil aliud vobis hanc, reliquáſq; conciliat, quàm voluptas difficultatibus excita & incensa, sed multò maximè superbia & conditionis obliuio, timórque animi lethifer, quo cũ nil peius sit hominum vitæ, miror quid ita nil gratius. No-

dico, virtus, bonum ingens, veſtro illi iudicio, ſed nec vita ipſa, nec ſalus, nec ſecuritas, non opes, nō denique voluptates iiſdem vobis æſtimatoribus ſummum bonum. Cuncta hæc vni ceſſêre ſuperbiæ. Hæc præter cætera, vos gemmarum cupidos fecit quæ ſemper inutiles, ſæpe damnoſæ ſunt, neceſſariæ verò nunquam. Hac hortante igitur, effectum eſt, vt occupati ſemper, ac trepidi, ſed exculti, domorum menſas templorum inſtar altarium habeatis aureas atque gemmatas: hoſtiæ ipſæ purpureæ, ac vitiatæ, auaritiæ, luxuriæque ambitionis atque ſuperbiæ cultus expoſitæ; quæ in vos omnes, ac ſingulæ ſæuiunt, primas ſibi partes [vt eſt dictum] vendicante ſuperbia. Auaritia quippe quod nomen ſonat, vtcunque fortaſſis auro contenta, quieſceret, luxuria, epulis, & voluptatibus ſuis: Sola ſuperbia non quieſcit, quandiu aliquid ſupra ſe videt; vt quæ ab initio rerū Deo par eſſe tentauit. Hæc eadem vos cogit laboriosè gemmas quærere, ſtudioſéque vel nectere, vel cauare, vt prodeuntes, ſedentéſque in foro inque conuiuio, radiantes, ac ſtellati, cœlo ſemper inuidiam faciatis. Hac duce igitur [vt ad rem redeam] in habitaculo, & in veſte, cibóque, & potu, & rebus omnibus, quæ humanæ neceſſitati, ſeu iucunditati inuentæ erant, ſpecioſum aliquod, fulgidúmque periculum miſcuiſtis; eóque creſcendo malum prodiit, vt ex gemmis, non modò iam pocula, ſed pelues, ac lebetes, & mortaria, & ahena conſpiciamus. Victrix plaude ſuperbia, gemmea pocula requirebas, omne tibi ex eadem materia vaſorum genus tui offerunt miniſtri. Neque iam minus eſt commune, gemmam hos in vſus, quàm in vſum frugum terram fodere, ſic conſuetudo facta eſt vobis, quæ luxuria maioribus veſtris fuit.

G. Cry-

G. Cryſtallinis poculis libens vtor. R. A. Parco iam gemmis: concreta illas glacies excuſat, neſcio quid plus vitro habens: æquè enim frangitur, & ſarciri nequit, niſi quòd quæſitu difficilior, &, vel de longinquo veniens, vel quæ propinqua eſt, inter alpium ſcopulos, rupéſque inuias, & algentes, tenui fune pendentibus eruenda: ob eamque rē charior, veſtráſque cupiditates irritare potentior. Itaque Neronem legis infelici percitum rumore, ceu damnis ex omnibus, cryſtallinos duos calices, forte eliſos, grauiſſimè doluiſſe, ſeu quòd alter, puto, verior hiſtoriæ ſenſus habet, ita feruidum præcipiti, & ętati ſuæ infenſum & poſteris inuidentem, ne quis vnquam ex his biberet; manu propria colliſiſſe. En fortunæ durioris expiatio; nil inuentum, in quo grauiùs ſæuitiæ magiſter iracundiam exerceret, in cryſtallum ſæuit, quo nullæ tunc ſibi deliciæ chariores. Excuſatio minorum, dicat aliquis, imitari principem, ſed Neronem ſequi nemo bonus optauerit. G. Cryſtallinis gaudeo. R. A. Nec attendis, quàm caduca, quàm fragilis delectatio tua ſit: ſed mos eſt veſter; naturæ propriæ ſimilia exoptatis, cùm & imbecillitas veſtra firmum aliquid, cui hæreret, & noſtri melior pars cœleſtis, altum aliquid, quod deſpectaret, & optare & quærere debuiſſet. Vtrique debilia atque ima quæritis. Bene autem habet, quòd murrhina hodie lautitiis exceſſere. Veterum furor incredibilis, eadem illa victoria, quæ peregrina multa vobis intulit, ipſo, de quo diximus, triumphante Pompeio, in Italiã, inque vrbẽ Romam tranſuectus, ex Aſia ſemen inutile, ſed terræ creditum præfertili, coloniſque impigris, itá que in breui actum vſque adeò, vt murrhini vnius pretium ſeptuaginta videas talenta, calicíſque

illius ab amante quodam cupidè conuulsum dentibus labrum, & miriamoris mirabiliorem exitũ, vt cicatrix illa nobilitans vasculum, & famæ eius, & pretij esset argumentũ. Non igitur hac in parte luxuria, qua nulli ceditis ætati neq; superbia minor est vestra quàm maiorum. Sed vtriusque subducta materia est: murrhinis non solùm vsui vestro deficientibus, sed ignotis; pro quibus noua luxuriæ species inuasit. Auellanæ radix ad pocula generosum lignum ipsumque cicatricibus honestandum, furor nunc præcipuus Galliarum. Venerunt hos in vsus nuper arbores aliæ peregrinis nominibus, aduenis & nothis, aliis atq; aliis, sed eadẽ vanitate; veniẽtque nec vllus erit nouitatũ modus, donec vestris poculis murrhinorum iactãtia victa sit. In vno planè, fateor auorum cessistis insaniæ, quòd illi succinos, nullo vsu; sola sed habendi libidine mirabantur, intérque delicias numerabant. Vnde & Nero ipse, non principum modò, sed hominum sæuissimus, malè dilectæ, & peius occisæ coniugis flauos crines hoc sub nomine ceuti tulùm meditatus eximium adoptasse legitur, carmine edito, Fuit namque [quod stupeas] trux illud ingenium amicum Musis, in quo illos, quòd aurei viderentur, succinos suos dixit. O feroces, atque infaustæ blanditiæ, decorúmque; & laudatum caput, calce impia ad inferos detrudendum. At vos succinos, & habetis & spernitis, aut certè modestiùs colitis, & parciùs æstimatis.

De Gemmarum figuris. DIAL. XXXIX.

In variis rebus miramur acumina mentis,
Noscere nec rerum discimus artificem.

G. AV.

Signis gemma expressis mulceor. R. A. Accessit

[non inficior] ad naturæ decus quidam artis ornatus, & minutos in vultus inque signorum vsum gemmas sculpi. Subtiliora quidem inter ingenij opera numeratum vbi & Amethystus inter lapides, vel impressioni facilis, vel successu prosper [vt perhibent] & inter artifices primum sibi Pyrgoteles sumpsit nomen: eò quòd vnus è cunctis, sui generis idoneus Alexandro visus est, sculpendæ sui oris imagini: qua postmodum diuus Augustus vsus est, cum gemma illa, qua erat vti solitus, in ioeos hominum abiisset, vt Sphinx ænigmatica diceretur, ita vt præter exactionum difficultates, ipsa queque signi perplexitas verecundissimo Principi parere videretur inuidiam. Huic proximus, vel ingenio, vel ætati Apollonides fuit & Cronius post hos, magni nominis, in hac arte, Dioscorides fuit; cuius cùm opus exprimeret, nomen filuisse Plinium miror. Hic est enim, qui ipsius diui Augusti sculpsit effigiem, qua ad extremum, & ipse dum vixit, & post eum, multi principum vsi sunt: ea, vel Cæsarei oris veneratio, vel admiratio fuit artificis. Et nunc ego tanto de gemmis habito sermone, quas seu natura integras, solidásque voluptatibus vestris exhibet, seu ars cauat, quæro ex te, quantò amplius delectare animum deberet, sine pretio, aut labore parabilis splendor æthereus? Immò ne is quidem, sed qui huius, & illius fons, ac principium lucis est. Rutili Carbunculi, virides Smaragdi, sereni Saphyri, candidæ Margaritæ sic alliciunt, nec solis fulgor, aut syderum, nec terræ viror, aut arborum, nec serenitas aëris, nec candor nitidus tangit Auroræ. Stupetis facies manu hominum, gemmis insculptas, nec artificis stupetis ingenium, immò verò neque illum veneramini, totque iam

claris ad verum viis agnoscit is, qui gemmas ipsas, quique ingenium, qui manus, quique oculos fecit, quibus hæc cernerentur, atque intelligerentur, & fierent. O semper vilium miratores rerum, sempérque nobilium contemptores!

De Tabulis pictis. DIAL. XL.

Sydera si spectes cœli; & nascentia terra;
Pictoris nunquam te manus afficiet.

GAV.

PIctis tabulis delector. *R.* Inanis delectatio, nec minor vanitas, quàm magnorum hominum sæpe fuit: nec tolerabilior, quàm antiqua. Siquidem omne malum exemplum tunc fit pessimum, quando illi, vel authorum pondus adiungitur, vel annorum vndicunque ortæ consuetudinis robur ingens consueuerit, & vt bona in melius, sic mala in peius ætas prouehit. Sed vtinam, qui maiores nostros vanis in rebus facilè vincitis, eosdem in seriis æquaretis, virtutémque cum illis, & gloriam miraremini, cum quibus pictas tabulas sine fine miramini. *GAV.* Valde vtique pictas tabulas miror. *R.* O mirus humani furor animi, omnia mirantis, nisi se; quo inter cuncta, non solùm artis, seu naturæ opera, nullum mirabilius! *GAV.* Pictæ delectant tabulæ. *RA.* Quid de hoc sentiam, ex iam dictis intelligere potuisti. Omnis quidem terrena delectatio, si consilio regeretur, ad amorem cœlestis erigeret, & originis admoneret. Nam quis vnquam, quæso riui appetens, fontem odit? At vos graues, humiacliues, affixique, cœlum suspicere non audetis, & obliti opificem illum solis ac lunæ, tanta cum voluptate tenuissimas picturas aspicitis, atque, vnde transitus erat ad alta, despicitis, illic metam figitis intel-

intellectus. *GAV.* Pictis tabulis delector vnicè. *RA.* Penicello, & coloribus delectaris, in quibus & pretium, & ars placet ac varietas, & curiosa dispersio. Sic exanguium viui gestus atque immobilium motus imaginum, & postibus illum erumpentes effigies ac vultuum spirantium lineamenta suspendunt: vt hinc erupturas paulò minùs prę stoleris voces, & est hac in re periculum quòd his magna maximè capiuntur ingenia. Itaque vbi agrestis læto, & breui stupore prætereat illic ingeniosus suspirans, ac venerabundus inhæreat. Opetosum sanè; neque tamen huius est operis; ab initio artis originem, ac incrementa retexere, & miracula operum, & artificum industrias, & principum insanias, & enormia pretia, quibus hæc trans maria mercati, Romæ in templis deorum, aut Cæsarum in thalamis, inque publicis plateis, ac porticibus consecrarunt: neque id satis, nisi ipsi huic arti dextras, atque animos maiori exercitio debitos, applicarent: quod iam ante nobilissimi philosophorum Græciæ fecerant. Vnde effectum, vt pictura diu quidem apud vos, vt naturæ coniunctior, ante omnes mechanicas in pretio esset. Apud Graios verò [si quid Plinio creditis] in primo gradu liberalium habetur. Mitto hæc; quoniam & intentæ breuitati & præsenti proposito quodammodo sunt aduersa: videri enim possunt morbum ipsum, cuius remedium polliceabar, alere, & rerum claritas, stupentis amentiam excusare. Sed iam dixi, nihil errori detrahit errantium magnitudo. Immò hæc quidem ideò attigerim, vt liqueret, mali huius quanta vis esset; ad quam tot, tantisque sit ingeniis conspiratum; cui & vulgus errorum princeps & consuetudinum genitrix, longa dies, cumulúsque ingens omnium

malorum semper authoritas, accesserint; vt voluptas stupórque animos altiore furtim contemplatione dimoueat, distrahatque. Tu autem, si hęc ficta, & adumbrata fucis inanibus, vsq; adeò delectant, attole oculos ad illum, qui os humanum sensibus, animam intellectu, cœlum astris, florib. terram pinxit, spernes, quos mirabaris, artifices.

De Statuis. DIALOG. XLI.

Ingenio factas statuas miraris, & arte:
At caueas animo sint simulachra tuo.
G.AV.

AT delector statuis. R.A. Artes variæ, furor idem; ipsarumque fons vnus artium, vnus finis, diuersa materia. G.AV. Delectant statuæ. R.A. Accedunt hæc quidem ad naturam propiùs quàm picturæ. Illæ enim videntur tantùm, hę autem, & tanguntur, integrumque, ac solidum, eo que perennius corpus habent: quam ob causam picturæ veterum nullæ vsquam, cum adhuc innumerabiles supersint statuæ: vnde hæc ætas [vt in multis] erronea, picturæ inuentrix vult videri; siue, quod inuentioni proximum, elegantissima consummatrix limatrixque, cum in genere quolibet sculpturæ, cúmque in omnibus signis, ac statuis longè imparem se negare [temeraria quamuis impudensque] non audeat. Cùm præterea penè ars vna, vel si plures, vnus vt diximus, fons artium; Graphidem dico; atque ipsæ, procul dubio, sint coœuę pariterque floruerint. Siquidem vna ætas, & Appellem, & Pyrgotelem, & Lysippum habuit; quod hinc patet, quia hos simul ex omnibus, Alexandri magni tumor maximus delegit; quorum primus, eum pingeret, secundus sculperet, tertius fingeret, atque in statuam excuderet, edicto vetitis vniuersis, qualibet ingenii, artisque fiducia faciem

faciem regis attingere. Nec minor hic ideò furor quàm reliqui. Immo verò omnis morbus eò funestior, quò stabiliore materia subnixus. *G. AV.* At me statuæ delectant. *R. A.* Non te solùm, aut plebeis comitibus errantem putes, quanta olim dignitas statuarum, quantúmue apud antiquos, clarissimosque hominum studium, desideriumque rei huius fuerit: & Augusti, & Vespasiani, ac reliquorum, de quibus dicere nunc longum esset, & impertinens Cæsarum, ac Regum, virorumque secundi ordinis illustrium solers inquisitio, & repertarum cultus, & custodia, & consecratio, indicio sunt. Accedit Artificum fama ingens, non vulgò, aut mutis duntaxat operibus, sed, latè sonantibus scriptorum literis, celebrata; quæ tam magna vtique, parua de radice nasci posse non videtur. Non fit de nihilo magnum tamen; magnum esse, vel videri oportet, de quo seriò magni tractant. Sed his omnibus suprà responsum est. Eò autem spectant, vt intelligas, quanto nisu obstandum tam vetusto, & tam valido sit errori. *G. AV.* Variis delector statuis. *R. A.* Harum quippe atrium, manu naturam imitantium, vna est, quam plasticen dixere. Hæc gypso, & cetis operatur ac tenaci argilla: quæ cognatis licet artibus cunctis, amicior sit virtuti, aut certè minùs inimica, modestiæ imprimis, & fragilitati; quæ magis fictiles, quàm aureas Deorum atque hominum formas probant. Quid hic tamen delectabile? Quid quò cereos, aut terreos vultus ames, non intelligo. *G. AV.* Nobilibus statuis delector. *R. A.* Auaritiæ consilium agnosco; pretium, vt auguror, non ars placet. Vnam tu auream, artificij mediocris, multis æneis, atque marmoreis, multoque maximè plasticis præferendam duxeris. Haud insulsè

quidem, vt se habet, existimatio rerum præsens: hoc est autem aurum amare, non statuam, quæ, vt, ex vili materia nobilis, sic puro rudis ex auro fieri potest. Quanti verò tu statuam æstimares, siue illam regis Assyrij ex auro, sexaginta cubitorum, quam non adorasse, capitale fuit, quamque hodie multi vltrò suam vt facerent, adorarent: siue illam cubitorum quatuor, quam ex ingenti topazio [mirum dictu] reginæ Ægyptiæ factam legis, puto, non anxiè quæreres cuiusesset artificis contentus de materia quæsiuisse. *GAV.* Artificiosæ oculos delectant statuæ. *RA.* Fuere aliquando statuæ insignia virtutum, nunc sunt illecebræ oculorum. Ponebantur his, qui magna gessissent, aut mortem pro Rep. obiissent. Quales decretæ sunt Legatis à Rege Veientium interfectis. Quales liberatori Italiæ Affricano, quas illius magnitudo animi, ac spectata modestia non recepit, quasque post obitum recusare non potuit. Ponebantur ingeniosis, ac doctis viris, qualem positam legimus Victorino: nunc ponitur diuitibus magno pretio marmora peregrina mercantibus. *GAV.* Artificiosæ placent statuæ. *RA.* Artificium fere omnis recipit materia. Sentio autem: vt tua hæc omnis delectatio plena sit ingenii, materiæq; nobilitas iuncta, perficiet. Neque hic tamen aurum; quamuis Phidiasque conuenerit, vera delectatio vlla est, aut vera nobilitas. Fæx terræ, licet rutila, incus, mallei forcipes, carbones, ingenium, laborque mechanicus. Quid hinc viro optabile, vereque magnificum fieri possit, cogita? *GAV.* Nō delectari statuis non possum. *RA.* Delectari hominum ingeniis, si modestè fiat, tolerabile, his præsertim qui ingenio excellunt. Nisi n. obstet liuor, facilè quisque

quod

quod in se amat, in alio veneratur. Delectari quoque sacris imaginibus, quæ spectantes beneficij cœlestis admoneant, pium sæpe, excitandisque animis vtile. Prophanæ autem, etsi interdum moueant atque erigant ad virtutem, tum tepentes animi, rerum nobilium memoria recalescunt: amãdæ tamen, aut colendę æquo ampliùs non sunt: ne, aut stultitiæ testes, aut auaritiæ ministræ; fidei sint rebelles, aut religioni veræ & præcepto illi famosissimo, Custodite vos à simulacris; profectò autẽ si hic quoque illum aspicis, qui solidam terram, fretum mobile, volubile cœlum fecit, quique non fictos, sed veros, viuosque homines, & quadrupedes terræ, pisces mari, cœlo volucres dedit. Puto, vt Protogenem atque Apellem, sic etiam Polycletum spernes, & Phydiam.

De Vasis Corinthiis. DIAL. XLII.

Non tibi tam placeant cuiusuis vasa metalli;
E lagnosapia non minus ipse cibus.

GAV.

QVem non moueant vasa Corinthia? RA. Assuetum cœlestibus, terrena non quatiunt; sic collata illis modicum, sic nihil, sic denique tædium, atque fastidium graue sunt. Quomodo autem animus memor originis, cauernis terrestribus inhiet? aut magni faciat quod ex illis effoditur, dum cœlum, solémque, ac stellas, & seipsum videt, supremúmque horum omnium artificem contemplatur? GAV. Corinthiis delector. RA. Nescis te non gelido tantùm, & æxanimi terræ partu, sed officinæ nigrantis, ac squallentis fabri opere, ad postremum Romanæ prædę reliquiis delectari? Ad historias redi: Mummius, dum Corinthum armis captam, direptámque, flammis

absumeret, aureis, simulque argenteis, atque æneis quæcunque victorum fortè manus euaserant, statuis, quarum abundantissima olim illa vrbs fuit, pari incendio liquefactis, omnium metallorum venæ vno ibi torrente fluxerunt; vnoque ex omnibus iam nobiliore metallo, & pretiosioribus vasis exordium, & à clade vrbis nomen luxuriæ partum fuit; non quòd furor in ea vrbe consurgeret, quæ ruebat, sed venturo furori materia parabatur. Ad hunc modum tunc Corinthus huius fons fuit insaniæ. Nunc Damascus; inde hodie vasa mittuntur vestros captura oculos, animosque. *GAV.* Vasis Corinthiis delector. *R.A.* Mirarer magis, nisi Augustum modestissimum licet, atque grauissimum Principem, lectum esset apud egregios scriptores, delectatione hac vsque adeò correptum, præcipitemque actum, vt proscriptione Triumuirali condemnasse aliquos, nullam aliam ob causam, nisi huiusmodi vasorum desiderio putaretur, atque eius ad statuam, famoso epigrammate appositio, ad æternam laudati ducis infamiam, Corinthiarius diceretur: quod si credimus, inter hunc optimum, pessimumque omnium Antonium, hac in parte quid interfit? nisi quòd hunc ad iniuriam causa monuit humilior, & est omne peccatum eò maius, quò & maior, qui peccat, & minor causa peccandi: nec peccantis magnitudo, atque imperium, linguæ, vel calami vulnus euadunt, iudiciisque hominum eximuntur; illos magis in se acuunt atque irritant. Non parcit regum maculis vulgus loquax, &, si palàm meruit, clàm libertate vtitur, & in cauernis sibilat, gannit in tenebris, dubias voces in nubibus, acres versus in triuiis serit, subscribit statuis, nutu loquitur, silen-

silentio exclamat, minatúrque oculis, lingua ferit. Sic sæpe; leuibus in causis, graues contrahuntur infamiæ, & claris quoque nominibus obscuræ cognomina. Idque si principum maximo euenire potuit, quid priuati sperent, quibus esse debeat amica mediocritas, inimica luxuria? *G.AV.* Corinthiis delector. *R.A.* At, si pectus erroribus, oculíque fulgoribus clauderentur, liquidò appareret, quantùm fictilia præferenda corinthiis; quantùm, vel paratu faciliora, vel iucundiora vsu, secuziora seruatu, vel diuinis, humanísque cultibus aptiora; quod ad securitatem attinet, si vera hæc Cæsaris nota est, proscripti illi securiùs vixissent si Corinthiis caruissent. At quo ad diuinum cultum, tum propitiam magis hominibus fuisse diuinitatem dum fictilibus coleretur, nec mihi dubium, nec Senecæ. Quod verò ad humanum vsum fictilia Tuberonis, quanuis vt probrum graue ad populum, cæcis domino nocuisse suffragiis, certum sit, & præturæ repulsam peperisse; Maximóque Valerio factum populi populariter excusanti, indigna fuisse publico munere videantur; ego tamen hic quoque cum Seneca sentio, apud quem illa multis laudibus efferuntur. Sunt enim parsimoniæ antiquæ, & Romanis aptissimæ moribus, quibus vt modesti patrisfamilias priuata domus, sic bene instituta vrbis honesta Resp. regi debet, vt frenato gressu metam teneat eius, qui in terris est compositi, ac tranquilli status. Itaque si Q. Ælius Tubero fictilibus suis ante cellam Iouis expositis, quibus ille frugalitatem, atque sobrietatem [vtque ait Seneca] paupertatem in capitolio consecrabat, oculos populi iam lasciuientis offendit, non est ciuis egregij culpa, sed tempo-

rum. Iam tunc res ab illa priſca ſeueritate ad hanc mollitiem inclinabat, quæ primùm pateras, ſcyphoſque aureos gemmatos, diſcum argenteum coryinbiatum, lancem pampinatam, pateram hederatam mirari cœpit, & reliqua quæ Caius Imperator Claudio miſit, Imperatori poſt futuro; deinde alias atque alias furorum ſpecies, quæ magnificentiæ tribuuntur, nouiſſimè autem his diebus non hederas modò, vel pampinos, vel corymbos, ſed ipſas cum incolis ſuis ſyluas, omne genus arborum, ac ferarum, & volucrum, & hominum vultus, & quæcunque vel oculus vidit, audiuitque auris, vel mens finxit, in auro expreſſa, vel argento, longa iam conſuetudine non miratur, gemmis inhians, de quibus paulò antè tractauimus. Quid multa? Ipſum iam vileſcit aurum, creſcente ſuperbia. Pridem verò, quæ laudas, Corinthia viluerunt, contemptuſque de vera rerum vilium æſtimatione, laudabilis futurus, de falſa nobilium admiratione damnabilis factus eſt. *G.AV.* Ego verò corinthia nunc etiam miror. *R.A.* Corinthus veſtris vſta facibus, ſuo vos vſſit incendio, & murorum excidium ſuorum, in veſtros animos vlta eſt. Neque id nouum: ſæpenumero victores bellorum externorum, ſimul externis vitiis victi eſtis. Sic vos Scipio Aſiaticus, & Manilius Volſco, Aſiæ victores, Aſiaticis deliciis lectiſque purpureis atque aureis veſtibus, exquiſitaque ſupellectili [quodque viliſſimum] epulis, cociſque peſſundedit. Sic Pompeius gemmis, ac margaritis: ſic vos Mummius tabulis pictis atque Corinthiis ſubiugauit; Vt, dum de hoſtibus Duces veſtri, & de vobis, veſtriſque de moribus, hoſtilia triumpharēt. *G.AI.* Cupidè Corinthiis vaſis vtor. *R.A.* Neque vaſa Corinthia, neque

que aurea meliorem tibi cibum faciunt neque Samia peiorem; neque omninò de qualitate rerum, sed ex morbo animi hæc vestra cupiditas orta est; seu ipsa potiùs morbus est animi cui vt consulens conualescas, pro inutilium tot vasorum curis, vnam arripe vtilem ac salubrem, vt scias ipse tuum vas in sanctificatione, & honore [sicut scriptum est] non in passione desiderij possidere.

De Librorum copia. DIAL. XLIII.

Res bona librorum, si quis bene nouerit vti,
Copia: sed fatuos copia sæpe facit.

GAV.

LIbrorum copia magna est. *RA.* Opportunè admodum de his sermo oritur. Nam, vt quidam disciplinæ, sic alij voluptati, & iactantiæ libros quærunt. Sunt qui hac parte supellectilis exornent thalamos; quæ animis exornandis inuenta est; neque aliter his vtantur, quàm Corinthiis vasis, aut tabulis pictis, ac statuis, cæteriscque de quibus proximè disputatum est. Sunt qui obtentu librorum, auaritiæ inseruiant, pessimi omnium non librorum vera pretia, sed quasi mercium æstimantes. Pestis mala, sed recens, & quæ nuper diuitum studiis obrepsisse videatur. quæ vnum concupiscentiæ instrumentum, atque vna ars accesserit. *GAV.* Librorum larga copia est. *RA.* Operosa, sed delectabilis sarcina, & animi iucunda distractio. *GAV.* Ingens est copia librorum. *RA.* Ingens simul laboris copia, & quietis inopia: huc illuc circumagendum ingenium, his atque illis prægrauanda memoria: quid vis dicam? Libri, quosdam ad scientiam, quosdam ad insaniam deduxêre, dum plus hauriunt, quàm

digerunt, vt stomachis, sic ingeniis nausea sæpius nocuit, quàm fames atque vt ciborum, sic librorum vsus, pro vtentis qualitate limitandus est. In rebus omnibus, quod huic parum, illi est nimium. Itaque sapiens non copiam, sed sufficientiam rerum vult. Illa enim sæpe pestilens, hæc semper est vtilis. *GAV.* Immensa copia librorum est. *R.A.* Immensum dicimus, quod mensura caret sine qua humanis quid in rebus rectum, sibique conueniens, tu metire. Est in his etiam, quæ optima iudicantur, immensitas, atque immoderatio fugienda, sempérque præoculis habendum illud comicum, *Ne quid nimis.* *GAV.* Librorum inæstimabilis multitudo est. *R.A.* Maiórne tibi, quàm Ptolomæo Philadelpho regi Ægypti? quem Alexandrinæ bibliothecæ quadraginta librorum millia coaceruasse compertum est, qui tamen, diuersis ex locis, diu magno studio quæsiti, simul omnes asserunt quod elegantiæ regum, curæque opus egregium fuisse ait Liuius, quem Seneca reprehendit, non id elegantiæ, curæque regiæ opus dicens, sed studiosæ luxuriam: immò ne id quidem, sed seipsam, conquisitis spectaculis, inaniter ostentantis. Et Liuij tamen dictum, & Ptolomæi factum, vtcunque forsitan regiæ opes excusent. Et in longum publicis vsibus prospiciēs regis intentio; in hoc certè laudabilis, quòd sacras literas, mundo non vtiles modò, sed necessarias summa diligentia atque impensa per electos ad tantum opus viros in Græcam linguam, ex Hebraico fonte transfudit. At quid facias, priuatis non æquantibus, sed superantibus apparatus regios? Sereno equidem Sammonico doctrinæ viro ingentis, sed maioris curæ, plurimarum literarum; sed plurium voluminum, duo & sexaginta

ta millia librorum fuisse legimus ; quos omnes Gordiano Iuniori cuius patri fuisset amicissimus, ille moriens reliquit : magna prorsus hæreditas, & multis sufficitura ingeniis? Num verò [quis dubitet] oppressura? Quid hic autem, quæso, si nil aliud egisset in vita, nullum illi vel scribendi studium fuisset, vel quærendi labor, nihil omnium, tot voluminibus comprehensorum, legere atque intelligere laborasset ? At non satis habuit negotij libros ipsos, ac librorum titulos, & authorum nomina, & librorum formas, numerúmque cognoscere? Pulcha verò ars, quæ de philosopho librarium facit. Crede mihi, non est hoc nutrire scriptis ingenium, sed necare mole rerum, atque obruere, vel fortasse mediis in vndis, more Tantaleo, siti animam torquere, rebus attonitam, degustantem nil, atque omnibus inhiantem. *GAV.* Libri innumerabiles sunt mihi. *RA.* Et errores innumeri, quidam ab impiis, alij ab indoctis editi, illi quidem religioni, ac impietati, & diuinis literis, hi naturæ, ac iustitiæ, moribusque, & liberabilibus disciplinis, seu historiæ rerumque gestarum fidei; omnes autem vero aduersi, inque omnibus, & præsertim primis, vbi maioribus agitur de rebus, & vera falsis immixta sunt; perdifficilis, ac periculosa discretio est. Vt ad plenum authorum constet integritas, quis scriptorum inscitiæ, inertiæque medebitur, corrumpenti omnia, miscentique ? Cuius metu multa iam [vt auguror] magnis operibus clara ingenia reflexerunt, meritoque id patitur ignauissima ætas hæc, culinæ sollicita, literarum negligens, & cocos examinans non scriptores. Quisquis itaque pingere aliquid in membranis,

manuque calamum verſare didicerit, ſcriptor habebitur, doctrinæ omnis ignarus, expers ingenij, artis egens. Non quæro iam, nec queror orthographiam, quæ pridem interiit, qualiter cunque vtinam ſcriberetur, quod iubetur, appareret ſcriptoris infantia, rerum ſubſtantia non lateret. Nunc confuſis exemplaribus, & exemplis, vnum ſcribere polliciti, ſic aliud ſcribunt; vt quod ipſe dictaueris, non agnoſcas: an ſi redeat Cicero, aut Liuius, multique alij veterum illuſtrium, ante omnes Plinius ſecundus, ſua ſcripta relegentes intelligent, & non paſſim hæſitantes nunc aliena credent eſſe, nunc barbara? Inter humanarum inuentionum tot ruinas, literæ ſacræ ſtant, cum maiore hominum ſtudio, tum vel maximè protegente ſua ſancta poëmata, ſuas ſanctas hiſtorias, diuinaſque ſuas leges authore illarum Deo, ſuamque perennitatem ſuis inuentionibus largiente. Reliquarum nobiliſſimæ pereunt, etiam magna ex parte periere: ſic ingentis damni nullum eſt remedium; quia nullus eſt ſenſus; neque id nouum hac in re, & virtutum & morum, damna ingentia negliguntur, cùm tanto ſtudio minoribus occurratur, literarum iacturam, inter minimas numeratis. Sunt, qui numerent inter lucra. Fuit nuper non in agris, aut in ſyluis, ſed in maxima, florentiſſimaque, & [quod ſtupeas] vrbe Italiæ, neque is paſtor aratorue, ſed vir nobilis, magnique, apud ſuos ciues loci, qui iuraret, ſe magno pretio empturum, ne quis vnquam ſuam patriam literatus incoleret, aut intraret. O vox ſaxei pectoris! Fertur tale aliquid ſenſiſſe Licinius infeſtus literis [vt ſcriptum eſt] quas virus, ac peſtem publicam nominabat. Sed origo

origo illum rustica forsan excuset. Etsi enim vsque ad Cæsareum nomen ascendisset, naturam tamen non exuerat. Verum est enim illud Flacci: *Fortuna non mutat genus.* Sed quid de nobilibus vestris dicam? qui non modò perire literas patiuntur, sed exoptant votis. Equidem hic rei pulcherrimæ contemptus, atque odium breui vos in profundum ignorantiæ demerserint. Accedent [ne à proposito deerremus] & scriptores nulla frenati lege, nullo probati examine, nullo iudicio electi, non fabris, non agricolis, non textoribus, non vlli ferè artium tanta licentia est; cùm sit in aliis leue periculum, in hac graue; sine delectu tamen ad scribendum ruunt omnes, & cuncta vastantibus, certa sunt pretia. Nec verò hæc scriptorum magis humano more lucra captantium, quàm studiosorum, publicisque rebus præsidium culpa est; quibus nulla vnquam rei huius cura fuit: oblitis, quid Eusebio Palestinæ Constantinus iniunxerit, vt libri scil. non nisi ab artificibus, iisque antiquariis, & perfectè artem scientibus, scriberentur. *GAV.* Librorum bona copia est. *RA.* Quid si capax animus non est? Meministi Sabinum illum, apud Senecam, seruorum suorum scientia gloriantem? Quid inter te; atque illum interest, nisi quòd aliquantò tu stultior, vterque equidem alieno; Verùm ille seruorum, & certè suorum; at tu librorum nil ad te pertinentium ingenio gloriaris. Sunt qui quicquid in libris scriptum domi habent, nosse sibi videantur. Cumque vlla de re mentio incidit, hic liber inquiunt, in armatio meo est; hoc tantùm, idque sufficere opinantes, quasi simul in pectore sit, elato supercilio conticescunt: ridiculum genus. *GAV.* Libris affluo. *RA.* Quàm mal-

lem ingenio, & eloquentia, & doctrina multóque maximè innocentia, & virtute. Sed hæc venalia non habentur, vt libri; &, si haberentur, nescio an emptores totidem reperturi sint, quot libri. Illi enim muros vestiunt, hæc animos; qui, quando oculis non videntur, ab hominibus negliguntur. At profectò si librorum copia doctos faceret, aut bonos; doctissimi omnium, atque optimi sæpe esse possent, qui ditissimi, cuius sæpe contrarium videmus. *G.AV.* Adminicula ad discendum libros habeo. *R.A.* Vide autem ne impedimenta sint potiùs; nonnullis, ad vincendum, multitudo bellatorum, sic librorum multitudo multis ad discendum nocuit, & ex copia, vt fit inopia orta est. Qui, si vltrò adsint, non abiiciendi equidem, sed sequestrandi erunt, vtendumque melioribus, & cauendum, ne qui forsan in tempore profuturi essent, intempestiui obsint. *G.AV.* Multi & varij mihi sunt libri. *R.A.* Fallit sæpe viarum multiplicitas viatorem; &, qui vno calle certus ibat, hæsit in biuio, multoque maior est triuij error, aut quadriuij. Sic sæpe, qui librum vnum efficaciter elegisset, inutiliter multos aperuit, euoluitque. Multa sunt onerosa discentibus, doctis pauca sufficiunt. Nimia, vtrisque sunt importuna; sed fortioribus humeris subuectantur agiliùs. *G.AV.* Librorum nobilium magnum numerum contraxi. *R.A.* Librorum numero nemo [qui nunc occurrat] præter regem illum Ægyptium, nobilitatus est; neque id sibi tam numerus dedit, quàm famosa translatio. Haud dubiè mirum opus, tot ingeniorum, nisi post, vnius ingenij miraculum maius esset. Calle alio niti oportet, vt ex libris gloriam quæras, non habendi, sed nascendi; neque bibliothecæ, sed memoriæ

moriæ committendi, cerebroque, non armario concludēdi sunt, alioqui vel librario publico, vel armario ipso glorioſior nemo erit. *G. V.* Egregios multos libros ſeruo. *R. A.* Multos in vinculis tenes, qui ſi forſitan erumperent, & loqui poſſent ad iudicium te priuati carceris, euocarent. Nunc flent taciti multa quidem; nominatim illud, quòd perſæpe vnus iners affluit auarus, quibus multi egeant ſtudioſi.

De Scriptorum fama. DIALOG. XLIV.

Scriptorum tot ſunt monumenta, quot aurea cælo
Sydera: at in paucis ſtat tibi vera ſalus.

G. V.

QVid, quòd ipſe libros ſcribo? *R. A.* Morbus publicus, contagioſus, inſanabilis. Omnes ſibi vſurpant ſcribēdi officium, quod paucorum eſt. Vnus hoc correptus malo, multos inficit: æmulari enim pronum; imitari arduum; vnde in dies creſcit ægrotantium numerus, ſimulque vis ægritudinis ingraueſcit; quotidie plures, quotidie peiùs ſcribunt; quoniam ſequi facilius, quàm aſſequi. Scitum, reque compertum, & cum tempore clarius eſt illud ſapientis Hebræorum: Faciendi plures libros nullus eſt finis. *G. A. V.* Scribo. *R. A.* Suis vtinam ſe finibus tenerent homines, rerúmque ordo conſtaret, qui mortalium temeritate confunditur; ſcriberent, qui ſciunt, & qui poſſunt; alij legerent vel audirent. Itáne parua enim animi voluptas intelligere eſt, niſi manus ad calamum præſumptuoſa feſtinet: & quiſquis libri particulam intellexit, ſeu intellexiſſe viſus eſt, ſibi illicò libros ſcribere videatur idoneus? Hæreret vtinam memoriæ vnum Ciceronis noſtri dictum, in Tuſculani ſui veſtibu-

lo ne quem lateat, claro scil. ac patenti loco positum: Fieri enim, inquit, potest, vt rectè quis sentiat & id quod sentit, eloqui politè non possit, & sequitur: Sed mandare quemquam cogitationes suas literis qui eas, nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis & otio, & literis. Sunt quidem Ciceroniana ista verissima, sed ea iam vsq; adeò vulgaris abusio est, vt nemo non sibi vni dictum putet; quod illi olim sacratissimo exuli, qui non de arescentibus riuulis, sed de ipso veri fonte potauerat, quæ scribebat, dictum est & sæpius repetitum, Scribe: cui præcepto contemptores præceptorum omnium, omnes obediunt, omnes scribunt. Quod si in his, qui alienos scribunt libros, magni diximus esse periculi quanti putas in his, qui proprios recentesque, quib. dubias atq; damnatas mundo inuehunt disciplinas? Seu, quod in his malum est leuissimum, stilo obtundunt incondito, ac agresti; sic, vt cui vis desit ingenij iactura saltem temporis, laborque auriũ, tædiumq; non deerit. Hic vestrarum hodie non alius fructus inuentionum, aut inficere aut afficere: reficere autem, aut nunquam aut perrarò. Omnes tamen assiduè libros scribunt, nec vlli ætati tãta vel scribentium, vel differentium copia; tanta scientium, atque eloquẽtium fuit inopia. Horum de libris accidit, quod ibidem Cicero idem ait. Itaque suos libros, inquit, ipsi legunt cum suis; nec quisquam attingit præter eos, qui eandem scribẽdi licentiam sibi permitti volunt. Quod quidem Ciceronis ætate rarum fuit, nunc commune: Omnes igitur attingunt, quia, scilicet, eandem licentiam volunt omnes, sic se mutuò cohortantur, impelluntq; scribentes inania, & laudantes, laudemque

que similium, falsis de laudibus aucupantes. Hinc illa igitur scribentium audacia, rerúmque confusio ne tu valde tibi placeas, libros scribens. *G. AV.* Scribo libros. *R.* Melius fortassis illos legeres, optimè autem in vitæ regulam lecta conuerteres. Tunc est vtilis notitia literarum, dum in actum transit, séque ipsam rebus approbat, non verbis; alioqui verum sæpe deprehenditur, quod scriptum est, scientiam inflare. Clarè, velocitérque intelligere, multa simul, & grandia, eademque tenaciter meminisse, & ornatè eloqui, & artificiosè scribere, & pronunciare suauiter: hæc omnia, nisi ad vitam referantur, quid sunt aliud, quàm inanis instrumenta iactantiæ, inutilisque labor, ac strepitus? *G. V.* Libros scribo. *P.* Forsan vtiliùs arares campum, gregem pasceres, telam texeres, maria nauigares. Multi, quos natura mechanicos fecerat, illa inuita, atque obluctante, philosophantur; contrà, aliquos philosophiæ aptos natos in aruis, aut pascuis, in scamnis opificum aut nautarum transtris, fortuna detinuit. Vnde effectum; quod mirentur causarum inscij, vt in mari medio, aut rure in syluis, inque officinis acria, & erecta reperiantur ingenia, cùm in scholis exigua, ac deiecta sint; difficilè enim vincitur natura, si vincitur. *G.* Scribo ardenter. *P.* Quantò ardentiùs olim multi quorum ardor sic extinctus est, vt scripsisse illos nisi id alij scriberent, nesciretur. Nullum opus humanum semper durat, & mortalis labor nihil efficit immortale. *G.* Scribo multa. *R.* Quantò plura alij? Quis Ciceronis libros aut Varronis enumeret? Quis Titi Liuij aut Plinij opera metiatur! Græcorũ vnus sex millia librorũ edidisse traditur. O ardentẽ spiritũ, si vera res est! O longũ otium, ac tranquillum! Certè si vnum, duósve, aut

omnino paucos libros bene scribere, multi negotium est laboris: tot vnum millia scripsisse, non tam facile est credere, quàm mirari. Summi tamen attestantur authores, quibus non credere durum sit; quique hunc numerum non auditu sibi: nec visu solo, sed eorum librorum lectione compertum dicant; quos, si vnum omnes legere potuisse mirabile, quantò mirabilius est scripsisse? Longum est enumerare, qui viri apud nos, qui verò apud Græcos, & quę scripserint, quorum nullus ad plenum studiorum fortunatus fuit. Sed horum aliqua, illorum autem magna pars quorundã omnia periere. Tu, de tuis, quid prędagias, videto. *G.* Scribo, & ea mihi interim voluptas vnica. *R.* Si, vt ingenium exerceas, scribendoque aliis, te doceas: ii, vt obliuiscaris temporum, pręteritiq; memoria, tędium effugias, excuso; si, vt scribendi morbo quidem occulto, & insanabili medeare, misereor. Sunt namque [si nescis] qui non scribunt, nisi quia nequeunt desinere, & velut ex prędpiti decurrentes, volentésque subsistere, rapiuntur. *GAV.* Scribendi impetus ingens est. *R.* Melancholię species infinitas ferunt; alij lapides, iactant, alij libros scribunt, huic scribere furoris initium est, huic exitus. *G.* Scripsi multa, & scribo. *RA.* Si posteris profuturus, nihil satius: si tibi nudum nomen quędturus, nihil vanius. *GAV.* Multa scripsi. *RA.* O prędclaram insaniam & mirantur, si membranę solito chariores sunt! *GAV.* Scribo, & hinc famam spero. *RA.* Dixi iam melius forsitan arares, aut foderes, messem sperans. Humi enim tutius, quàm in vento seritur. Atqui famę studium, & pertinax scribendi opera, vt quosdam claros, sic innumerabiles stultos, atque inopes in senium misit; nudosque,

& loqua-

& loquaces spectaculum vulgo fecit. Ecce, dum scribitis, melioribus curis idoneum tempus elabitur. Extra vos rapti, sopitique, non aduertitis, donec serò vos senectus excitet ac paupertas. *G.* Scribo autem famæ cupidus. *R.* Mirum studium, de labore ventum quærere. Certè ego ventos optare, nauticum putabam.

De Magisterio. DIAL. XLV.

Quàm pulcrum ducis, si dicaris esse magister;
Sola magisterij nomina Christus habet.

GAV.

AT magisterio insignitus sum. *R.A.* Mallem, fateor, disciplinam: magistro enim indisciplinato & rudi nihil est turpius. *GAV.* Magister ex merito factus sum. *R.A.* Vt magister dignè sis non nisi discipulus meruisti: obsequentē, atque humilem te, docilémque præbuerit oportet; alioqui aberrasti in via quæ ad magisterium ducebat: etsi non ignorem quòsdam sine magistro ad scientiæ gradum altissimum conscendisse, idque de seipsis viros magni nominis prædicasse literísque mandasse. Sed his labor & ingenium, & discendi ardor & intentio & assiduitas, & perseuerantia pro magistro fuit, nec internus in silentio magister defuit. Ar nunc mihi de communibus sermo est. *GAV.* Magister dicor. *R.A.* Multis, ne magistri veri essent magisterij falsum nomen obstitit, dúmque de se plus omnibus, quàm sibi, dúmque quod dicebantur sed non erant, esse crediderunt; quod esse poterant non fuerunt. *G.* Magisterio clarus sum. *R.* Vidisti vini acidi tabernam, picturis, aut floribus vernis insignē; vbi sitiens viator falli possit. Sed nūquid & caupo suis fallitur artib.? Sūt certè aliqui sic fallaciis assuefacti, vt lōgo

vsu fallendi alios, ad extremum & se fallere incipiant; quódque diu suasere aliis, aliquando persuadeant sibi, & quod falsum scíuerint, verum credant. Tu, vt libet magisterio gloriare; quod si digno obtigit, nihil noui, sin indigno, duo hæc mala secum attulit. vt & discere pudeat, & notior ignorantia tua sit.

De Variis titulis studiorum. DIAL. XLVI.

Quid doctrinarum titulo lataris inani?
Nota est in docto nulla Camæna tibi.

GAV.

TItulis multis ac variis exornor. R. Fœcunda frondium est vanitas, sed inanis fructuum. G. Titulis multis abundo. R. Si veris, grauis sarcina: sin falsis, fœda, & pudenda. Quid opus est titulis, quibus aut labor insit, aut dedecus? Virtus vno, seu potiùs nullo titulo contenta, ipsa sibi est titulus. G. Theologiæ titulum sum adeptus. R. Erant olim huius scientiæ professores: hodie [quod indignans dico] sacrum nomen prophani, & loquaces Dialectici dehonestant; quod nisi sic esset, non hæc tanta, tã subitò pullulasset seges inutiliũ magistrorũ. G. Philosophię titulũ merui. R. Philosophia non sapientiã, sed amorẽ sapientiæ pollicetur. Quisquis hanc igitur vult, amando consequitur. Non est, vt quidã putant, operosus, aut difficilis hic titulus; dummodò verus amor sit, & vera, quã ames sapientia; philosophus verus eris. Verã sanè sapientiam, non, nisi purgatæ, piaéque animæ, vel intelligere possunt, vel amare. Ad id ergo res rediit, quod est scriptum: Pietas est sapientia. Philosophi autem vestri huius scientiæ contemptores, aut ignari; vt de Theologis nunc dicebam

cebam, ad verbosam, nudámque Dialecticam sunt redacti. Itaque de Deo illi: hi autem de natura temerariè fabulantes, illi omnipotentissimam maiestatem ventosis sophismatibus circumscribunt, & subsannanti, ridentíque Deo suæ insolentis insciticæ leges ponunt. Isti verò de naturæ arcanis ita disputant, quasi è cœlo veniant, consilióque Dei omnipotentis interfuerint; obliti, quod scriptum est: Sensum domini quis nouit? Aut quis consiliarius eius fuit? Neque nostrum audientes Ambrosium, qui sæpè id multis ac validis argumentis; eo autem libro, in quo fratris obitum luget, præcisè admodum, breuitérque: Philosophi, inquit, de cœlo disputantes, quid loquantur, ignorant. *G.AV.* Artes profiteor multas. *R.A.* Facillimum id quidem: multas nosse difficilius: melior sanè, tutiorque confessio quàm professio est. Illa enim humilitatis, & pœnitentiæ; hæc leuitatis, & insolentiæ plena est. Multò certè facilius indulgentiam confessi quærunt, quàm scientiam professi. *G.AV.* Diuinæ, atque humanæ sapientiæ titulum consecutus sum. *R.* Sapientia titulis non eget; per se ipsam clara est. Quis lucernam, quæso, vnquam soli, vt videretur, adhibuit? Multi, & cum his titulis obscuri; & absque his, clarissimi euasere. Sæpe nullum bonis; clarum, malis mercibus signum fuit. *G.* quid quòd poëtica laurea comam construxi? *R.* Superior vnus est labor, verum quærere; sed hic duplex quærere, & ornare, atque ad aurium oblectationem fingere, magna res est, ardua, difficilis, eóque rarissima: veri nempe poetæ vtrique operam dant. Communes verò primùm negligunt contenti phaleris. *G.* Rarum laureę partum decus. *R.A.* Quæsitum, vnde Rempublicam, rémque familiarem vni post habeas curæ. Quæsi-

tum iter ad inopiam, ni sedenti vltrò prodiga tibi opes conuehat fortuna: quæsitum vnde aliis amens, aliis insolens videare. G. Mihi ipse lauream coronam decerpsi. R. Virentissima arbor, si decerpitur, confestim, nisi ingenio vberi, vigiliq́ue studio rigetur, aruerit. G. Parta mihi laurea. R. Partus labor, partus liuor, seu illa studiorum, seu armorũ merces est: tener ille ramulus, animo nihil omniũ, signũ vertici præbuit inane, ostendens te multis, quos meliùs latuisses. Quid aliud, quàm te morsibus obiecit inuidiæ? pace, belloque, multis insignia nocuere. G. Artem oratoriam sum professus. R. Mirum audio: ea nempe in desuetudinem abiisse iam pridem visa erat; vt, quæ immensis & innumerabilibus rebus constat: vnde fit vt Oratores ipsis etiam vatibus rariores semper fuerint: proinde fuere, qui dicerent; Oratoris proprium, de omni re copiosè, ornatéque posse dicere: quanuis ea sententia, velut arrogantissima sit reiecta: quantis sanè de rebus, & si non de omnibus dicere habeat Orator; adhibita in singulis artificiosa, & dulci quadam eloquentia; quæ, per se ipsam, magna res est; æqua si lance libraueris, obstupesces, téque fortasse professionis temerariæ pœnitebit; vt caueas, ne dum scire, vel infinita, vel omnia vis videri; nihil scire videaris; &, quod sępe accidit, sub scientię professione, multiplicis ignorantia delitescẽs necessariò in apertum exeat. G. At liberaliũ sum Professor artium. R. Sępe etiam plus habet ea res audacię, quàm doctrinę. Ad vnam quanque artium breuis est vita. Vnus tu sufficis omnibus? Vna ars vni ingenio satis est, vt ad summum ęstuando, & anhelando perueniat. Multas degustasse, quantũ cœpti necessitas exposcit, ídq: ipsum nosse, quàm professum esse, modestius. Addam, quod doctis-

doctissimis visum est, vnam ipsam omni ex parte cognoscere: nulli etiam illustrium, contigisse. De sola nempe Rhetorica notum illud Senecæ: Magna, inquit, & varia res est eloquentia, nec adhuc vlli sic indulsit, vt tota contigerit. Satis felix est, qui in aliquam eius partem receptus est. Id sanè quibus viris & quantis testibus verum probet, audisti. Quod cùm ita sit, quid agant, & quid audiant, cogitent, agmina professorum penè iam vulgus æquātia, tam ruditate, quàm numero; quę, nō vna quidem parte, sed nec vna arte contenta ex æquo omnes inuadunt. O fiducia ingens! sed iam publica. ?. Quid de medicinæ tandem; iurisúmque professione dictura es? *R.* Ad hoc ægri tui clientésque respondeant; quid illis vnquam ad salutē corporis, victoriámque causarum titulus iste profuerit; tibi ad lucrum forsitan sæpe profuit. In hoc artes, siue artium nomina quæritis; & quod scientiæ defuerit suppletur titulis, atque habitu; verúmque illud Satyrici.

Purpura vendit
Causidicum, vendunt amethistina.

Nec id minùs.

Vt redeant veterés, Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, nisi sulserit annulus ingens.

Postremò hæc tibi horum omnium summa erit, esse quosdam raros, quorum solida, & honesta sint studia, horum finis est veritas ac virtus. Hæc est rerum notitia, morumque correctio; &, vel vitæ mortalis ornamentum, vel æternæ aditus. Reliquorum verò quæ ingens turba est; pars gloriam petit, præmium inane, sed fulgidum: maiori autem parti vnus fulgor pecuniæ, finis est; præmium non exiguum modò, sed sordidum, &

labori impar, nec ingenuo dignum nisu. Hisque omnibus titulus, vt dixi, habitus, non spernendus quidem: ad id enim, quod intendunt, valet. Nēpe omnium penè mortalium, & præsertim vulgi, horum ope egentis, animus, iudiciúmque vmbris eluditur. Magna pars rerum opinionibus agitur. At virtuti deditos, titulis gloriari, alienum prorsus, atque absonum: immò verò ne possibile quidem reor. . Multa profiteor. R. Præstat vnum bene facere, quàm multa promittere. Bene irent res humanæ; si, quod profitentur homines, id essent.

De Titulis negotiorum. DIAL. XLVII.

Si te virtutes capiunt, quid quæris in aula?
Scis Dominos dubiam semper habere fidem.

G. AV.

PRocurator Regis sum. R. Ergo hostis populi. G. Procurator fisci sum. R. Et Reipub. inimicus. G. Negotiorum gestor regius sum. R. Sua negotia gerere, laborioſum est; quid censeas aliena, præcipuéque potentium? quibus placuisse perpetua seruitus, displicuisse discrimen, supercilium graue, paratúmque, pro leui etiam offensione, supplicium. G. AV. Negotia regis ago. R. A. Rationem duro sub iudice redditurus; nisi omnium spoliis, tuóque odio, & crimine vix implendam. G. Regia negotia procuro. R. Vide ne cùm procuratio ipsa difficilis, tum difficilior sit rario, tanquã inextricabilis; vt quod de multis vidimus, patrimonium, famam, tuúmque caput implicet. G. AV. Regius procurator sum. R. A. Displicendum multis; ad extremum domino; quódque periculosius, Deo: próque leui regis emolumento, grauia regni mala, & ingentia damna populorum vel dissimulanda, vel perpetranda. G. AV. Procurator regius

gius factus sum. R. Quo primùm die inuisum hoc officium domus tuæ limen attigit, tibi viuere desiisti; libertas inde, & quies, & iucunditas abiere; pro his seruitus, labor, occupatio, metus, dolor, afflictio, & mordaces subierunt curæ. Iam non viuis, etsi spires: occupatorum enim vita, mors est: qui, cùm miseri omnes sint, illi sunt omnium miserrimi, qui pro aliis, maximéque pro regibus, aut tyrannis, seu quibuscunque potentibus occupantur. G. At sum iudex. R. Sic iudica, quasi mox ab alio iudicandus. Vnus est omnium iudex, Vnum tribunal incorruptum: ante illud stabitis, mortales. Quid falsi corio iudicis, sellæ iudiciariæ, impresso, & barbarica admonitione iustitiæ opus est? Ea in sella quisquis iudicum sedet: vbi, si iniustè iudicabitur nec pecunia, nec gratia, nec falsi testes nec indignæ preces, nec inanes minæ, nec diserti proderunt patroni. GAV. Consul patriæ meæ sum. R. Difficillima gloria, rarum est quidem sic consulere, vt prosis & placeas: vt sit enim in verbo veritas, in consilio fides, in commisso silentium, in oratione suauitas, euentum fortuna moderabitur, is consilio pretium dabit. G. Præfectus vrbis sum. RA. Belluam indomitam [vtque ait Flaccus] Capita multorum tenui frenas loro, atque immẽsam solus agitatam magnis fluctibus puppim, regis. parua domus ægrè regitur, magnæ vrbis, quàm difficile sit regimen, videto. Parúmne tibi curarum domi erat; qui publicas adoptasti? Quid, quòd non difficile modò iam officiũ, sed vile est: præfectum vrbis, villicum Satyricus vocat, statum notans temporum illorum: qui, si tunc villicus, quid nisi nunc Syluicus, seu Syluanus sit. Cœperat ea ætate villa esse Roma, iam Sylua est. G. Sum præses prouinciæ. RA. Honorato exilio damnatus o-

tium domesticum, externa sollicitudine permutasti. Dulce nihil aut tranquillum speres, amara, & turbida præsidentium sors, festis diebus ludisque, & conuiuiis arcentur, muneribus clausum limen, & apertum litibus tectum iocis vacuum, plenum querimoniis, ac iurgiis. Quicquid languidum, quicquid ægrum, quicquid marcidum in prouinciæ visceribus latet, totum tibi tractandũ, curandúmque obtigit: durum opus, quanti nempe negotij sit, multos corrigere, hinc patet, quòd sese corrigunt pauciſſimi.

De Militari dignitate. DIAL. XLVIII.

Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur;
Est cupidis belli, mortis aperta via.

GAV.

MIlitari cingulo exornatus sum. R. Pauca ne tibi vitæ mala visa erant, nisi militiam addidisses; qua vel inquietus semper, vel inglorius, vel periculo expositus, vel contemptui sis oportet. G. Militiam sum professus. RA. Hanc nascendo profitemini: quid professione alia opus erat? Hic ferro corpus, hic animum dolis, hic argutiis linguam armat. Nemo vestrûm est inermis, hic serit, hic ædificat hic declamat, ille causas orat, hic pedibus ille equo, seu carpento vehitur, hic currit, hic nauigat hic paret ille imperat. Nemo vestrûm otiosus. Quænam hæc noua militia est? Hic in castris, hic in rostris, hic in scholis, hic in nemore, hic in agro hic in pelago, hic in palatio, hic domi, hic peregrè vitam agit: omnes militãt, neq. homines modò, sed militare in syluis Catulũ, Flaccus ait. Et militantiũ quidē multa sunt genera. Militia vna est vita hominis super terram; quam, qui militiam diffiniuit, ille mihi demum vero

vero, & acri iudicio rem librauit, modò militiæ prælium addidisset. G. Armatæ militiæ sum ascriptus. R. Quid armaris exteriùs? intus in anima bellũ est, illam vitia obsident, atque oppugnant. Quis hic ferro locus, nisi illud ad ornatum corporis, non ad animæ tutelam induitur? Sunt enim, qui dicant, nihil pulchrius viro armato. Esse, quid pectus, & quid caput ferreũ pulchrius habeat, quàm pacificum, & inerme, non video. Quando autem hæc voluptas tibi est, age, ferro membra constringito; imbrem, solémque galea excipies, ferro indutus, clypeo operiere, humi dormiens, classico excitabere: adeptus tibi magnum aliquid videbare, sed errabas anceps, & cruentum officium elegisti. Multæ sunt autẽ fraudes spei, multæ sunt, fateor, catenæ, quæ animos, boni illius, quod omnia appetunt, inconsultè auidos, in exitium trahunt: neque inficior, quosdam militia ad amplissimas opes, siue etiã ad summũ imperium peruenisse. Crede autẽ mihi, plures ad inopiam, ad carcerem ad seruitutem, ad violentam, subitámque mortem, eodem tramite peruenerunt. Tu, ex quo militiam profiteri animus fuit, nisi dehonestare artificium tuum vis, semper animam in numerato habeas, oportet: sempérque aures tuas Cæsarea vox illa circumtonet: Discę ferire; Discę mori. Syllaba vna breuis, aut longior, tua facta variabit; vel occides; vel occides. Ad vtrumlibet, horis, locísque omnibus te paratum exhibe. Hæ artes deliciæ tuę erunt. Sine verò satyricum loqui, præmia militiæ numerantem: innumerabilia equidem præfatus vix pauciſſima colligit, in quib. prima, & summa licentia est peccandi; premiũ hercle, non tam iustis viris optabile, quàm armatis legibus [vt aiũt] inter arma silentibus. G. Militiæ filium ascripſ

R. Est id fermè vsitatum, vt militis filius, miles sit. Non potest enim, nisi quam habet hereditatem, filio pater dare, Arcum, scutum, gladium & bellū, & quod ludum conficit auro tincta calcaria. Sed quod patri diximus, sibi filius dictum sciat. *G.* Belli dux, victoriis clarus sum. *R.* Quantò meliùs pacis dux, virtutibus clarus, esses. *G. AV.* Multa bella confeci. *R.* Quietem tibi, atque aliis abstuliſti: clarum opus! Victoriis, ac triumphis notus sum. *R.* Sæpe malum bono notius, & atra tempestas serenitate famosior; denique parasti busto titulos, & vulgo fabulam; tibi nihil.

De Amicitus Regum. DIAL. XLIX.

Iactura fama, & rerum dat curia Regum;
In domibus Regum, rara auis est probitas.

G. AV.

QVæsiui mihi Regum amicitias. *R.* Hominū verò amicitia rara est. Tu tibi Regū fingis amicitias, quos fortunæ splendor, tumorque animi, omnium imparium contemptores facit. *G.* Regibus charus sum. *R.* Vilis ergo tibi est anima, virtus, fama, quies, otium, securitas: notus est mos Regum. Vix diligunt, nisi, qui his omnib. neglectis & abiectis, illorum se sæuitiæ, ac libidinis, & auaritię seruum fecit. Si ergo es charus Regibus, non est, quod amplius de te quæram; vilis es tibi. *G.* Ego autem bonitate, ac virtute sum charus regibus. *R.* Quid respondes Crispo? Nam regibus, inquit, boni, quàm mali suspectiores sunt: semperque his aliena virtus formidolosa est. *G.* Regi meo bonis artibus sum charus. *R.* Quibus, quæso, aucupio an venatu [horum enim studiosum, in præcedenti te colloquio quodam notaui.] An verò militia, de qua proximè disputatum est: quæ, nisi

nisi largo sanguine, magnisq; periculis honestetur non militię sed militaris ignauię nomen tenet, nō Regū modò iudicio, sed vulgi. *G.* Bonis artib. regi charus sum. *R.* Vanitate an periculo an criminibus? fortassis homicidio, veneficio, lenocinio proditione, blanditiis, atq; mendaciis, mala peste, sed publica, quanquam vsus excusset, & commendet vrbanitas. Hæ sunt quidem artes promerendis regibus aptiores; quibus inimicius nihil est, quàm virtus, & literæ. In his igitur nulla spes ad amicitias regū; odij potiùs causa sunt. Sic inter sapientiā, ac fortunā rara est pax. *G.* Magnus apud regem sum. *R.* Maiorne, quàm apud Alexandrū Lysimachus, apud Tiberium Seianus? vtriusq; magnitudinem, & ruinam nosti. Etsi de primo varient scriptores, linquo alios. longa est historia. *G.* Charus sum regi meo. *R.* Meliùs esses incognitus, meliùs forsitan odiosus: fugeres, quod nunc sequeris discrimen. Peior est auibus inuitantis aucupis blanda modulatio, quàm villici sonitus deterrentis. *G. AV.* Meo sum charus regi. *R.* Sunt, quorum dubites, periculosiorne sit charitas, an odium: peiores serpentibus; quibus insunt veneni mixta remedia. In his verò nil, nisi pestilens ac nociuum ineſt, seu oderint, seu diligant; propè par malum, nisi quòd odium fugat, amor detinet. Et ad summam, regum amicitiis, præter regna ipsa nil vnquam inquietius, nilque periculosius: etsi hoc periculum non ignorem, frustrà sæpe multis optatum, sæpe magnis emptum, quæsitumque periculis. Sic est vsus hominum: sic periculis emitur periculum; multis vnum, magnis maximum. Mira res: bonum ingens spernitur gratuitum; magnis malis maius malum quæritur. *G.* Spero me Regi meo charum. *R.* Id, de quo speras, quale sit, cogi-

ta: fundamentum fragile, tremulum caducum crebræ notæque regum indicant ruinæ: Vertex nubilosus, turbidus, inquietus: quod sic esse vita Regum probat tristis, occupata, difficilis. Vide ergò, vbi struxeris: vt fortuna, sic voluntas regum varia, & inconstans ac semper incerta: quanquam, nec stantibus illis, boni aliquid ista res habeat, mali multùm. G. Amicitiam regis mei, multis periculis ac sudore promerui. R A. Heu quantò tutius, quantoque facilius Regis omnium amicitiam meruisses.

De Amicorum abundantia. DIAL. L.

Non tecum qui sunt, veri sunt semper amici:
Qui manet aduersis, rebus, amicus erit.
G. A V.

A. Micitiis abundo. R. Mirum tibi vni rei huius abundantiam esse, cuius quidem, cunctis hominibus penuria tanta sit, vt ex omnib. sæculis vix pauciſſima memorentur amicorũ paria. Mihi amicitiæ multæ sunt. R. Fucatæ igitur. Veræ enim amicitiæ rarum bonum vsq; adeò, vt qui vnam, longa licet in ætate quæsierit, negotiator rerum talium sat industrius habeatur. G. Amicitiis felix sum. R. Hoc scire non potes, nisi rebus aliis sis infelix. Verum enim est illud:

Felix se nesciat amari

G. Amicitię certæ sunt. R. Ergò & aduersitas certa est. Verum est enim illud quoque;

Amicus certus in re incerta cernitur.

G. Amicitiæ multæ sunt. R. Huius rei iudicium experientiæ committe, non famæ multa mentiri solitæ: pauciores erunt fortassis, quàm reris. G. Amicitiarum nimis magna copia est. R A. Mitte superuacua in rebus omnibus: qui quod satis est, habet, amplius non requirat. G A V. Amicorum satis

satis magna copia est. R. At id ipsum neque populo Romano tum, dum maximè floreret, neque vlli mortalium contigisse, apud illustrem legis historicum. G. Amicitiæ multæ sunt. I. Dixi iam fictæ igitur, aut equidem imperfectæ [vt philosophis placet] quoniam fieri potest, vt vno tempore cum altero amicorum sit gaudendum, fiendúmq; cum altero: aut inter illos orto odio; vel hinc fidem, vel illinc, vel vtrinque, deserere sit necesse. G. V. Copia est vtilium, ac delectabilium amicorum. R. A. Sentio; ad vulgares amicitias descendis, quæ tamen, ipsæ simul plures esse vix possunt; quod multis retribuere, familiaritérque conuenire operosissimum sit animo præsertim in executione cuiuspiam difficilis, atque ingẽtis operis occupato. G. A. V. Amicos, qui prosint, & delectent, habeo. R. A. Caducæ amicitiæ, quarum delectatio, vel vtilitas, fundamentum est. Nam, & stantibus illis tremunt, & recedentibus, ruunt. Id non possibile tantùm, sed perfacile; immò verò propè necessarium, quòd hæc plærunque vel fortunam sequuntur, vel ætatem, fortunæque gratiam, quibus nihil incertius. At quæ in virtute fundantur, immortales sunt, eò quod virtus ipsa quiddam stabile, firmumque sit, & [vt verbo vtar Aristotelis] mansurúmque, quoniam mori nequit. Ideò, quos propter honestum dileximus, diligimus vel extinctos. G. A. V. Amicos ni fallor, fidos habeo, R. A. Vide autem, ne fallaris, néve experiri cupias. Nam sæpe, cuius rei fuerat dulcis opinio, amarum fuit experimentum. G. A. V. Amicos, puto bonos habeo. R. A. Vnde id putes, etiam atque etiam examina; atque illud imprimis, quantum ipse ames. Sunt enim, qui non amant, & amari putant, quo nihil est stultius; isque communis error diuitum; amorem pretio emi credunt,

qui mutuo quæritur amore. Generosissima res est bonus animus; non herbis, neque carminibus magicis mouetur: non auro, aut gemmis, non, ad extremum, ferro flectitur: amando vincitur colendóque. Eoque hoc Hecastanis Græci philosophi amatorium notissimum; quod Senecæ placuit, & mihi. Si vis amari, ama; quanquam & hoc ipsum sæpe frustrà est tam multæ, tamque impersçrutabiles, ac profundæ sunt pectorum cauernæ; tam venenosi, atque inhumani, & implacabiles quorundam animi, vt & culti spernant, & amati oderint; nec contenti nullam pio affectui vicem reddere [quod nec belluis quidem, nisi atrocissimis accidit] exasperantur obsequii, & [si credi potest] amore ad odium irritãtur, quod periculosissimũ, & inter vitæ mala grauissimum humana simplicitas experitur. *G.* Credo amicos optimos habere. *R.A.* Est hoc quidem amicitiæ perpetuum epitheton, quod, etsi linguæ absit, adest intellectui. Itaque breuiùs loqui potes. Dic amicos; vnà optimos dixeris. *G.* Habere amicos credo. *R.A.* Caue, ne falsum credas; ne quando te aliter credere ipsa res cogat. Abyssum animi metiri non est nominis: nunc amicos vina conciliant? lachrymæ autem probant, &, quod debuit primum esse, nouissimum est. *G.* Amici in hoc statu rerum multi sunt. *R.A.* Rerum, credo, felicium. Ita enim fermè accidit, vt etsi fortuna omnis amicitiis egeat, illi tamen amicorum copia maior sit, cui rerum cæterarum indigentia minor est, sic inopiam semper inopia, copiámque comitetur copia. Crescat, siue aduenial egestas, decrescent, seu abibunt, seu veriùs detegentur amicitiæ; qui amici tui fuerunt, qui fortunæ, illa videbitur abeunte. Te tui sequẽtur. Illam sui; hæc melior, illa densior caterua. Nec

est;

est, quod mirari debeas, vase exhausto, illos abscedere, qui solam vini dulcedinem sequebantur. Aduersitas simulatorem abigit, fæx potorem. *G.* Innumerabiles habere videor amicos. *RA.* Bene ais, videor. Vnde tibi autem hæc opinio, cùm omnium veræ amicitiæ ratæ sint, innumerabiles tuas esse? Persuasum autem debet esse in primis, nisi inter bonos, amicitias non constare; hinc iam certiùs æstimabis, quot, non dicam tibi, sed humano generi amicitiæ puræ sint, cùm numerare cœperis, quot sint boni. *G.* Amicos habeo complures. *RA.* Notos dic, idque, quàm veraciter sis ducturus, in dubio est. Nullum enim animal, nulla merces difficilior cognitu, quàm homo. *GAV.* Amici multi sunt mihi. *RA.* Contubernales forsan, aut conuiuæ. Hi enim nisi epulæ defuerint, non deerunt. Amici autem semper pauci, sæpe nulli, sæpe [quod iniquissimum est] amici nomen, domesticus hostis tenet, & sub velo fictæ beneuolentiæ, familiares insidię delitescunt. *G.* Supra necessitatem sunt amici. *RA.* Apprimè necessarius ferè omnibus, maximeque potentibus, deest semper; qui scil. inter tot assentatorum mendacia, verum loqui audeat, & veliti qua in re multis, amico vtilior hostis fuit. *GAV.* Multos habeo amicos. *RA.* Crede mihi, pluribus indiges, sanctiorque esset orbis terrarum, & quietior, si tot essent amicitiæ, quot feruntur. *GAV.* Amicum habeo. *RA.* Multum est. Nil amico charius, nil rarius.

De Amicis incognitis nisi per famam. DIAL. LI.

Munera si dederis, multos numerabis amicos.
At tu sæpe manum contrahe, nullus erit.

GAV.

FAma præsens, absentes mihi peperit amicos.

RA. Est id quidem aliquando visum, sed non

ſolùm incognitos, ſed hoſtes quoque fama faciat amicos. Fecit Maſiniſſam Scipioni: vt qui in omni Carthaginenſium equitatu primus eſſe conſueuerat, in omni Romanorum equitatu, aduerſus Carthaginem primus eſſet: neque hoſtes tantùm proprios; ſed prædones; qui publici omnium mortalium hoſtes ſunt, eidem illi famæ ſplendor attraxit; qui Lintherni ad eum in exilio habitantem, facto agmine venientes, ſic, vt primo aſpectu terribiles viderentur; vbi ſe ſuſpectos intellexerunt, poſitis minis, atque armis, & dimiſſis ſatellitibus, in ſuetam manſuetudinem induti; ſoli prædonum principes acceſſerunt, eumque ceu numē aliquod, domumque eius, vt templum deuotiſſimum venerati; dextra illa victoriosa multis oſculis fatigata, affixiſque muneribus domus in limine, qualia Deorum aris affigi mos tunc erat, quaſi ingenti lucro aucti quòd virum illum conſpexiſſent, & tanquam cœleſti viſione alacres abierunt. Hoc illi vni contigit. Quære alium: vbi eum, quęſo reperies? Vt tamen aliis accidat, & nominis claritas abſentem conciliet amicum [multùm enim in rebus, non inficior, poteſt fama] nuquid tamen non verendum erit, ne [quod ait quidam] Minuat præſentia famam? quam multi, quos abſentes ſtupuerāt, coràm poſitos contempſerunt? Tenera res eſt iudicium humanum: facilè flectitur. *G.* Fama mihi amicos trans alpes, & trans maria quæſiuit. *R.* Veſtra ferè omnia friuola æquè, & inania ſunt. Nam quis vſus, aut quis fructus fuerit illius, à quo nec viſus, nec videndus, quémue, nec videris, nec viſurus vnquam ſis? Vitia veſtra præſentes quoque amicitias inutiles faciunt & infidas; quamuis non ſint illæ quidem, ſed dicantur amicitiæ. Quid nunc igitur de his tuis amicitiis ſpęres? Vide. Obſequium amiços

micos parere ait Comicus. Immò hercle veri amici vix multis obsequiis pariuntur. Tu credis amicum paucis fortè, & ne tuis quidem verbis quæsiuisse? bonæ spei es. *G.* Fama ab extremo terræ mihi attulit amicum. *R.* Fama contraria illum tibi auferet, eoque faciliùs, quò patentiores malis quàm bonis relatibus aures sunt. *G.* Fama mihi bonum peperit amicum. *R.* Vnde scis, quàm bonus sit, quem nũquam videris, rogo; cùm illi ipsi quos quotidie vides, atque alloqueris, quales sint tanto in tempore, nondum scias. Sæpe vos credulitas vestra circunuenit: libenter creditis, quod optatis. Multùm fidei famæ tribuitis mendaci. Speras eius animum videre, cuius nunquam frontem videris, cùm sint inter notissimos quoque, tot pectorum diuersoria, tot latebræ? Difficile est enim amicum, nisi in magna aduersitate, cognoscere; operosius est illum nosse, quàm quærere. Vna sæpe hora paucis verbis quæritur, qui vix multis annis, atque experimentis agnoscitur. Voco autem amicum, vt vulgus. Verus enim, non antè quæritur, quàm probetur. Nec amicum probant aliorum verba; certè nec propria sed experta charitas fidésque. *G.* Amicum mihi de longinquo fecit fama. *R.* De te aliquid mentiendo, quispiam tibi amicum dedit. De te vera loquendo, vel forsitan mentiendo itidem, tibi hunc ipsum alter eripiet. Quibus viis fiunt crescuntque omnia, eisdem facilè resoluuntur. Et natura vult, vt citò aucta, citò desinant.

De Amico vnico fideli. DIAL. LII.

Verus amicitiæ cultor, pretiosior auro est,
Et gemmis. Sed enim, dic mihi, vbi inuenias?

GAV.

AMicum vnum fidum, & expertum habeo. *R.* Sæpe, & experiendo, veſtrum errat acumen; &, dum vos ipſos peritiſſimos iudicatis, in hoc ipſo ac perinde, cęterarum rerum, in æſtimatione fallimini. *G.* Scio ego [non æſtimo] amicum mihi eſſe fideliſſimum. *R.* Et quot putas idem credentes; immò, vt ſibi videbantur, & ſcientes; cũ ad arctiſſimum ventum eſſet examen, ſeſe luſos inuenerunt? Vnde verò tot quotidie de amicis prodeunt querelæ? niſi quia, quos fidiſſimos habebatis, inueniſtis infidos. Nullius rei tam difficilis, quàm humani animi coniectura æſtimatioque eſt. *G.* Nihil coniicio, nihil æſtimo, vt dixi, ſed ſcio amicum veriſſimum me habere. *R.* Habes rem, aut optimam, aut peſſimum errorem. *G.* Nullum rei huius errorem habeo, ſed amicum multis, ac magnis expertum caſibus. *R.* Habes ergò rem dulciſſimam, ſanctiſſimamque; qua vna, poſt virtutem ſolam, nihil homini melius in hac vita, ſeu natura, ſeu caſus aliquis, ſeu labor, ac ſtudium dedit. Dulces, fateor parentes, dulces filij, dulces fratres: poſſunt tamen amareſcere; nec parentes ideò, nec fratres quidem deſierunt eſſe, nec filij cum dulces eſſe deſierint; at amicus ſolus [dum ſit verus] dulcis, & charus eſſe non deſinit. Chari inquam, ſunt parentes; nonne autem Iupiter Saturnum regno patrem expulit? Nicomedes, Pruſiam Bithyniæ regem, ſuum patrem, conſilia licet necandi filij agitantem, vita priuauit: & Ptolomæus, hinc philopator dictus, patre, ac matre, inſuper & fratre occiſis; ad vltimum & vxore Euridice interfecta regnum Ægypti ſcortorum ſic rexit arbitrio, vt nihil in regno proprium haberet, præter nudum, & inane regis nomen? Nonne & Oreſtes Clytemneſtram matrem? Agrippinam Nero? Antipa-

ter

ter Thessalonicem interfecit? Chari filij: nonne Theseus Hippolytum castissimum? Philippus rex Macedoniæ, Demetrium filium adolescentem optimum iussit occidi? Nonne & Ptolomæus alter, aduersum pietati nomen, & ipse quoque fidissimus rex Ægypti, duos? Et Herodes rex Iudææ, vnum? Et Constantinus Romanorum Imperator vnum quoque, Crispum filium interemit? Nonne Maleus, dux Carthaginensium Carthalonem filium crucifixit? Quin & matres, quarum amor hinc intensior, hinc mitior sexus, in filios sæuierunt. Nota omnibus Medea. Quid Laodice Cappadociæ regina, quæ regnandi cupiditate, filios quin que mactauit? Chari, inquam, parentes [repeto enim] chari filij, chari fratres. At [vt vno exemplo omnis claudatur impietas] Phraates rex Parthorum, omnium regum sceleſtissimus, omniumque mortalium regnandi, non cupiditate, sed rabie, furiisque actus, Orodem senem, & afflictum patrem, ad hæc & triginta fratres suos, dicti regis filios, suumque insuper filium occidit, ne quis superesset in Parthia, qui regnaret. Sed vetusta hæc. Nunquid non & recentiore memoria inter patrē, & filium, de regno, in Britannia certatum audiuimus? & nudiustertius inter fratres in Hispania decertari vidimus? quanquam talium odiorum, & maximè fraternorum, crebra adeò, & noua & vetera sint exempla, vt penè laboriosius sit exquirere, qui amici fratres fuerint, quàm qui hostes, vtrunque post ponimus: Remedia enim nunc, non exempla colligimus. Quid Præterea? An non chari coniuges, charæ vxores? Sed interrogabis Agamemnonem & Deiphobum; &, de vestris, Claudium Cæsarem, ac minorem percunctaberis Affricanum: Hi tibi, quàm chari fuerint vxoribus

ſuis dicent: contrà verò Octauiam ſciſcitare, & Arſinoem quid illa de Nerone ſuo, hęc de ſuo ſentiat Ptolomæo. Illa de adoptiuo, hæc de naturali fratre, vtraque de marito. illa quidem in ſeipſa, hæc in filiis experta, teſtabitur. Eminentia, vt vides, & clara decerpimus: vulgus: & vrbes. & communem vitam hominum, his plenam querimoniis præterimus. Quibus ita ſe habentibus, cùm in omni genere illorum qui chariſſimi videantur, odiis ſæpe latentibus ſæpe etiam manifeſtis, multa inſit amaritudo; ſola amicitia odiis vacat. Nemo vnquam non dicam occidit, aut perdidit amicum, ſed ne læſit quidem volens. Quamobrem ſi amicum verum, qualem prædicas inueniſti, magnas te diuitias inueniſſe credito; illud vide, [vt magna pars hominum rebus dedita vilibus, nobiliumque contemptrix, & agris, aut mercibus, quàm amicitiis, ac virtutibus colendis intentior] quod optimum nactus es, negligas. Si tantam curam impenditis cuſtodiæ auri, & argenti atque orientalium lapillorum, quæ ſunt terræ fæces, & pelagi purgamenta; quanta diligentia amici cultui impendēda eſt, rei pretioſiſſimæ, ac diuinæ? Nequa vnquam re offenſus, ne quo vnquam verbo alienatus effugiat ſe rumque audias illud eccleſiaſticum: Sicut qui dimittit auem de manu ſua, ſic reliquiſti proximū tuum, & non eum capies, non illum ſequeris, quoniam longè abeſt. Effugit enim, ſicut caprea de laqueo, quoniam vulnerata eſt anima eius; vltrà eum non poteris colligare. Proinde ingens bonum habes, ac ſuaue; operoſum tamen ac difficile, quæſitu, inquam, operoſum, & cuſtodia. Magnus theſaurus eſt amicus, ſed magna ſeruandus cura, magno, ſi pereat, lugendus fletu.

De

De Diuitiarum copia. DIALOG. LIII.

Quando foramen acus poterit pertrare camelus,
Tunc poterit diues regna videre poli.

GAV.

SEd abundo opibus. *R.* Iam non miror, si & amicitiis abundare visus eras. Non est nouum, neque insolitum, locupletũ limina vulgaribus amicitiis & simulatis obsequiis frequentari. *G.* Opum magna vis est mihi. *R.* Anceps, & onerosa felicitas, & quæ plus inuidiæ sit habitura, quàm gaudij. *G.* Diuitiæ exundantes sunt. *R.* Non statim ideò exundans quies, exundansque iucunditas: vix diuitem inuenias, qui non sibi melius fuisse in mediocritate, vel honesta etiam paupertate, fateatur. *G.* Multæ mihi accreuere diuitiæ. *R.* Securitas, gaudium, tranquillitas decreuere, quæ, si cum illis crescerent, non amari tantùm diuitias peterem, sed hortarer. *G.* Opes multas habeo. *R.* Habes rem quæsitu difficilem, custoditu anxiam, amissu flebilem. *G.* Magnæ mihi diuitiæ sunt. *R.* Sparsæ si fuerint, decrescent, seruatæ non te diuitem, sed occupatum, non dominum facient sed custodem. *G.* Diuitias habeo ingentes. *R.* Vide ne potiùs habeare; hoc est, ne non diuitiæ tuæ sint, sed tu illarum, neque illæ tibi seruiant, sed tu ipsis. Nam, si nescis, plures multò sunt, qui habentur, quàm qui habent, multoque crebriores, quos propheticus sermo notat; Viros diuitiarum, quàm diuitias virorum; sic vos vestra cupiditas, vilitasque animi, de dominis seruos facit. Vsus quidem pecuniæ notus est, vt naturæ necessaria comparentur; pauca simul, & exigua, longéque facilia: quicquid excesserit, graue est; nec iam diuitiæ, sed vincula, sed compedes: nec iam corporis

ornamenta, sed impedimenta animi, & sollicitudinum, atque formidinum acerui. *G.* Diuitiis plenus sum. *R.* Caue ne te rumpant. Omnis enim plenitudo quærit exitum. Multis mortem attulere diuitiæ, requiem ferè omnibus abstulere. *G.* Opes habeo immensas. *R.* Bonis moribus rem aduersam. Nimiæ opes, non modò singulorum hominum, sed populi Romani corruperũt mores, miramque illam, & eximiam fregere virtutem; qui tam diu clarus, & tam diu iustus, atque integer, quàm diu pauper fuit: in egestate victor gentium, &, quod est glorioſius, victor sui; domitorque vitiorum; à diuitiis victus est, atq; pessundatus; nota loquor. Quid nunc tibi de diuitiis sit sperandum, vides. *G.* Diuitiis affluo. *R.* Quantum mallem virtutibus abundares. *G.* In diuitiis requiesco. *R.* Consopiti estis in vepribus, miseri. Grauis sopor, qui non sentit aculeos. Venit ecce, quæ vos excitet & exponat luce clariùs, id, quod scriptum est: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.

De inuentione Aurifodinæ. DIALOG LIV.

Quærit auara manus lucrum per saxa, per ignes;
Abdita nec tellus tutà manere potest.

GAV.

AVrifodinam inueni. *RA.* Hæc spes opum, multis inopiæ, nonullis exitij causa fuit: dum, neglectis omnibus aliis curis huic vni deditis, & laboris plurimùm, & lucri modicum res habuit; dum ad hanc auri cupidinem cœlo, & sole derelicto, in tenebris æuum agere didicerunt, cœco, & noxio, ante tempus, vapore consumpti. *GAV.* Aurifodinam casus obtulit. *RA.* Vt auer-

auersus à contemplatione cœlestium, terrestribus inhies; neque tantum modò humi accliuis, sed sub terra mersus, infeliciùs viuas, & breuiùs. *G.* Aurifodinam ingredior. *R.* Nero Cæsar, suprema illa sua nocte terribili, & misera, sed sibi debita, vt quoddam specus ingrediens, ignominiosam mortem, & ludibria populi persequentis euaderet, à suis admonitus, negauit viuum sub terram se iturum. Tu nullo metu impellente, sed auaritia rapiēte, viuus is sub terram: neque hinc te almum cœli limen retinet; illinc atræ telluris horror excludit. Quid mirum; per omnes terras quærendę diuitiæ, homines fatigant, quando & sub terram quæsitæ, & effossæ, tartareos exagitant manes. Vtque ait Naso:

Itum est in viscera terræ.
Quasque recondiderat, stygiisque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

G. Aurifodinam inueni. *R.* Vetus est verbum: Sæpe vnus leporem mouet, alter capit. Inueniſti prædam, quàm plurimi concupiscant; vnus rapiat, & tu ille forsitan vnus non sis. Circum optabila fit concursus, & periculum est, inuenisse vnum, quod cupiant multi, nullus partiri velit. Hæc est causa, cur, cùm Italia [vt ait Plinius] metallorum omniū fertilitate nullis cedat terris, interdictum id vetere consulto patrum atque occultatum est, vt Italiæ parceretur. *G.* Auriferam terrā fodio. *R.* Labor certus, euentus ambiguus. Quid, si multum inuenias, sed non tibi? quid, si tibi inuenisse peius sit, & nihil inuenisse erat melius? Humano sæpe gaudio mœror est proximus. *G.* In aurifodinam descēdi. *R.* Inter homines quæri solet, quod inuentum, mergat in tartara; tu apud tartarum quæris, quod

te tollat ad superos. G. Aurifodinam reperi. R. Prorsum iter ad inferos inueniſti.

De inuentione Theſauri. DIAL. LV.

Colligethesauros quos nulla æruge peredit;
Nec tineæ, nec quos fur malus abripiet.

GAV.

THeſaurum reperi. R. Caue doloſos, & inſidias fortunæ. Hamis eſca prætenditur: Viſcus, & laquei blandum aliquid præſe ferunt. G. A. Theſaurum inueni. R. Multis theſaurus mors fuit: vt nullum corpori periculum ſit, diſcrimen eſt ingens animæ. Non ſatiant opes deſiderium immò nec mitigant, ſed accendunt: humana cupiditas ſucceſſibus inardeſcit, & creſcente auro, creſcit auri ſitis, & quærendi ſtudium, minuiturque virtus, quæ vna mors animæ eſt. G. Theſaurum mihi ſors obtulit. R. Pondus infeſtum, contrariumque modeſtiæ. Nil ſibi non arrogat, quem repens fortuna beauerit. G. Inſcius in theſaurum incidi. R. Tutiùs forſan in colubrum incidiſſes. Cùm enim diuitiæ auri, & argenti; virtutum inopiam afferre ſoleant; idque ſit omnibus proprium tum præcipuè repentinis; quòd aliæ, ſi ſenſim nocent. dum & vero aliquid detrahunt in dies. & opinionibus falſis robur adiiciunt, hæ ſubitum pariunt ſtuporem, improuiſoque impetu mentem turbant. G. Theſaurum inuentum domi abdidi. R. Quod in hac tua lætitia ſummum eſt, inueniſti grauem, & inutilem terræ fæcem: pudeat cœleſtis naturę animum his attolli. G. Theſaurus inſperatus obtigit repentè. R. Hũc manſurum credis; at repentè deſinet. Quæcunque ferè citò creſcunt, citò occidunt. Subitæ opes, quaſi felicitas ſomniantis,

De

De Fœnore. DIAL. LVI.

Ingens est vsura malum, mala pestis in Vrbe;
Impia non aliud tartara maius habent.

GAV.

PEcuniam in tuto fœnore posui. *R.* Est & qui bene inuentis, malè vtitur, & qui malè inuentis, peiùs & pessimè. Tu pecuniam inueniſti non vt diues fieres; sed vt malus, non tam malus [vtauguror] futurus, ni pecuniam inueniſſes. Sũt enim, qui successibus nequiores fiunt; non Dei munus agnoscentes, neque illi saltem similes, de quo scriptum est: Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei, sed apertam sibi cœlitus nequitiæ semitam existimantes. Inueniſti ergò pecuniã qua dedecus mercareris, & exanime metallum animæ tuæ sarcinam faceres infelix. *G.* Fœnus bene posui. *R.* Malum non bene poni dixeris, sed deponi. Siquidem malum pondus excusseris bene erit; alioqui, vbicunque posueris, dum ad te pertineat, malum esse non desinet. *GAV.* Fœnus optimum bene collocaui. *RA.* Quomodo bene collocetur malum videris. Sanè quantò opimius malum, tantò est peius. Notum illud Dauidicum: Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum. Quantò ergò ditior fœnerator, tantò & nequior, tantò maior auaritia, maior impietas. *GAV.* Fœnori studeo. *RA.* An nulla artium erat, cui meliùs studeres? An erant multæ, sed huic aptius erat ingenium? An quid rei est, vt huic vni studio animum applicares, quo, nescio, an aliud vsquam fœdius inuenire potueris, aut vilius; aut tam miseri prorsùs & deiecti animi, tanquam inertis iudicium? Tot vndique patent artes: tot viuendi viæ: pessimam omnium elegiſti: quòd quietior visa est, sedere, scil. & numerare dies, ac velociſſimi finem mensis expe-

ctare;non intelligens, tibi quoque horas dieſque, & menſes,& annos currere; vt nexis tuis,ſic & tibi terminum inſtare;ſic inquam,illis,vt tibi; ſic tibi vt naturæ debitum ſoluas, turpiter parta deſtituens,& incertus tui. Extorques ergò pauperibus, quo ignotos dites, & futuri ſemper metuens iudicij & obſcœnæ interim non dominus; ſed cuſtos pauidus rapinæ,fame preſſus,& infamia. Mirarer in vrbibus politicis huic flagitio locum eſſe, niſi eſſet & reliquis. Itaque,cum paulò ante hoc tempus fœneratores,vt leproſi,à conſortio hominum ſegregati agerent, nec tantùm ad eos nullus accederet,niſi egenus,ſed etiam vt malè olentes;atque contagioſi ab obuiis vitarentur,nunc iam nō modò cū populo,ſed cū principibus conuerſantur,& matrimonia contrahūt,& dignitates adipiſcūtur. Tanta vis eſt auri,immò quidem, quod pro monſtro audias,ipſi,quos Deus omnipotens male perdat,principes fœnerantur,tam leuis animæ,famæque iactura,tam ſuauis,vndecunque quæſitæ pecuniæ odor eſt. *G.* Fœnerari iuuat. *R.* Turpis delectatio,& miſera. *G.* Fœnerari ſolitus ſum. *R.* Si Catoni credimus,hominem occidiſti. *G.* Fœnerator ſum. Artificium aliud non didici. *R.* Hic auaritiæ clypeus,hæc cauſa prætenditur;quòd,ſi diſcere volenti,quoque difficile eſt;quid diſcat inuitus. *G.* Semper Fœnerator. *R.* Semper igitur miſer eris, ſemper cupidus,ſemper inops,

De Fertilitate terræ. DIALOG. LVII.

Si vius largis agri prouentibus,eſto
Munificus,largo ſemine ſis melior.
G.AV.

FErtilis ager eſt mihi. *R.A.* Vim fœcundatoris intellige, doniſque cœleſtibus ſic vtere, ne diſpliceas largienti, quod ita demum ritè fa-

facies, si & sobrietatem & modestiam fertilitas nõ excludet, & vbertatis in partem, egeni venient, atque amici. Nil soli dulce, nil sapidum. *G.* Agrum fertilem exquisitissimè colo. *R.* Nón homo terræ, sed terra homini seruire debuerat, hominum culpis effectum est, ne terra possessori suo sine labore, respondeat. Inculta messem horridam, lappas, & tribulos, paritura, hanc ferro sollicitare mirisque blanditiis mollire, mortalis coëgit indigentia. Hinc fluxit initium sanctissimæ, & innocentissimæ quondam vitæ. Nunc vni ex multis; & prisco labori, & nouis vitiis obnoxiæ, postquam nihil inuidiæ, atque auaritiæ inaccessum, rusticas etiam casas vrbana piacula peruasere. Certè vltimos hominum, rusticos malos fuisse conuenit, vnde illud poëticum

Extrema per illos iustitia excedens terris vestigia fecit.

Sed verendum, ne qui mali fuerant nouissimi, primi sint, vt si vnquam esset ad virtutem reditus & ad priscos mores, in hoc quoque sint vltimi. Nunc ad ipsam agriculturæ artem redeo, quæ magnis olim tractata viris atque ingeniis in pretio fuit, in qua vt multis in rebus, altum locum Cato Censorius tenet, de quo cùm verissimè scriptum sit, optimus senator, optimus orator, optimus imperator, tandem laudis ad cumulum illud est additum, sine æmulo, siue sine exemplo sui temporis agricola: quem puderet igitur cum Catone terram colere, quis omnino sibi turpe aliquid duceret quod pulchrum ille sibi duxisset, qui præter corporis atq; animi virtutes rerumq; gestarum gloriam etiam de Hispania triumphasset? Quis sollicitare atque hortari boues erubesceret, quos in sulcum vrgeret illa vox, quæ tot magnos exercitus in prælium accendisset, tot ancipites causas disertissimè

peroraſſet? quis raſtrum atque aratrum faſtidiret, quod illa triumphalis ac philoſophica manus attingeret? quæ inſignes de tot hoſtibus victorias periſſet, tot de rebus optimis præclaros libros ſcripſiſſet, ſiue ad Philoſophiam, ſiue ad hiſtoriam, ſiue ad vſum vitæ ſpectantibus, quales ſunt, quos de hoc ipſo quod nunc loquimur, ſcripſit. Primus equidem colendi auri præcepta collegit in formam artis, ac redegit in literas, ſecutique illum multi alij, quorum quidem humile illud ac depreſſum artificium, nobiliſſimis atque altiſſimis verſibus extulerunt, quos tunc memorans, nec humanæ immemor neceſſitatis, agriculturam certè non improbo. Nunquam tamen, aut ſcriptorum claritas, aut inopiæ metus coget, vt liberalibus, & honeſtis artibus præferendam cenſeam, nec æquandam quidem. Quamuis enim eoſdem, duces ſimul, illuſtres, & agricolas, primum illud imperij tempus habuerit, mutata iam ſpatio res eſt. Neque [vt fragilior nunc natura eſt] ad res tam varias ingenia noſtra ſufficiunt. Hac ætate igitur, excellentibus viris agriculturæ operam dare, non pro arte, vel negotio, ſed pro otio, & curarum alternatione permiſerim; vtque interdum teneros ramos pubeſcentibus gemmis inſerere, luxuriantia folia curua falce compeſcere, laſciuos palmites, prolis in ſpem, ſcrobibus cauis infodere, ſitientibus pratis querulos riuos prono calle diuertere, illos ſinam: ſic fodere pertinaciter; atque arare: totoque animo incumbere terris, niſi neceſſitas cogat, indecorum atque indecens docto fortique viro arbitror, cui nobilioris exercitii deeſſe materia vix poſſit. Natura parens optima: dum multas mortalibus artes daret, ipſa etiam

etiam distinxit ingenia vt cui quisque erit aptissimus, illi insistat. Videbis aliquem, qui mediocri ingenio, tam solerter, aut arua sulcet, aut maria, vt in hac re cuiusuis acumen philosophi, nulla sibi conferri possit industria stultum, & inglorium fuerit cum alio, non in tua, sed illius arte contendere, vbi toto maior vertice, minor appareas, & victor in maximis ac multis, paruis in rebus facilè vinci queas. *G.AV.* Ager hac mihi æstate prę fertilis fuit. *R.A.* Proximam operire: prę sens sæpe fertilitas ventura æ sterilitatis arra est : rara quidem sine intermissione prosperitas. *G.AV.* Diligenter agrum colui. *R.A.* Bene si nil meliùs quod faceres, fuit. *G.A.* Colui vineam exquisitè. *R.A.* Lætam cum illa fortè vindemiam pactus an & cum pruina aut etiam cum grandine pepigisti? *G.AV.* Solito largiùs aruum seui. *R.A.* Plures pasces grues rure, plures domi mures, volucrum hospes, ac vermium, lolij excussor areę compactor horrei architectus, metentium seruus, ac terentium. *G.AV.* Seui agrum largiter. *R.A.* Esto, in spe bona metes: quod seuisti triticum, atque sollicitudinem: nisi illud est verius, quod triticum plurimorum, sed anxietas tua est: &, vt propriè dixerim, ager ipse est animus, cultus intentio, semen cura, messis labor: hanc vberrimam percipies. *G.AV.* Rus optimè colui. *R.A.* Dicam, quod mireris. Illi ipsi antiqui agricolæ, viri fortes : quibus gloriæ fuit agricultura, colendum bene censuerunt: sed non optimè: incredibile primò forsan auditu, at experientię comprobatione, verissimum. Vix enim fertilitas sumptum æquat: estque apud ipsos veteres hominis, atque agri comparatio non inepta, vt vterque, si sumptuosus fuerit, quamuis & quęstuosus, reliqui nihil, aut modicum sit. Neutrum

magni igitur existimandum. G. Summo studio terram colo. R. Te mallem coleres; sed terrestre animal terram amas, nec multum tu illam, quam nũc percolis, impinguabis. Cole agrorum, atque arborum quantum vis, neque multos terræ pedes ad vltimum occupabis, neque [vt ait Flaccus]

Harum, quas colis arborum,
Te, præter invisas cupressos,
Vlla brevem dominum sequetur.

De Viridariis. DIAL. LVIII.

Delectant flores, & amœni gramina campi;
Quæ tamen & molles reddere sæpe solent.

GAV.

AMœna mihi sunt viridaria. R. Habent hæc interdum fateor, honestę aliquid voluptatis, nonnunquam etiam inhonestæ: æquè igitur studiosos, ac voluptuosos videas vmbrosis secessibus delectari. Nam & ingenium locus excitat & ad pœnitentiam quosdam, alios ad incontinentiam, & lasciuiã exhortatur. Nec de nihilo est, quòd summus, orator, dum infesto reo adulteriũ obiiceret, amœna, in quibus id commissum esset, loca descripsit, quasi ad flagitium stimulos: non locis ergo, sed animo gaudendum est, si talis obtigit, qui bene locis omnibus vti norit. G. Secretis viretis affluo. R. Secretum Tiberij viretum, & secessum Capreæ quis ignorat? Pudet, pigetque exequi, quæ itidem omnibus nota sunt; ille senex Hircinus loca illa sepositа, quibus probris infecerit. Quanto autem gloriosius, arido in rure exul Scipio Affricanus vixerat; quàm suis in voluptatibus princeps ille Romanus? Repeto igitur. Non in locis, neque vllis, præter animum, rebus, habitat omnis vestra felicitas. Vnde & qui solitariam vitam, recessusque abditos laudarunt, sic intelligi voluerũt, si his animus

animus vti sciret, & non aliter. Proinde quem tu de viretis tuis fructum colliges, expectãdum erit, at tũ demũ, quid pronunciẽ, videro. Nã si locis tãtũ gloriaris, quæ tua nudius tertius non erant, & tua forsitan cras non erunt, ac, si ritè cõsideres, tua etiã nunc non sunt, alieno proculdubio gloriaris? Quis hic gloriæ tuæ locus? Quid ad te, si gelidæ per æstatẽ alpes? Si Olympus nubibus altior? Si ramosus, ac frondifer Apẽninus? Quid, si lucidus Ticinus? Si amœnus Athesis? Si sonorus Sorga? Hæ, si laudes sunt certè non sunt hominum, sed locorũ, tuũ sit expedit, quo lauderis. C. Decoris spatior viretis. R. Refert, quænã curę interim, tuo in pectore spatientur. Nam quid iuuat arcula in eburnea vnguenta olida condidisse? quid pulchris in locis turpẽ animũ? Quot in rupib. horridis sanctissimi floruerũt viri? Quot in pratis virentibus turpes adulteri marcuerũt? Adde, quòd nõ animis solùm, sed corporibus, vitæq; hominũ interdũ, loca huiusmodi nocuisse cõpertum est; non tantũ haustu aeris immodico, sed ferro etiã, occultóq; impetu. Quis non legit apud Curtiũ, amœnissimos nemorũ recessus, & vireta illa Medorũ manu consita regum, ac Satraparũ curã, & præcipuã [vt prohibent] voluptatẽ? Atqui in illis, iussu ebrij, ac vesani regis adolescentis, interfectus est Parmenio clarus senex, & [ni fallor] Macedonũ primus ducũ. Quis non nouit Caietani littoris flexũ illũ, quo nullus sub cœlo pulchrior, nullus amœnior: illic iussu temulẽti & crudelis Antonij occisus est Cicero. Et poterat vtcunq. tanto viro locus conuenire, vt postquã scilicet Romæ mori fato vetitũ erat, florido in rure moreretur florentissimus oratorũ, vtique optimus. Sed & modus, & author mortis prorsus indignus fuit. Spatiabatur illis fortè tunc in locis Ci-

cero, vrbanas fugiens procellas; & vel ad philoſophiam; vitęque cultum, ſuo more noui aliquid cogitabat vel Remp. miſeratus, de ſtatu patriæ conceptum dolorem animi, oculorum oblectatione leniebat; quando ab illo omnis hoſte virtutis, immiſſi carnifices, talem virum abſtulerunt mūdo, qualē [vt auguror] fæcula nulla reſtituent. Sic eſt, igitur loca delectabilia ſæpe inſidiis opportuna ſunt, dū licentiùs ibi, laxiúſq; degitur, auerſiſque magis ſenſibus à circumſpectione periculi. Nam & laqueo denſis ſyluis ferę, & viſco volucres, faciliùs in ramis viridibus capiuntur. *G.* Lætus in viridariis & curarum vacuus dego. *R.* Lętitia, curarúmque vacuitas cautioni ſemper aduerſa eſt, dū ſua nempe quiſque pericula, dum communem humani generis ſtatum omnes acriter cogitant, vix aut lætus valde; aut curarum vacuus quiſquam viuet, neque locorum ſpecies, neque opum ſpes oblitio nem attulerit impendentium malorum. *G.* Libenter in viridariis meis verſor. *R.* Non hercle libentiùs, quàm apri, & vrſi. Non refert autem vbi ſis, ſed quid ibi agas. Nunquam te locus nobilitauerit, ſed tu locum: neque id aliter, quàm pręclarum ibi, & inſigne aliquid moliendo.

De Gregibus, & armentis. DIAL. LIX.

Formoſi pecoris ſi cultor amore trahaxis,
Te pauper potiùs, quàm pecus, ipſe trahet.
G. AV.

G. Gaudeo gregibus, & armentis. *R.* Brutinum gaudium. *G.* Belluina proſperitas, quam belluæ peperere. *G.* Amo greges, & armenta. *R.* In omni amore, amantis, & amati ſimilitudo ſuſpecta eſt. *G.* Armenta gregéſque amo. *R.* Amatis omnia niſi vos inuicem, ac virtutem; quæ imprimis erant amandā,

da negligitis, & quæ negligenda diligitis. G. Amo armenta gregésque. R. O miseri rerum vtilium amatores, osoréq; nobilium: amatis, quæ se, nec amari sentiunt, nec amantibus vicem reddunt. Cũ interea, nec vos vicem reddatis amantibus; totúmque hoc malum facit auaritia, vt non modò seruũ ingenuo, sed pecus homini præferendum existimetis. G. Armentorum gregúmque ingens copia est. R. Si per te ipsum illos pasceris, quid, nisi occupatissimus pastor eris? Officium vile, laudatum licet à multis ante alios à Catulo Veronensi; sin per alios non tu pastor, sed pastorũ seruus pastorúmque dolis expositus. Nunc vicinus obfuerit, nunc præcipitium nunc morbus, nunc abactor; quotidie demum aliquid fingendum, vnde damnum tibi dolórque, & illusio. Magna verò pars mali fuerit illusor rudis. G. Armentis ac gregibus diues sum. R. Laudatæ diuitiæ sed incertæ & casib. multis obnoxiæ; fraudibus rapinis pestibus, quæ tam crebræ, támque validæ sunt, vt sæpe totos greges, totáque lacerent armenta; nota pestis quam Lucretius, quamque illum sequens Maro, descripsit. Et quàm multas putas famosas minus scriptorũ penuria, sed damnosas æquè? G. Diues sum gregibus & armentis. R. Vagæ, patentésque diuitiæ quę [non dicam] arcula, vt aurum, vt gemmæ, sed ne domo [licet amplissima] claudi possint; tam nec à seruis, nec à furibus, nec à feris atrocioribus tutus es, omnibus in tuas diuitias datum ius. G. Gregibus & armentis gaudeo. R. Gaudes semel dolituras millies nullus dies sine rumoribus mœstus ibit. Nunc irruerint Sabæi tulerintque omnia; nec non pueros gladio percusserint; vt pecuoso illi quondã nunciatũ seni est; nunc bos cornu fregerit, nunc crus equus, nunc vagantẽ lupus agnum,

nunc infectũ gregẽ mors inuaserit. Non sat miseri vestris malis, & mortalitate propria visi estis, nisi mortes quoque brutorum animalium lugeretis?

De Elephantibus, & Camelis. DIAL. LX.

Grandia sunt dominis animalia magna voluptas,
Sæpe tamen famulis damna dedere suis.

GAV.

SVnt mihi Elephantes. R. Cui quæso vsui, pacis ne, an belli? His, duo illi notissimi hostes Italiæ, Pyrrhus, & Hannibal, quib. Romanas dũ turbare acies sperant, suas turbauere. Animal graue prorsus, & enorme, quódque [vt ex historiis nosti] sæpe suis exitio fuit, aspectu mirũ, & mole, & specie, & odore, & stridore terribile, effectu autem inutile, procuratione difficile. G. Est mihi ingens Elephas. R. Fuerunt olim in Italia Elephãtes, non venatu quæsiti illi quidẽ, sed ab hostib. capti, & in triũpho ducti, quosq; prima fronte terruerant, equos Italos victores in cãpitoliũ secuti; erepti autem Pyrrho; Carthaginensibus verò non ereptitã tũ, sed etiam interdicti. Sic. n. in conditionibus pacis, quam victi petierant, nominatim cautũ; vt, & quos haberent domitos, traderent, & alios nõ domarent; ita sensim obsoleuit vsus Elephantũ, non solùm in Italia, vbi longè aduenæ, víque aduecti erant; sed in Africa etiã & Ægypto, quæ illorum sunt viciniores origini. Itaq; & in Italia auorũ memoria, vnicũ Frederico Romanorũ principi, fuisse, & nũc Ægypti tyrãno, non nisi vnicũ esse, fama est. Vtrunque verò ad spectaculum potiùs, quàm ad vsum. Sic in India atque Æthiopia, exterarum tædio gentium liberati, syluas patrias incolunt Elephantes. Tu quis es, qui Elephante gloriari videris, altérne Annibal? qui vno vectus Elephante, vnóque fretus oculo Italiam fatigauit. Ego hanc

hanc belluam, etsi humani æmulam intellectus, ab authoribus proditam, & moribus miris insignem, habendo tamen inutilem, & ineptam, & regiæ potiùs luxuriæ, quàm priuatæ fortunæ habilem dico; quæ domum impleat, horreum exhauriat. *G.* At camelos habeo. *R.* Vna est penè ratio vtrorúmque, nisi quòd elephas turribus, camelus sarcinis ferendis idoneus, cóque vtilior aptiórque: si consilium petis, vtere belluis, quas his, vbi vitam agis, mundi partibus, genuit natura, parens prudentissima, quæ & belluas, & alia suis quęque climatibus aptiora distribuit. *G.* Camelum habeo. *R.* Tria millia habuit, & amisit Iob: & morbi, & raptores, & infecta pascua, & ruinæ, & mille casus, vestra vndique armenta circunsident; campi, & colles, & mœnia perduntur assiduè. Quid his facias, quæ non stant? Bona vestra ferè omnia in perpetuo motu sunt, &, quam, insita virtute animi, deberetis famam quærere, peregrinorum animantium nouitate sectamini.

De delectatione Simia. DIAL. LXI.

Iucundos tibi si præbebit Simia ludos,
Si modus abfuerit, simius alter eris.

G. AV.

SImia delectabilis est mihi. *R. A.* Fœdum animal aspectu, triste animal effectu, de quo, quid aliud, quàm tædium speres? Quicquid domi reperit, aut corrumpet, aut sparget. Si his, atque huiusmodi delectaris, vtique delectabilis Simia tua est. Monstruosam belluam vocat Cicero, nec minus aliquid mirum dicit, quàm vrnam sortium euertisse, idque pro ostento, Græcorum in historiis scriptum esse, iure optimo doctissi-

mus irridet, cùm verè mirum potiùs videri debeat; si non omnia vertat, ac dissipet. G. Ludicris animantibus abundo. R. Turpe simul, & ludicrum esse aliquid non potest. Quis enim in turpitudine ludus est? Quin immò ab omni, quod oculos, aures que, & nares, & animum afficiat, fugiendū est: corrupti gustus est amara diligere. Sed hic vester est mos, turpibus delectari; neque verò turpia, & inepta tantùm animalia; sed, quo nihil est fœdius, obscœnos etiam homines, linguáque, & moribus odiosos, in delitiis habetis; & ad summam quantò quidque deformius, tantò vobis acceptius, charíusque: hæc, in rebus omnibus, vniformis est regula, hic amor, hæc indoles, hoc studium, hæc vestri iudicij laus est.

De Pauonibus. DIAL. LXII.

Irrequietum animal gallina est, atque columba,
Pro magno damno, commoda parua ferunt.

GAV.

PAuonibus affluo. *R.A.* Ex illorum caudis argioculis reperisse consilium fuerit, ne pedibus noceat notissima tegularum pestis. *G.* Pauones multos habeo. *R.A.* Auem visu pulchram, non inficior, atque amœnam; sed hæc voluptas oculorum, multo aurium tædio pensanda est; quibus contra illum tartareæ vocis horrorem, vel fugæ, vel Vlysseæ picis auxilio opus sit; vt fileam, omni peius tædio, vicinorum odium, ac lamenta; vos verò, dum imperiosæ, & nihil intentatum relinquenti gulæ pareatis, nec aliena, nec vestra incommoda cogitatis; obliti, hanc viris olim fortissimis sollicitudinem non fuisse, quando intacti pisces, & feræ, & volucres tutæ

tutæ erant; &, præter pēnas, nil in pauone placebat [vt Naso ait.] Neque enim sanè, quid in hac aue tantopere placeat, inuenio, præter nobilitatem carnium; quæ non putrescere dicuntur, longum etiam in tempus, si seruentur; quod & tibi licitum experiri, & expertum se asserit Augustinus. Ita vestram famem, nisi adsit ambitio, nec cibus satiat, nec voluptas. Pauonem certè, cibi gratia Romæ primus occidisse fertur Hortensius Orator vir eloquio clarus, moribus delicatus, & mollis, vt fœmina, sed qui morum plurimos, eloquij autem raros habet imitatores. *G V*. Pullos nutrio. *R A*. Impedimentum domui, escam vulpibus, areę suffossores, quorum vngulis, & puluerem solum semper, & nunquam superficies æqua sit. *G AV*. Gallinarum magnus est numerus. *R A*. Vt cessent tædia penè par fructus, & impensa erit; magno pretio, longísque clangoribus exiguum ouum constat. *G AV*. Sed abundo opibus. *R A*. Non mortalis modò sed volatilis, & fugitiua felicitas tua est. *G AV*. Aluearia multa sunt mihi. *R A*. Nō minùs in quolibet, quàm vel in magna vrbe negotij, vel in castris strepitus est, nunc examina fugient, nunc pugnabunt reges, nunc tinnitu æris, nunc iactu puluueris res egebit, vt salua sit. Sæpe omnia expertus, nil perfeceris qui, cùm ditior esse credideris, nudus sis; proinde, si seruandi studium, cum melle contuleris; mel amarum voces. *G AV*. Sed columbis affluo. *R A*. Atqui apum in thalamis, siletur per noctem [vt Vergilius ait] In columbario autem, nunquam: vix est animal inquietius columbo. *G*. Plena mihi sunt columbaria. *R*. Sunt qui litigent, & qui gemant, qui diebus dormum fœdent, noctibus somnum frangant. Ên magni gaudij materia.

De Piscinis. DIALOG. LXIII.

Et iuuat, & licitum est, piscando fallere tempus,
Omne tamen tempus perdere pisce, nocet.

GAV.

PIscinas mihi extruxisse gaudeo. *RA.* Non, puto, feliciùs extruxeris, quàm Salomon. Cùm te ergò conuerteris ad vniuersa opera, quæ fecerint manus tuæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaueris, videbis in omnibus vanitatem, & afflictionem animi; vt vnde gauisus fueris, fortasse doleas, iacturam existimans, & temporis, & impensæ. *GAV.* Feci mihi piscinas. *RA.* Non satis est, gulæ causa, omnes terras lustrare; aquæ etiam tentantur; &, in regno suo, piscibus carcer erigitur. *GAV.* Piscinas impleui. *RA.* Libertatem piscibus abstuliſti, ac naturæ domum; quosque illa sanos fecerat, ægrotare docuisti. *GAV.* Coëgi aquas in piscinam. *RA.* Vim aquis intulisse, in Iulio Cæsare, tanto illo quidem viro, notatum: & superbiæ datum vides. Quid in te igitur speres? *GAV.* Pisces in viuario concluſi. *RA.* Pennatas volucres vinculis, & imperio coercetis; quid mirum, si pigris quoque piscibus imperatis? Omnia prorsus in vestra potestate; & vestris subiecta sunt pedibus, laborioſi, & cupidi mortales, præter vnum animum, quem regere, & frænare, vel non potestis, [vel quod est verius] non curatis. Itaque vagus, & indomitus ille vos agitat, & in omne vanitatum genus, ac scelerum impellit, qui, si vobis, immò si rationi subditus, atque obediens esset, ad meliorem finem, rectiori calle vos duceret; præstarétque, vt multa, quæ cupitis, sperneretis. *GAV.* Pisces incluſos in piscinis habeo. *RA.* Cùm omnia subdita sint vobis; vide, quàm

quàm decorum sit, esse vos subditos voluptati, rei omnium vilissimæ, rerum nobilissimos omnium, quæ sub cælo sunt. Sed sic est, omnibus imperare vultis, vt libidini seruiatis. Neque verò nouus hic error, nec plebeius, sed antiquus & illustrium: piscinas, ac viuaria ostrearum, primus instituit Sergius Orata Baiano in littore. Sub idẽ tempus, reliquorum piscium viuaria incepit Licinius Muræna, vterque cognomen, seu illud agnomen à pisce sortitus. En præclaræ agnominum causæ, quòd ille scilicet Oratam appetit, hic Murænam. En, qui Africani, & Macedonici titulos mereantur, & forsitan non curarum minus hi, suis in piscibus capiendis, & condiendis, inque suis viuariis extruendis, susceperant, quàm Scipio, & Paulus in liberanda, atque ornanda patria, suisque victoriis, ac triumphis. Ita penitus verum sit, quod quidam dicunt, quantitate euras hominum penè pares, qualitate verò longè impares. Atque, vt mala semper exempla imitatorum turbis affluunt; secuti sunt Licinium hunc nobiles viri, Philippus, Hortensius, ac Lucullus, vir alioqui memorabilis; qui viuario simplici non contentus, illic prope Neapolin montem scindi fecit, non minori sumptu, quàm quo sibi villam erexerat, requiem captis piscibus meditatus, fluctu æquoreo sciissæ rupis claustris, instar tranquilli portus, immisso. Quamobrem Magnus Pompeius, vt qui non viuaria, sed imperia cogitarent, haud illepidè hunc Lucullum, Xerxem togatum; hoc est, montium effossorem nuncupabat. Quid de aliis? Murænarum viuaria primus fecit Curus quidam, nescio quis. Nam, cum omnibus Murænis suis, adhuc malè noscitur, quarum illi copia tanta fuit, vt earum sex millibus

triumphalem cœnam Iulij Cæsaris adornaret: vt hic quoque suos imitatores habuit nominatim Hortensium Oratorem [de quo suprà diximus] virum, qui nunquam molli defuit exemplo. Ita vestræ literæ sæpe nihil detrahunt insaniæ. Nonnunquam verò [quod mireris] adiiciunt. dum licere sibi omnia existimant, qui literas didicerunt & multa sibi arrogant, quę sine literis non auderent. Et hic ergo viuarium habuisse dicitur Baiani tractus in litore, ibique inter cæteros pisces, sic Murænam vnam dilexisse, vt extinctam luxerit. En amor egregius. En docto, grauique viro dignus fletus, qui nec sui temporis bella domestica neque proscriptiones ac ciuium mortes fleuisse legitur; nec Cannensem, si suum in tempus incidisset, fleturus fuerit ruinam; Murænæ obitum fleuit; tanta hæs leuitas facit, vt iuniori venia debeatur. Antoniæ ætas, ac sexus excusabiliorem reddit ineptiam, quæ murę nam suam tamen non defunctã, gemuisse, sed viuentem aureis inauribus coluisse traditur. Sic, vt Baulos [id erat villæ nomen] ipsis Baianis in finibus multos, spectaculi nouitate cõ traheret. Fuerunt & viuaria cochlearum, & aliæ piscium vanitates, atque imprimis lupus tyberinus, inter duos præcipuè pontes captus. Sed satis multa de alienis erroribus. Tu, quò plures his implicitos vides, eò diligentius caue, ne similibus impliceris; neque tibi nunc vsum piscium, sed nimis magnam curam rerum ignobilium interdico.

De Auiarijs, Auibusque loquacibus. DI. AL. I. XIIII.

Qui guſtus varios elementa per omnia quærit,
Et mortem, & morbos contrahit ante diem.

GAV.

AVes varias in auiario concluſi. *R. A.* Iampi ſcium minùs mirer ergaſtula. Sunt & volu crum, quibus latior, ac liberior patria cœ lũ erat. Inuenit gula venationem inuenit piſcatio nẽ, inuenit aucupium; nec cepiſſe ſatis eſt, quas li-beras natura creauerat, niſi etiam aſſeruentur. At quantò erat honeſtius gulã cogere parabilibus, at que facilibus cõtentari & ſyluas feris, maria piſci-bus, aërémque volucribus linquere, quàm in his tantũ ſtudij ponere, quantùm, ſi captandis in vir-tutibus poneretur, illas pridem [nã minimè fiunt fugaces] optimo ſtudio quæſitas, intra animi habi tũ clauſiſſetis, vnde nec effugere poſſent, nec au-ferri. *G.* Auibus auiarium impleui. *R.* Rem nequa-quam neceſſariam & queſitu, nec minùs cuſtodia difficilem, peruetuſtam tamen, cuius ante mille quadringentos annos Romæ author fuit Lælius quidam, cognomento Strabo, vir equeſter: non il-le quidem Lælius ſapiens habitus; qui ſi auiaria re periſſet, nomen ſapientiæ perdidiſſet. Quædam ſunt inuentu [vt videntur] vtilia ac iucunda, quæ tamen ingenia alta dedeceant. Qui piſcinas, qui auiaria inuenerunt, quid aliud, quàm gulæ ſtu-dium habuerunt? quod virtutis cultoribus alie-num eſt. *G.* Incluſi pingues turdos, & turtures. *R.* Sed non tardos tortores, tot illecebris irritata gu la ſupplicia exigit ſtomachi laborantis. An non ſa-tyricum illud audiſti?

Pœna tamen præſens, cùm tu deponis amictum,
Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas.

De pauone loquitur. Formosa etenim, & famosa est auis; sed non sola, quæ præcipitem gulam plectat. Gulæ quidem oblectatio, gustus breuis; ipse quoque mox in nauseam versurus, ni coerceas. Pœna autem longa, cruditas, indigestio, bilis, morbi, sæpe etiam & mors. I nunc turdis pinguibus, ac turturibus gloriare. *GAV.* Habeo loquaces coruos, ac picas, & psittacos. *RA.* Lætatus his Augustus Cæsar, eos magnis emit pretiis, qui victorem, ac triumphantem Cæsarem salutarent. Cumque subinde alij, atque alij ingererentur, satis se salutatorum talium domi habere, respondit; ponens illi metam vanitati nisi coruus ipse nouissimus, loco illo mirabili, pluris se, quàm cæteros redimi coegisset. Et hæc quidem in Saturnalibus leguntur. Quid in naturali vicini nostri Veronensis historia? Coruus ille tam docilis è sutrina, vbi impensè alebatur, in publicum euolare solitus, & Tiberium Cæsarem, Drusumque, & Germanicum nominatim, totum denique Romanum populum salutaret tanta plebis gratia, tantoque omnium fauore, vt cum eum vicinus, vel inuidia, vel ira percitus, occidisset, ingenti omnium mærore occisor ipse ex ea vicinia pulsus primum, deinde etiam à populo interfectus sit. Coruus autem operosis exequiis, & solemni funere elatus, ac traditus sepulturæ. O ineffabilis populorum semper insania: in illa vrbe fletum, & sepultum coruum, & eius interfectorem, Romanum ciuem morte multatum; in qua, nec Africanus maior sepulchrum habuit, nec minor vltorem, quia [si diis placet] coruus hic populum salutabat, vt diximus, illi autem non salutabant, sed salutem populo, gloriamque contulerant. Adeò gratior vox coruorum, quàm virorum virtus illustrium. Neget nunc aliquis

tutum

tutum, populi consensisse iudicio: quanquam veris æstimatoribus non sit mirus publicus hic virorum fortium contemptus? cum ab his coruorum, volucrumque loquacium miratoribus, & diuinæ voces, & cœlestia aspernantur oracula. *G.* Formosus est mihi psittacus. *R.* Solus nempe omniũ torque aureo insignis, nisi phœnix & ipse esset, auium torquatus, & præterea suæ vnicus speciei. Verum psittacus salutator magnus & præsertim principum, quasi illum planè adulatorem fecerit natura. Vnde distichon illud innotuit:

Psittacus à vobis aliorum nomina discam,
Hoc didici per me dicere, Cæsar aue.

G. Est mihi pica disertissima. *R.* Cùm perrari sint homines diserti, tibi disertissima pica est? loquax fateor, & salutatrix est sedula, vnde & illud.

Pica loquax certa dominum te voce saluto,
Si me non videas, esse negabis auem.

Certè de huius auis intentione, discendique studio, mira, nescio an vera, narrantur. Illud imprimis vix credibile, propositum ei verbum, si oblita sit, angi illam grauiter, & affligi, molestiamque animi, tacita meditatione testari; si ipsum sibi verbum ad memoriam reducatur, miris modis hilarescere, At si prorsus seu verbi difficultate, seu memoriæ imbecillitate vincatur, præ dolore etiam interdum mori; vt iam minus mira Homeri mors poëtæ sit habenda, si tamen illa etiam vera est. Neque verò picis omnibus hæc docilitas datur, sed his tantùm, & quæ glande cibum, nomenque percipiunt, & apud vos vulgò glandariæ vocitantur: picarum species, & forma insignis, & ingenio. *G. A V.* Dulcisonam, canoramque lusciniam nactus sum. *R. A.* Et hanc

quoque, sturnum græci, latinique sermonis dociles inueniri; & turdum insuper, sua ætate sermones humanos imitantem, Romæ fuisse author est Plinius secundus. Quod de sturno nuper publicè notum fuit, quem seriatim plurima verba proferentem humanis accentibus, sæpe in ipsius Plinij patria, & audire tibi contigit, & mirari. Nam de psittaco iam trita res est, vt mirabilis iam esse desierit. Quoties hunc audistis cibos vnum, atque alterum, clara voce, poscentem? Quoties nutritorẽ suum proprio nomine vocantem, atque, vt persuaderet, multa illi gestuum, ac verborum dulcedine blandientem? Quoties sic ridentem, vt astantes in risum cogeret, nec omninò alitis, sed veri risus hominis crederetur? Quæ, quanuis ita sint, tamen hi omnes, luscinias præsertim, multò meliùs [mihi credite] suis in ramis canerent, quàm vestris in caueis; nisi quia vestra cupiditas nihil æstimat, nisi quod sibi proprium fecit; cùm natura fecerit cuncta communia: sic vltra suos fines, atque vltra suũ nomen tendit auaritia. G. Aues innumeras congregaui. R. Vt multas, siue, vt omnes habeas phœnix puto, deerit, siue vnus, siue est nullus; siue illud in fidem recepimus, quod quidam tradidere; anno vrbis octingentesimo, Auem hanc ex Arabia in Ægyptum euolasse, captámque ibi, & Romam delatam, atque in comitio spectaculo, populo expositam, suprematn tandem [vt credibile est] mortem obiisse, quod vltimum, falsum esse non dubitant, qui de primis magni dubitant authores. Ita cùm omnes aues habueris, mirabilem, pulcherrimamque omnium non habebis. Dolens, & indignans iocor: vt quid enim semper pueri inanibus gaudiis exultatis? Vtque ait Salomon: Vsque quò paruuli diligitis infantiam? Quin aliquando conuertimini

uertimini ad correctionem meam: vt idem ait; si quidem ipsa eadem sunt, quæ loquor. Sinite ô cęci aues in syluis agere, nidificare, & pasci, & canere, & errare. Vos inertis plumas animi ad cœlum pandite, atque humo vos attollite; emitimini non volucres captare, sed volucres fieri. Tuque, his omissis, de quibus loqui pudet, si quid habes, quo lætari virum deceat, profer.

De Coniugij claritate. DIAL. LXV.

Viuere coniugio sine si natura dedisset,
Libertas, socia, magna, carere thoro.

G. AV.

VXorem duxi nobilem. *R.* Mallem tibi non tantùm picas, ac psittacos, sed bubones, striges que domi esse: illi canerent, ista iurgabitur; illi aliquid nunciarent, hæc peraget; illos excludere licet: hanc non licet. *G.* Claro coniugio ornatus sum. *R.* Speciosa vinctus es catena, vnde te sola mors liberet. *G.* Claro coniugio felix sum. *R.* Casto felicior feliciſſimus cælibatu. *G.* Pulchro cõiugio illustratus sum. *R.* Anceps vxoris electio: deformis facilè fastiditur; Formosa difficilè custoditur; ea lege, qua inter formam corporis, atq; animi castitatẽ, lis prope perpetua est. Sed vt, quod rariſſimũ est, cõtingat; & formæ pudicitia iuncta sit; vberiùs tecum agã; accedant & fœmineæ dotes aliæ, nobilitas, census, opulentia, fœcunditas, atq; facundia, famæ integritas, morũ candor; scito, tuũ limen his immixtam subintrasse superbiam: vt iure Satyricus videatur malle Venusinam, quàm Corneliam Gracchorum matrem, Africani filiam, paternis triumphis, ac gloria insolentem.

G. Nobi-

G.AV. Nobile coniugium,& honestum obtigit. *R.A.* Quid de fastu,fastidioque ais? Parúmne fœminei mores noti? Disce seruire,disce pati, disce charos pellere,vni coniugio vacandum est. Amicitiarum scopulus,vxor imperiosa;& viri affectuũ moderatrix. *G.AV.* Generosa mihi vxor obuenit.*R.A.* Grauis sarcina,duræ compedes, liberos humeros, atque olim liberos pedes prement. Durum dictu, durius cogitatu, durissimum perpessu,non vnius lucis, sed totius vitæ hospes, forsitanque hostis, vacuam præsidiis, inuasit domum: vnde illam[vt dixi]veteris repudij spe sublatas sola scilicet mors excludat. *G.AV.* Coniugem gratam duxi. *R.A.* Erras,illa te duxit,diu nimium fueras tuus; accessit sponso domina, carnifex priuignis,æmula socrui,familiæ iugum; coquinæ labor, onus penui, sumptus arculæ, ornamentum aulæ, diurnum spectaculum fenestræ, lis nocturna cubiculo.*G.AV.* Vxor mihi venit amantissima, *R.A.* Cum amore,si nescis,Zelus,& suspiciones,& querelæ subeunt; immortale duellum domi habes; ipsis & voluptatibus, & iocis inimicitiæ erumpent,nec ad mensam, nec in thalamo tutus eris,nullum tempus litigio vacabit,media nocte pugnabitur.*G.AV.* Exoptatas nuptias contraxi.*R.A.* Cum coniuge nuptias,cum pace diuortium. *G.A.* Vxor contigit cui vnicè placeo. *R.A.* Meliùs forsitan displiceres:non te amando premeret, atque attereret & cogitare,& res tuas agere, & somnum carpere sineret: nunc vxori placens,nil quod tibi placeat, præter illam,speres; totum sibi te vendicat,nec sufficies totus. Si quò fortè ire velis,fugere te fugæque causas fingere, si quid agas,oblitum sui,si quid cogites, iratũ sibi; si cibo abstineas sordere res suas tibi;si somno cesseris, externa te venere

nere fessum dicet. Denique vt vxori placeas, tibi, atque aliis inutilis sis oportet. *GAV.* Vxorem habeo, quæ me ardenter amat. *RA.* Meliùs amaret castè, piè, & sobriè, ac verecundè: ardens enim amor, quid nisi incendium est animæ? qua ardente quisnam tibi modestiæ, quis reuerentiæ coniugali, quis tranquillitati locus aut quieti? Ardenter te amat vxor; nisi vicissim se amari senserit, tepescet, amoremque odio mutabit; sin æquandus tibi est amor; & tu ardeas, necesse est, vniq́ue deditus sis amanti, Zelotypæ coniugis vir insomnis, nunc blanditiis, nunc querelis, fictisq́ue criminibus excitandus, exercenduſq́ue per noctem; seu licentiùs oculum deflexeris, seu ridenti lentiùs arriseris, seu vicinam salutaueris, seu formam alterius laudaueris, seu domum seriùs redieris; postremò aliquid feceris, aut dixeris, quo suspectus, læsiq́ue reus sis amoris; quæ, si vita dici debet, quænam mors dicenda sit, nescio. Et hæc equidem de ardenti tuo amore sententia nostra est. *GAV.* Est mihi perpetua thori consors. *RA.* Et somni perpetuum exilium. Maritalis lecti rarus, ac tenuis sopor est, hinc voluptas, hinc iurgia, quies nusquam. *GAV.* Habeo vxorem fidelissimam. *RA.* Fuisse fideles aliquas non nego, vsque etiam ad mortem. Et profectò homini, qui hoc vitæ genus elegerit, magnæ diuitiæ coniunx bona, & fidelis, maior tamen est acies aduersa. Nempe etiam illustrium multi, dolo coniugum periere. Sileo Danai truces, & cruentas nuptias, & infamem noctem, miserámque tot simul iuuenum stragem. Non hoc illi, quorum suprà meminimus, Graius Agamemnõ, non Phryx Deiphobus neget, non ex vestris Africanus minor, non postremò recentior Alboinus rex, cu-

us impudica,& sæua fusus coniuge, nitidi Athesis ripam sanguis infecit. *GAV.* Vxorem nobilem, castam, mansuetam, humilem & obsequiosam, piam, fidam, reperi. *RA.* Mirus auceps; cornicem candidam inueniisti. Vix est tamen, qui inuenisse se fuscam putet.

De Vxore formosa. DIAL. LXVI.

Aurea pro pedibus mulier speciosa catena;
De formem nemo posset habere sibi.

GAV.

FOrmosa mihi vxor obuenit. *RA.* Difficilem prouinciam nactus es: vigila, dixi iam; durum est custodire, quod à multis appetitur. *GAV.* Forma est vxori excellens. *RA.* Solet forma corporis, vt multa alia, paritate gaudere, imparitatem ac dissimilitudinem aspernari. Si par igitur tibi forma est, exerceberis, alioqui contemneris; vtrunque laboriosum. *GAV.* Forma coniugis magna est. *RA.* Et magna superbia: vix est aliquid, quod æquè animum tumefaciat & extollat. *GAV.* Forma vxoris est maxima. *RA.* Vide ne castitas parua sit. Scitum est illud Satyricum:

Rara adeò est concordia forma,
Atque pudicitia.

Vt hæc constent; morum insolentiam quis ferat, & quotidiana fastidia? *GAV.* Formosissima est vxor. *RA.* Habes domi idolum sumptuosum, operosum: videbis in dies peregrinos, nouosque habitus: lauda hinc corporis habitudinem, quàm omnia deceant: hinc ingenium inuentricis ad cuncta versatile: tum iacturam patrimonij lucrum voca. *GAV.* Habeo vxorem formissimam. *RA.* Habes idolum litigiosum insolens: quod affusus,

sus colas: quod extra te raptus stupeas: quod adores: vnde totus pendeas. Summitte collum iugo, & contentus forma coniugis, curasque alias, & propriam libertatem procul abiice. Dicebam modò, caue, ne, quo quomodo aliam, præter illam laudes: ne quando oculos ab illius fronte diuertas: ne solito parciùs blandiaris : solito minùs insanias: quicquid respueris, capitale erit: omnis sanitas defectio. Viue denique ad vxoris edictum, & nutum dominæ suspensus obserua: mancipium, non maritus. Hæc facito, si tanti existimas aliquandiu formosam thori sociam amplecti, leniqúe ad tempus cute gaudere, & candido natos ex vtero, tanquam poma nobiliora pulchro de vase suscipere. *G.* Vxorem habeo formosam. *R.* Venenum dulce, compedes aureas, splendidam seruitutem. *G.* Forma delector vxoris. *R.* Vana, breuisque delectatio. Nil forma fugacius, & præsertim fœminea: qui vxorem propter formam diligit, citò illam oderit.

De Vxore fœcunda, & facunda. DIAL. XVII.

Garrula sit tibi sit coniux, fœcunda que prole,
Nulla quies fuerit nocte dieque tibi.

G.AV.

FOecunda mihi vxor est. *R.A.* Multas tibi curas, multos pariet labores: vxor sterilis vnica tantùm: at fœcunda quidem, sarcina domus est multiplex. Notum est illud comicum.

Vxorem duxi quam non ibi miseriam vidi?
Nati filij, alia cura.

G. Non fœcunda tantùm vxor, sed facunda est. *R.A.* Hinc filij, & nutrices aderunt: hinc sales & verba non deerunt. Habes cum qua disputes, & declames: & Satyricum non audisti, vbi ait?

Non habeat matrona, tibi quæ iungere umbit,
Dicendi genus, & curtum sermone rotato,
Torqueat enthymemata: nec historias sciat omnes.

Coniugem quærebas, magistram inuenisti, iamq; aliquid impolitum, commune aliquid loqui, sine coniugis censura, & irrisione non poteris: frustraque eiusdem Satyricum illud optaueris.

Solœcismum liceat fecisse marito.

Inter mundi tædia, nullum importunius procaci fœmina, & tacere nescia.

De opima dote. DIAL. LXVIII.

Intolerabilius nihil est, quàm fœmina diues;
Si cupis vxorem ducere, posce parem.

GAV.

DOte auctus sum opima. *R.A.* Et opima tyrannide: malum malo additum. Superbiæ coniugalis duo stimuli: dos, & forma. *G.AV.* Multùm dotata vxor est mihi. *R.A.* Multùm dotata vxore nihil est importunius, nihil intractabilius, nil sibi non licitum arbitratur: quæ suas opes mariti comparat egestati: quæ virum pascit, dominam se putat esse, non sociam. *G.AV.* Magna dos meum subiit limen. *R.A.* Vnde dos ingreditur, inde libertas egreditur: quod bene prouiderat Lycurgus, cuius lege cautum fuit, vt indotatæ nuberent: adiecta ratio, vt vxores eligerentur, non pecuniæ: seueriusque matrimonia sua viri coercerent, cùm nullis frenis dotis tenerentur: vtrunque sapienter. Nam & verè multis in domibus, non viro vxor, sed pecunia nubit auaritiæ, & est vtique magna dos, licentia coniugis, frenum viri. *G.AV.* Ingens cum vxore dos obuenit. *R.A.* Muta ordinem: immò enim cum ingenti dote vxor subiit quam libentiùs excluisses, sit sola posset excludi.

Planè

Planè coniugium obscœnum : vbi non spe prolis ad cubiculum viri virgo, sed ad arculam, auaritiæ impulsu, dos concupita deducitur. *G AV.* Magnam mihi dotem vxor attulit. *R A.* Dic veriùs, magnum pretium libertatis tuæ, quæ, si tibi chara esset [vt decuit] nullo eam pretio vendidisses. *G AV.* Ditissima mihi vxor obtigit. *R A.* De moribus nihil narras. Nempe nihil, vt reor, de moribus cogitasti, deque optimis fœminæ dotibus, fide, verecundia, castitate, modestia. Sunt vobis ista contemptui & solùm in nuptiis vestris attenditur Dos, & Forma: hoc est Auaritia, & Libido, pronubæ matrimoniis his condignæ. *G AV.* Pecuniosissima est coniunx. *R A.* Vide an non Themistocleum illud consilium, quo diffinit: Malle se virum pecunia, quàm pecuniam viro indigentem, rectè etiam ad fœminas trahi possit. *G AV.* Vxor mihi prædiues est. *R A.* Quantò melius erat cum inopi requiescere, quàm laborare cum superba: melius esurire cum paupercula humili, quàm cum insolenti diuite litigare. *G AV.* Coniugis dos immensa est. *R A.* Consequens est, vt elatio animi sit immensa: timor autem viri nullus. Non audebis vitia reprehendere, dum respicis dotem : non præsumes humiliare illam, per quam te memineris superbire, nec fastidia duntaxat, ac tædia, sed probra etiam & iniurias tolerabis. An fortè non Aurelij Antonini principis meministi illius, qui philosophi cognomen, ob Imperium non omisit? qui, cùm vxoris nosceret adulteria, & amici, vt eam, vel occideret, vel saltem dimitteret, hortarentur: respondebat: Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem: dos autem erat Imperium. Vides, vt ingentis viri animum dos frænabat : tuum forsitan

non frænabit? *GAV.* Dos quàm maxima, infinita, inæstimabilis est. *RA.* Dos matrimonij, oneribus vppo rtandis, non auaritiæ æstibus irritandis, inuenta est. Itaque, quò magis illam exaggeras, magis infamas, vt quæ vtrinque mole sua noceat, & hinc dantis impudentiam, hinc concupiscentiam accipientis, anctura sit. *GAV.* Est mihi maxima dos vxoris. *R.* Non quanta sit dos, sed qualis sit vxor, refert; & in dote ipsa non quantitas certè, sed qualitas æstimanda est, vnde scilicet profecta, quibus parta modis: multæ magnæ dotes malis artibus sunt quęsitę. Heliopolitanum, & Punicum morem nosti, quorum nuptis non pietate patria, sed stupris, ac dedecore dos constabat.

De Gratis Amoribus. DIAL. LXIX.

Durius in terris nihil est, quod viuat, amante;
Vis res, & famam prrdere, tutus ama.

GAV.

GRatis fruor amoribus. *RA.* Gratis inficiis opprimeris. *GAV.* Gratis vror amoribus. *RA.* Bene ais, vror. Est enim Amor latens ignis, gratum vulnus, sapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iucundum supplicium, blanda mors. *GAV.* Amo, & viciſſim amor. *RA.* Primum nosse potes; secundum in ambiguo est; nisi fortè nocturnum mulierculæ tuæ murmur in testimonium tuum trahis. *GAV.* Amor haud dubiè. *RA.* Persuasit, vt video: nec magnum persuaderi volentibus: omnis amans cæcus, & credulus. Quod si idem iuramento amatorio vis ineſſe: scriptum ab amante chirographum, tenera in glacie, testibus austris, in medium profer. Sed, ô insane, nihil impudicæ præsertim, credas

das fœminæ: sexus, ardor, leuitas, consuetudo mentiendi, fallendi studium, fructusque fallaciæ; hæc singula, multoque maximè, hæc omnia quicquid illius ore prodierit, suspectum faciunt. *GAV.* Amo, quod iuro animum delectet, & dulciter ardeo? *RA.* Credis ex me audire, quod ille Magister amorum ait; Vt feliciter ardens gaudeas, & vento tuo nauiges voluptatis? Id quidem non consilij est. Ego verò quò suauiùs arseris, eò cautiùs ex incendio fugiendum consulo. Tunc sunt mala periculosissima, cùm delectant. Sæpe suauitatem hanc durissimus finis exasperat. *GAV.* Amo, amorque. *RA.* Vt si ita; quid, nisi duplex nodus; nexus arctior, graue discrimen: meliùs de te sperarem, si amares tantùm, non etiam amareris: etsi enim facilitatem amoris, atque difficultatem æquè nociuam quidam dicant, quòd facilitate animus capiatur, cum difficultate contendat; egò tamen ita sentio, nihil ad amandum efficacius, quàm amari: contraque nihil esse, quod magis ab amando deterreat, quàm scire se non amari, nec amatum iri credere: quamuis id non facilè creditura sit cœca, & cupida mens amantis; qui vnus est ex illo grege, de quo scribitur: Quod qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. *GAV.* Amo ego cum gaudio. *RA.* Qui quàm malè sibi est, non sentit, obtorpuit; qui malo suo gaudet, insanit. *GAV.* Apud me, fateor, delectabile est amare. *RA.* Odiosum mallem, ac molestum; quò & fuga mali promptior foret, & propinquior spes salutis; nunc delectatio morbum alit: sanus enim fieri respuit, quem delectat ægrotare. *GAV.* Vt libet apud me quidem ingenuum est amare. *RA.* Vt quisque sapit, & loquitur; apud me verò seruile prorsus, &

languidum,& quod fortissimos etiam viros emolliat eneruetque: dicam, quod nemo est, qui nesciat,nemo erit,qui audiens non miretur;sic magnarum rerum recordatio , vel scientibus admiranda est. Néue omnia sequar ; quod nec necessarium puto, nec possibile; duarum toto orbe clarissimarum gentium duos longè præstantissimos duces,ad memoriam reuoca. Iulius Cæsar victor in Gallis,in Germania,in Britannia,in Hispaniis, in Italia, in Thessalia, in Ægypto , idemque mox in Armenia, in Ponto, in Affrica, & rursus in Hispania supremo marte victurus in medio tantarum victoriarum,ab amore regio interim apud Alexandriam victus est. Hannibal apud Ticinum, apud Trebiam, apud Trasimenum, apud Cannas victor , ac demum in patria vincendus sua; priùs apud Salapiam Apuliæ oppidum , quo inexcusabilior sit,meretricio amore subactus est. Quanta tibi videtur mali vis , quæ tam duros animos, tam rigida pectora leni frangat incursu, tam rapidos pedes , tam fortia brachia fragilibus vinculis liget? Linquo fabulosa, & vera nimis; In belluas transformatum Iouem; ridiculis Martem vinculis implicitum; duris nentem pensa digitis Herculem. Ad hæc , & Leandrum fluctibus , Biblida lachrymis, Prochryn telis viri , propria cuspide Pyramum , Hyphin laqueo pereuntem ; quódque est certius , atque sonantius , & Græcorum duces de Amore certantes , & notis Troiam flammis ardentem ; absque his omnibus ; & mille similibus ; satis duo illi , quos præmisimus , ad probandum , de qua agitur, vel magnitudine nominum , vel historiæ fide, sufficiunt. *GAV.* Amo. Quid de odio dices,si amorem damnas? *RA.* Vt tu accipis, vtrumque dam-

nabo; neque ideò bonum aliquid dicam, quod aduersum malo sit. Duo enim extrema sibi inuicem aduersa, paritérque à medio, hoc est, à virtute, distantia, pariter mala sunt. *G.AV.* Ergò malum est amare? *Hoc, ego fateor, malo, nihil melius inuenio.* *R.A.* Credo, Hercle, vt est animus; sed tua opinio rem non mutat. *G.AV.* Oderint quos delectat, ego amabo. *R.A.* Odium, atque amorem indifferentia dixerim. Nam vt odisse vitium, & amare virtutem, æquè laudabile est; sic, seu virtutis odium, seu vitij amor æquè damnabile. Et, ad summam, vix inuenies, quod per seipsum sic laude, vel infamia dignum sit, quin paucis additis, laus, ac vituperatio, altera locum sumat alterius. Tu, quid ames videris. *G.AV.* Quid amem, nisi quod cæteri? *R.A.* Non omnes idem amant. Fuerunt, qui amarent Deum tam enixè, vt pro amore hoc, omnia quidem & seipsos, vitamque suam proiecisse, lucrum ducerēt. Fuerunt qui non altiùs aspirantes, pro nuda virtute, aut pro patria idem facerent: numerarem, nisi innumerabiles essent. *G.AV.* Ego, nec in cœlo fui vnquam, nec virtutem vidi; amo, quæ cerni possunt. *R.A.* Si nihil amas, nisi quod cerni potest, nihil igitur magnum amas. Quid, quod directè obuias præcepto illi vulgatissimo? Nolite amare, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Vos autem cœci animo deditique oculis, æternum nihil, non dicam amare, sed nec intelligere, nec cogitare quidem idonei: vobiscum peritura sectamini, & pudendos affectus honesto tegentes velo libidinem dicitis amorem: illum colitis, illum, fandi licentia, Deum facitis, vt probra vestra, quæ vix

cœlum tegit, excuſet. Quid enim Deo authore, fit perperam? Ite iam, erigite Deo veſtro aras, ac thura porrigite; ille vos ad cœlum euehet. Immò verò cœli Deus illum, & vos trudet in tartarum. *GAV.* Iuueniles ludos in calumniam trahis: amo, da veniam. *RA.* Si ab offenſo poſcenda eſt venia, ipſe tibi ignoſce: neque enim alium, quàm te lædis; &, ab miſer, quos inter ſcopulos fragilem cymbam agis? *GAV.* Iuuat ita viuere, nec intelligo quidnam vetet? *RA.* Miſerum eſt peccare, miſerius delectari, miſerrimum excuſare, atque amare peccatum; & tum demum conſumata amentia eſt, cùm ad ſtudium voluptatis, opinio quædam honeſtatis acceſſerit. *GAV.* Amo, nec nec poſſum aliter, nec volo. *RA.* Poſſes nempe, ſi velles, & forſan adhuc, voluentibus annis, voles: ſi quidem, cùm in multis, tum præcipuè in hoc morbo euenit, vt ſæpe virtuti tentatum fruſtrà remedium, vltrò dies longior afferat. *RA.* Age igitur, lude, inſani, ſomno lætare; experrectus flebis. *GAV.* Ego verò non flebo, ſed canam, meque ipſam, more amantium, carminibus conſolabor. *RA.* Eſt hoc quidem, de quo multa dici poſſunt; &, quando huc me trahis, inſiſtam. Inter multas, fateor, mira hæc amantium amentia, non ſolùm apud vulgus, vbi, conſuetudine in naturam verſa, furor omnis excuſabilis, ſed apud vtriuſque linguæ doctiſſimos. Nam & poëtas Graiorum, & veſtros, quædam de alienis, multa de ſuis amoribus plauſibiliter conſcripſiſſe, compertum eſt: atq; vnde morum infamiam merebantur, eloquentiæ gloriam conſecutos. Tolerabilior apud illos Sappho: ætas, ſexus, animi leuitas, puellam excuſant. Sed quid Anacreonti facias? Quid Alceo? quorũ vterque,

que non poëta modo insignis, sed vir fortis, & rebus gestis in sua Rep. clarus fuit. Seu quid ex vestris, Ouidio, Catullo, Propertio, Tibullo; quorum nullum fermè nisi amatorium, est poëma: quanquam, quid poëtas, quibus, nescio vnde, maior licentia data est, & non potiùs, vitæ duces, arguam philosophos; vbi hercle gaudeas, grauitatis multò plus vestris fuisse, quàm Græcis: vix enim occurret horum aliquis tam perditus, qui [non dicam] tale aliquid fecerit, sed non liberè totum hoc vanitatis genus irriserit, atque damnauerit: apud illos tamen, non communes quosque, sed seueriſſimos philosophorum, Stoicos, ipsumque [quod miraberis] Platonem, in hoc errore versatos scimus. Amaturum quidem sapientem volunt Stoici; & sanè, si de amore conueniat, non fallantur. Amabit enim Deum sapiens, vt dixi, amabit & proximum, amabit virtutem, sapientiam, patriam, parentes, filios, fratres, & amicos; &, si verus sapiens fuerit, etiam inimicos amabit, non propter illos [fateor] sed propter eum, qui hoc iubet. In his omnibus [oro te] quis locus est pulchritudini? Sic enim Ciceronis Tusculano diffinitum legimus: Amorem ipsum conatum esse amicitiæ faciendæ ex pulchritudinis specie. Quis tam cœcus, vt non videat, quid sibi velit hæc pulchritudo? Rectè ergo quærit illic Cicero; Quis est enim, inquit, iste amor amicitiæ: cur non deformem adolescentem quisquam amat, neque formosam anum? nimirum ætas, & forma cum delinimentis suis, sunt huius amicitiæ fundamenta; quæ honestiùs sic dicitur, quàm libido: quid si tamen apertis, sanisque oculis facilè cernitur? Itaque tota res eò redeat, vt, sit amor quisquam in rerum natura, sine sollicitudine, tur-

piq́ue desiderio, sine suspirio, & ardenti cura, sit hic sanè permissus sapienti. Vacat enim omni libidine, vt Cicero idem ait, omniq́ue tumultu, atque angore animi, quæ maximè vitanda sunt sapientibus. Cæterùm, non, vt fando rerum facies velari, sic mutari veritas rerum potest: sermo autem nobis nunc, non, nisi de libidinoso amore suspectus est: qui his multisq́ue aliis magnis malis vacare nullo potest modo. Et hæc quidem de Stoicis. Ad Platonem venio, qui philosophorum princeps, imò [vt aiunt] philosophorũ Deus. Etsi in hoc multi litigent: in omni autem quæstione, non plurium, sed maiorum, meliorúmque iudicio standum est, Plato, inquam, vtique summus vir, de amoribus suis, etiam turpibus, quanquam vero philosopho nulla libido non turpis, & inconcessa sit [pace tanti viri dixerim] multa licentiùs scripsit, quàm quibus Platonicum nomen scribendum esset. Scripsit tamen, & quod nollem, scripta extant: neque tam celebris famæ notam, neque iudicium posteritatis erubuit: curã hãc, metumq́ue omnem vincente impetu passionis, animum vrgentis, stiliq́ue dulcedine calamum excitantis: quę vel in turpi, pudendaq́ue materia, tanta illi est, vt Epicureis magis, quam Platonicis in rebus, quasi solis in luto Platonici radios cernas ingenij. Et hanc ipsam post Platonem, multis video causam fuisse, vt scripta relinquerent, quæ vel honestiùs non scripsissent, vel consultiùs deleuissent, & multis, vt idem faciant, futuram esse coniicio: sed famosiorem attigi. Proinde, quod ad reprehensionẽ attinet insaniæ talis, & aliqua diximus, ac multa, & varia dici possunt: quod ad remedium verò, non pauca. Nam ad illam, quam dicis consolationem mali huius quam tibi de carminibus peruenturã fin-

fingis, breuissimum Flacci carmen, ac percunctatio illa pro responso sit.

His ne versiculis speras tibi posse dolores,
Atque æstus, curásque graues è pectore pelli?

Loquendo, canendoque amor alitur, accenditurque non extinguitur, nec lenitur, vt, quos memoras cantus, & carmina tuorum, non fomenta, sed irritamenta sint vulnerum. *GAV.* Credere iam tandem admonitus, & expertus incipio; quamobrem, si libet, omissis aliis, ad remedia stilum verte. *RA.* Multi olim ista conquirere nisi sunt; in quibus Naso mirus medicus, morbi amantior, quàm salutis: cuius quædam leuia, quædam fœda, vel inefficacia, tamen est aduertere. Scripsere alij, inter quos Cicero breuiter, potenterque: ad summam, pauca hæc sunt, quæ, de multis electa, probauerim: loci mutatio, quæ, vt corpori, sic animo ægrotanti, salubris interdum est. Euitatio omnium, fugaque diligens, quibus amati vultus memoria retraharis, occupatio quoque, traductioque animi ad alias curas, nouasque sollicitudines, quibus morbi veteris vestigia deleantur. Cogitatio vehemens, assidua, quàm turpe, quàm triste, quàm miserum. Postremò quàm breue, quàm labile, quàm nihil sit omnino; quod difficultatibus tantis appetitur; quàm facilè, quantoque meliùs vel impleri aliter, aliisque viis, vel contemni penitus possit, atque abiici, interque rerum vilissima deputari. Multos præterea curauit pudor, quod maximè generosis animis accidit, dum obseruetur infamia, irrisioque, dumque se digito signari, vulgique fabulam fieri dolent, dum sub oculos redit rei fœditas, fructu vacua, plena dedecore, plena periculis, plena doloribus, ac pœnitentiæ causis; ad extremum, proderit excusa-

tionibus, ac falsis opinionibus reiectis, veras induere, nihil hic naturam, nihil fatum, nihil stellas agere, nihil denique, nisi solam animi leuitatem atque liberum iudicium. Est enim in ægrotantis arbitrio, vt sanus fiat mox, vt bona fide velle cœperit, & blandæ consuetudinis nexus dulces abrumperit; laborioſum certè, sed volenti possibile. Est quidem [vt grauissimè ait Cicero] illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse, nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim, si naturalis amor esset, & amarent omnes, & semper amarent, & idem amarent; neque alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret. Nempe hoc vltimum satietas, à quibusdam inter remedia ponitur: ab aliis autē amor nouus, quo, vt censent, vetus amor, quasi clauo clauus, pellitur: quod quamuis Attaxerxi Persarum regi, quem Assuerum sacræ vocant literæ, & suggestum ab amicis, & effectum vtile deprehensum, author expressior sit Iosephus: de euentu quidem non litigo de electione pronuncio. Itaque duo hæc vtilia fortassis interdum, semper certè periculosa crediderim: si neque horum aliquo, neque omnibus conualescas ad morbi causas animo recurrendum erit. Hæ verò [ni fallor] primæ omnium, ac maximæ sunt, valetudo, & forma elegãs, opes, otium, iuuenta. Vt corporis ergo, sic animi morbis contraria optimè medebuntur, ægritudo, deformitas, inopia, graue negotium, senectus errorum inuenilium castigatrix eximia. Hæc mihi sunt vltima; dura quidem: sed, pro magnitudine pestis, optanda remedia.

De

De ortu filiorum. DIALOG. LXX.

Non semper miser est sterilis cui contigit vxor;
Nam patribus nati tristia sæpe ferunt.

GAV.

NAti mihi sunt filij. RA. Geminatum malum, ponduſque domesticum. GAV. Filij mihi sunt nati. RA. Laboriosa vxor, laboriosior amica, laboriosissima demum proles. GA. Nati filij. RA. Dulcedo amariſſima, & fel melle circumlitum. GAV. Nata mihi est dulcis soboles. RA. Fontem tibi grauium curarum domi natum credito. Nunquam sine metu atque angoribus vitam ages. GAV. Filios genui. RA. Nec timere, nec sperare, nec vota facere noueras. En discès tuo periculo, discès & parentes orbos miserari, discès & in breui vita longas curas texere, teque longiora negotia ordiri: discès his, quæ nil ad te dertineant torqueri; quæ visurus nunquam sis disponere. Ad postremum, discès amare plus alium quàm te, discès ardentissimè diligere, tepidissimè diligi; duras artes. GAV. Filios habeo. RA. Nũc primùm intelligere incipis, quid ipse debeas parentibus tuis. GAV. Filios procreaui. RA. Seuisti arborem inexhausto percolendam studio, quæ te, dum viuas, exerceat, cuius nullos forsitan, aut seros, & fortasse post obitum, fructus legas. GAV. Filij mihi sunt, RA. Si boni, iugis timor, sin mali, sempiternus dolor: interim solamen ambiguum, certa cura. GAV. Habeo filios. RA. Habes vnde viuus doleas, mortuus agnoscaris. Habes & vnde sæpius mori possis. GAV. Pater filiorum sum bonorum. RA. Quantò meliores filij, tantò periculosior conditio tua est. Nescis, quam dolendi materiam gignendo quæsieris, quos lachry-

mis aditus in tuam domum patefeceris, quantum in te ius morti, miseriæque præbueris. O matres miseræ, ait Horatius: O patres miseri, dico ego. *G.* Optimorum pater filiorum sum. *R.A.* Optanda mors tibi integro est, ne fortè viuus esse desinas, quod delectat, & aliquando cum Nestore à sociis quæras, cur tam diu vixeris. *G.AV.* Votiua felix lætusque sum sobole. *R.A.* Felicitas anxia, sollicitum gaudium, & sæpe mœstum, felicitas misera. Possem multos illustrium proferre, quorum felicitati nihil magis obstitit, quàm quòd filios habuerunt.

De Filio infante festiuo. DIAL. LXXI.

Arboris vt germen spem fallit sæpe coloni,
Si quandoque patri spem rapit ipse puer.
GAV.

INfans filius festiuus est mihi. *R.A.* Modò ne ista festiuitas in dolorem desinat, & quò tibi præsens lætior infans tuus fuerit, eò mœstior sit digressus. *G.* Infans est mihi bonæ spei. *R.* Quid si sit nullius rei? Caduca ante alias ætas illa: sæpe in ipso flore præciditur. Vtique nil dulcius, sic ferè nil amarius. *G.AV.* Infans est mihi blandissimus, atque multiloquus. *R.A.* O, ne istæ blanditiæ vertantur in lachrymas. Res est dulcissima [fateor] infantuli aspectus, & alloquium, vtque est apud Statium Pampinium:

Syderei vultus, & verba ligatis
Interrupta modis:

quæ, dum audiuntur; mulcent, dum audiri amplius non possunt, cruciant: nec sine sensu doloris ad memoriam reuertuntur: sic humanis in rebus, sed in nulla magis, dulcedini opposita semper amaritudo est. *GAV.* Delector filio infante iucundissimo

dissimo. *R.* Non prohibeo delectari, ne naturæ obstem, sed in omnibus modum quæro; sine quo nihil bene agitur. Volo te parciùs gaudere, vt, si dolendum fuerit, possis & parciùs dolere; & moneo cogitare, facilè fieri posse, vt arundineo baculo insistas, vel in caducum te parietem inclinaueris; quod sæpe dixisse fertur Adrianus princeps, cùm Ælium Verum puerum pulchrum, sed fragilem, adoptasset; & tecum canere possis Maroneum illud.

Ostendent terris hunc tantùm fata, neque vltrà
Esse sinent.

G. Gaudeo de infante meo. *R.* Sic gaude, vt dolituras, siue ille, vt dixi, acerba morte defungitur, siue, quod est multò grauius, quodque sæpissimè accidit, è gratissimo infante, fit ingratus, & inobediens adolescens. *G.A.* Multùm gaudeo de infante filio. *R.* Nemo tam stultus agricola est, qui de flore multũ gaudeat: fructus est exspectandus; tũc gaudẽdũ modicè. Interim tẽpestates, grãdines, & vredines metuendæ sunt, frænãdumq; metu gaudiũ.

De insignium natorum forma. DIAL. LXXII.

Forma pudicitiam prodit, forma eruit vrbes;
Forma sua est multis maxima causa necis.

GAV.

INsignis est natorum forma. *R.A.* Si tuam tibi formam contemnendam, me docente, didicisti, quanti alienam sis facturus, intelligis. *GAV.* Forma filiorum magna est. *R.A.* Magnum maribus discrimen, fœminisque quàm maximum. Iam primùm pulchritudo, & castitas rarò cohabitant. Nam nec volunt, vixque, si velint, liceat: cùm humana omnia, tùm in primis pudicitia hodie malè tuta est; præsertim vbi formæ

egregiæ iuncta est: sunt quibus inuidetur, sed intra suos fines sese tenet inuidia; dolet, irascitur, nihil vltrà: quidam illæsi, inter multorum odia senuere; quidam perpetua; & ad vltimum inconcussa viguere tyrannide: quot assiduè placato mari nautę, quot per syluas saluis mercibus prætereunt mercatores; nec pyrata illis, nec his prædo obuius? Quam tu mihi formosam intentatã dabis? Casta licet, obsidebitur, oppugnabitur. Quis animus muliebris corruptoribus tot resistet? Admouentur muris scalæ blanditiarum; machinæque munerum & latentes sub terram, fraudum cuniculi: si his artibus non proficitur, manu improba vis affertur: si fidem quæris, famosissimos raptus ad memoriam refer. Forma multos tentauit, & tentandos præbuit, quosdam strauit; &, vel in crimen impulit, vel in mortem. Fuit apud Hebræos, exemplum tentationis acerrimæ, Ioseph; sed discrimen prouidentia cœlestis in gloriam vertit. Apud Graios, Hippolytus, & Bellerophon: apud vos; Spurina, ne tentaretur, propriis se manibus defor mauit. Non apud primos, virgo Thamar; non apud secundos, Graia Penelope; non apud tertios, Romana Lucretia tuta fuit. Non apud omnes, plurimæ, vel tentatæ passim, vel oppressæ. Hi sunt formæ fragilis, & caducæ fructus; qui perfæpe, non opulentas tantùm domos, sed ingentes vrbes, & magna nonnunquam imperia euerterunt. Notæ sũt historiæ. Certè, nisi formosa adeò fuisset Helena, Troia mansisset incolumis: nisi tam formosa Lucretia, Romanum regnum non tam velociter corruisset: nisi tam pulchra Virginia, nec tam citò decemuirale illud imperium defecisset; nec Appius Claudius, tantus legifer Romanus, libidine victus, famam in rostris, vitam in vinculis

siniissent: denique si formosæ minùs innumerabiles aut fuissent, non tot raptæ, aut decerptæ, in tot probra, tantásque animæ ruinas, ex arce pudicitiæ cecidissent: quare effectus formæ bonos quos inueneris renuncia, vt cum contrariis comparẽtur. *G.* Formosissimus filius est mihi. *R.A.* Forma hæc Messalinæ cuiuspiam cum libidinem excitarit eligе, vtrum vis, aut neget, & amantis imperio oecumbendum, aut annuat, & Claudij gladio percundum erit. Castitate igitur mortem, adulterio autem nihil, præter exiguam vitæ morulam quæsierit: & hoc sibi illa inclyta, & excellens forma contulerit. In hoc ergò, vt in reliquis mediocritas bona: si extremorum alterum eligẽdum esset, forma gratior, sed gibbus est tutior. *G.* Est mihi nata pulcherrima. *R.* Circunspice insidias, vim caueto. Iasonem putas aut Theseа, aut Paridem vnum esse? Mille sunt. Filiam habere sollicitudo est, laborq; forma adiice metus fit, quẽ, nisi morte aut senectute nõ fugias: nuptiis namq; alterius in domum metum transferes, non extingues. *G.* Præclara natorũ forma glorior & exulto. *R.* Gloriari, & lætari forma sua iuuenes, vanũ vtique, sed vulgare est. Gaudere autem senem forma iuuenũ suorum, quam vanitate plenam [ni desipiat] obiectámque periculis videt, stultum prorsus, & insaniæ proximum. *GAL.* Cœlestis filij forma est. *R.A.* Legisti reor Iliados Homericæ librum quartum & vigesimum, vbi Priamus, de Hectore suo loquens: Non, inquit, apparebat mortalis viri filius, sed Dei: dixit hoc ille, sed Achilles ei ostendit hominis illum mortalis filium esse, non Dei: & tui nunc filij cœlestis forma, quam memoras, [memento] eripi, fœdariq́ue potest; & dum durat, quanti pretij sit, æstimatio prærupta est. Hos

errores tamen,& has nugas,paternus amor immodicus,& recti iudicij hostis,parit. G. Formosissima mihi filia est. R. Vt nil aliud,sumptuosissima domus erit.

De Filij fortitudine. DIAL. LXXIII.

Res non magna viris, si fortia corpora sternant;
Vincere qui didicit crimina, fortis erit.

GAV.

EST mihi filius vir fortis. R. Quantò ille est fortior,tantò tu timidior sis,oportet. In nõnullos enim homines plura pericula,quàm in sui contemptores,hoc est viros fortes, congerit fortuna;nec immeritò. Cæteri enim sese abdunt, euitantq; impetum,illi se obiiciunt fulminanti. Recurre memoria præteritum tempus. Fortissimos ferè omnes violenta morte consumptos inuenies. G. Fortitudo filij ingens est. R. Fortitudo pulcherrima virtus est;sed comitata casibus variis,paratas lachrymas,& instructum feretrum habeto; omnibus mors vicina,viris fortibus contigua est. G. Vir fortissimus est filius. R. Est qui patriæ libertatem forsitan, stragem hostibus, sibi decus,tibi fletum aliquando,metum semper afferat. G. Natus mihi fortis,ac magnanimus est. R. At,quid aliud,interfecto in filio, Creon gemit;nisi magnanimum bellicæ laudis ardorem? Quid Euander in Pallante suo,nisi nouam gloriam armorum & præ dulce decus primi certaminis? Quid aliud Priamus Hectorem,pauens,monet: nisi ne Achillem solus expectet? Quidve aliud hunc ipsum mater anxia precatur, nisi vt fugiat bellicosum virum? Quid denique vxor Hectorea, post viri mortem fati ignara, timere se dicit, nisi probitatem viri mise-

miseram,& feruorem animi,non se in acie continentem bellatorum, sed cæteros præcurrentem; quod ipsum iam antè ab initio formidabat, vbi euntem ad bellum,his verbis alloquitur: Demonice, corrumpet te tua vis, neque misereris filij pueri,& mei miseræ matris,quæ citò vidua tui ero. Quid postremò Achillis genetrix, pro nato, timida dum diceret,

Iam pelago terrisque meus quæretur Achilles;
Et volet ipse sequi;

dúmque illum frustrà tam feruentis belli motibus ereptum,& imbecillem tranquilli senis in regiam inuectum,virgineis latebris occultaret? Omnes hos quidem fletus, & hos metus, nihil aliud,quàm martia vis,& virtus animosa peperat. *G.* Valde mihi magnanimus est filius. *R.* Magnus animus,sine magna potentia, stultitia magna est. Magnanimitas recta,hominum est paucorum;quamuis & qui potentissimi videntur,quàm sint fragiles,multa etiam præter mortem,sed præcipuè mors declarat:vt breuiter,veréque dici possit. Nil imbecillius homine, nílque superbius. . . Filius est mihi magnanimus. *R.* Gaude ergò:habebis magnorum conatuum plenam domum,otij vacuam,& quietis:& sæpe optabis,non tam magnanimum filium habuisse. Ad summam, clara est fortitudo,magnanimitas speciosa,vtraque verò laboriosa,& turbida:tuta modestia,& tranquilla.

De Filiæ castitate. DIAL. LXXIV.

Castra pudicitiæ fœdo expugnantur amore;
Ni sint præsidio quàm bene tuta suo.

GAV.

Casta mihi est filia. *RA.* Iucunditas magna

sed sollicita. Quantò enim castitas maior, tantò in eam vigilantior libido. Nihil tam ardenter inuaditur, quàm quod castis excubiis, & fœmineo pudore vallatum est. Concesso calle corruptor it segnius: & permissa tepentiùs appetuntur: multùm concupitæ rei difficilis solet esse custodia. *G.* Insignis natæ pudicitia est. *R.* Est, vbi res optima, rei pessimæ materiam præbet. Magna Lucretiæ forma fuit, sed nil æquè, ac spectata matronæ nobilis castitas, vesanum iuuenem in adulterium violentum, stimulis egit ardentibus. Sic bonorum donis abutitur nequitia reproborum. *G.* Castitas filiæ nota est. *R.A.* Opta, vt perpetua sit, apud poëtam legis:

Varium & mutabile semper,
Fœmina:

Quod, si Maro non diceret, nunquid minùs ideò certum esset? Quot adolescentulas pudicas primùm, post lasciuas anus vidimus? & ita præsentibus vitiis cum præterita castitate certantes, vt pudicè acti, quasi perditi temporis, pœnituisse videretur; quo nullum fœdius, illo in sexu, atque ætate ludibrium. *G.* Castissima mihi est filia. *R.* Si seipsam cognouerit, sciuerítque cuius est domini castitas: & illi gratias agens, ad custodiam boni sui totum animum intenderit atque in tutum intemerata peruenerit, erit [fateor] vnde & secum Deo gratias agas, & gaudeas magis, quàm si illam regiis nuptiis illustrasses. Est tamen interim [mihi crede] quòd timeas. Cùm sit enim in omnibus rara constantia, tum in fœminis nulla est.

De optimo Genero. DIAL. LXXV.

Non Socer à Genero, non hospes ad hospite tutus;
Tu speras Generum pt sse manere probum?

GAV.

OPtimus genere est mihi. *R.* Debet is esse vel filio charior; si quidem filium casus affert, generum electio. Acceptum igitur filiæ fer, quæ nepotum debitrix filium iam nunc dedit. *G.* Generum optimum sors tribuit. *R.* Sunt hoc in genere, & fidei insignis, & perfidiæ exempla. Rarò, vel nunquam, tam fidelis patri filius fuit, quã Augusto Cæsari Marcus Agrippa, quàm Antonino pio Marcus Aurelius erga quem, vsque ad illius vitæ finem, tribus ac viginti annis, ita se gessit, vt non modò amorem eius in filiam, sed imperij quoque successionem, vt filius; fide perpetua, ac sedulitate meruerit. At non talis erga Claudium fuit Nero, licet is quoque non suis meritis, sed matris ingenio principis filiam nactus, & imperium. *G.* Vnanimem, & concordem generum inueni. *R.A.* Vide, ne spes successionis, aut bonorum competitio, concordiam hanc infringat. Quis enim non viuere illum optet, cuius sibi vtilem viram videt? Sin, aut vita obstare, aliquò forsitan aspiranti, aut vtilior mors esse cœpit, seu videri; mutantur habitur atque affectus animorum: occultùmque mox odium erumpit. Quantæ sanè inter socerum ac generum possint esse discordiæ, vt sileam antiquam Danai fabellam, & Numerianum Apri soceri sui dolo nefario interemptum, insuper Stiliconem cupiditate imperij, & defuncti soceri, & generi viuentis oblitum, abundè Cæsaris, atque Pompeij notissimum est exemplum.

De Secundis nuptiis. DIAL. LXXVI.

Vxorem, liber factus, ne quære secundam:
Stultus, qui rursus vincla solutus adit.

GAV.

SEcundas nuptias celebrabo. *RA.* Si nosses ad liquidum, quid est fœmina, quidve de illa magni scribant viri, ne primas quidem nuptias celebrasses. *G.* Secundas nuptias celebrare est animus. *R.* Si non te primę nuptiæ domuerunt, iam secundas celebra; si te nec illæ domuerint, celebrabis & tertias. *G.* Secundis nuptiis intendo. *RA.* Qui ex primo coniugio prolem habens, nouercam superinducit, suis manibus in suam domum mittit incendium. Si iuuenta vrget, aut libidinosa vellicat senectus, qua nihil est turpius: posset forsan [vt ciuiliter hoc potiùs, quàm honestè dicam] posset, inquam, fortassis vtiliùs, nisi peccati materia, vel diuina lege vetitum esset, concubinali obsequio subuenire, quàm nouercalibus odiis domus tranquilla turbari: quod Tito, ac Domitiano susceptis filiis Vespasianus prudentissimus princeps fecit. Et ætate hac, Stephanus Columnensis, haud immeritò inter principes memorandus. *AV.* Ad secundas nuptias intendo. *RA.* Potes id quidem secundum leges humanas, diuinis quidem legibus patientibus magis quàm laudantibus: nota omnibus, quæ de hac re Paulus tractat Apostolus. Certè etiam apud Gentiles ipsos, quibus laxior talium libertas permissam rem potiùs quàm probatam, intelligere est. Siquidem multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cuiusdam intemperantiæ signum esse, vestri maiores crediderunt; quæ amplexus Hieronymus,

quàm

quàm multa contra ſecundas nuptias, quámque acriter ſcribat, non eſt promiſſæ breuitatis inſerere: quæ quamuis in fœminas, non in viros etiam dici omnia videantur, & haud dubiè ſexus ille maioris ſit debitor caſtitatis, ac pudoris, plus tamen prudentiæ, ac conſtantiæ debent viri. *G.* Secundis mihi nuptiis eſt opus. *R.* Mirer; niſi mores veſtros nouerim, non tantùm ſuperuacua, ſed damnoſa etiam, vobis neceſſaria effeciſtis. Tu verò duriſſimi oris ſis: ſi ad te frænandum, vxore opus eſt altera. *G.* Ad ſecundas nuptias feſtino. *R.* Age age, dum feruor durat: cùm refixerit, dolebis: non notaſti, quàm dulcis eſt ſopor, in vacuo cubili: ſolum illum fœdum, & miſerum, actum cogitas, qui tranſit, & vulnerat.

De Natorum coniugio. DIAL. LXXVII.

Exitus acta probat: nil lauda ſolis ab ortu:
Sæpe bono auſpicio finis amara venit.

GAV.

NAtorum nuptiis ſobolem propagaui. *R.* Honeſtior aliquantò hæc quidem cura, quàm ſuperior; & tamen ſæpe vitium propago quàm ſobolis, vtilior fuit. Illa dulci mero doliũ, hæc amaris curis animum impleuit. *GAV.* Nuptui natam dedi. *R.* Si prouidè, ſique feliciter, & filiam ſeruaſti, & filium [vt modò dicebam] vel filio melius inueniſti: ſi minùs, & illam perdidiſti, & tibi hoſtem, tyrannum filiæ quæſiuiſti. *GAV.* Viro filiam collocaui. *RA.* Si bonam, dulce pignus, ac ſuaue tibi ereptum, alienis laribus inuexiſti. At ſi malum, graui faſce, quo alium premeres, te leuaſti. *GAV.* Filiam viro dedi. *RA.* Noli nimium hinc gaudere. Multis anxiæ, & infelicis vitæ principium fuerunt nuptiæ; vt lætè omnia ſuccedant,

operosa res est coniunx; in laboriosam coloniam, durúmque negotium, quam amabas, misisti: nascentur filij. Domi illi suus scaturiet fons curarum: finge non nasci, sed id ipsum miserum, molestúmque. Sic fœcunditas onerosam, sterilitas odiosam faciet: mansisse tecum forsan optabit, pietatémque tuam hanc oderit. *G.AV.* Filiæ virum dedi. *R.A.* Otiosæ finem vitæ, principium actuosæ; rei sarcinam familiaris grauem; mundi notitiam, experientiam sui ipsius. *G.AV.* Filia virum habet. *R.A.* At perdidit libertatem, virginitatem, requiem: non æqua permutatio. *G.AV.* Dedi filio vxorem. *R.A.* Grauior est immissa nurus, quàm emissa filia: semper inteſtinum malum, periculosius externo est. Patefeciſti arcem hosti forsitan, aut profectò participi; iam non solus dominus rerum tuarum: refert qualis intrauerit. *G.AV.* Generosam filio couiugem quæsiui & diuitem, & formosam. *R.* Cur, quod sequitur, supprimis, & superbam, & importunam, &, coniugi, vitæque tuæ æmulam? Inter socrum, & nurum vetus est bellum; nec soceri maior est gratia, sed metus: vna est amborum ratio: Nullum animal tam primi loci appetens, quàm fœmina. Illum sibi, saluis vobis interdictum videns, quid nunc animo voluat, & quid oret, haud difficilis coniectura est. *G.AV.* Vxorem filio dedi. *R.A.* Quid scis an immortale illi tædium, tibíque dederis; an vtrique clandestinum fortè discrimen? Multæ viros, soceróſque perenni confecere fastidio, quædam veneno ferróque aliæ peremere. Quot habebat filios Ægisthus, si nurum nullam habuisset? Inuenta est, quæ præcipiti libidine dominandi, & secundæ sortis impatientia; quò maturiùs virum, séque regnantem cerneret, genitori proprio

causa mortis cum fuisset, supra cæsi corpus currum ageret. Si hæc patrum merces, quid sperare debent soceri? *G.* Nuptiis filiæ celebratis gaudeo. *R.* Quoties hanc celebritatem dispar fœdat euentus: & cantus, & epulas, & choreas, luctus sequuntur, & lachrymæ, & tumultus. Ineptum omne gaudium immodicum, ex his præsertim rebus, quibus dolor oriri possit, & soleat. *G.* Vxorem filio simul & filiæ virum dedi. *R.* Sarcinas permutasti, alienam tuis, alienis tuam humeris curam fers.

De Nepotibus. DIAL. LXXVIII.

Dant multi curas nati, seriésque nepotum;
Et plenam norunt expoliare domum.

GAV.

NEpos ex filio natus est mihi. *R A.* Ingens amor filiorum, iugis cura: habet tamen & finem, & metam aliquam: si vltrà progreditur, nullus sollicitudinum modus est; & ex filio natus, & qui ex illo nascitur, omnes denique tuã nascuntur in pœnam: quorum numerus quorsum pergat, seu pergere possit, intelligis. Ille quidem Israelitici parens populi, si sic affectus, vt tu es, primorum patrum vitæ tempus implesset: quãta, quæso curarum sarcina humeris fessi senis incumberet? Præter enim fœminas, puerósque, & sacerdotes, atque inhabiles suo de sanguine, paucis seculis sexcenta, & eò amplius, virorum bellantium millia prodiere. I nunc, & nepotum exercitibus gloriare: in quibus, etsi fortè aliqui sint felices, innumerabiles miseri sint, oportet. Quid ergo? Amandi sunt non tantùm filij, ac nepotes, sed omnes omninò homines. Amandi, inquam, in illo, in quo fratres estis omnes, nec curis tamen, nec

immodico gaudio indulgendum,ne,& in præsens contrariis crucieris affectibus, & aliquando te gauisũ esse pœniteat pudeátque,quem,vt infantulũ valde dilexeris,virum valde oderis,quod persæpe accidit. *GAV*. Natus est,nepos mihi. *RA*. Quid, quòd hunc,quem faustum putas,vel nepotis turpitudine,vel vi forsitan fortunæ infaustum quandoque dicturus es diem ? Quid, quòd tibi natus mox forsitan moriturus, & plus tristitiæ allaturus est,quàm attulerit lætitiæ ? Multi sunt varij, subiti,& inopi hominum casus: sed infantium innumeri. Si omnes viuerent,qui nascuntur,humanum genus terra non caperet: viuerent,dico non semper: nam si id facerent, homines non essent: sed vsque in senium, vsque saltem ad legitimam ætatem. Stultum est magnum gaudium de re breui,vtique & incerta, quonam euasura sit. Quod & in filiis,& in nepotibus verum est, sed eò magis in nepotibus magisque etiam nunc in pronepotibus,quò à radice absunt longiùs. *GAV*. Nati sunt mihi nepotes ex fratre,ex filia,ex sorore. *RA*. Hi iam minùs ad te pertinent,hoc gaudium, & hanc patribus curam cede. *GAV*. Natus est mihi nepos ex fratre. *RA*. Et Annæo Senecæ Lucanus, non exigua pars Hispanæ facundiæ ; & Micipsæ Numidarum regi Iugurtha non vltimum exemplum Libycæ perfidiæ, nepos fuit,regni euersor, fratrum interfector. *GAV*. Natus est mihi nepos ex sorore. *R*. Et Platoni Pseusippus ex sorore nepos & philosophiæ velut hæres fuit;& Pericli talis nepos Alcibiades, turbator patriæ, & bellorum Græciæ concitator; Tarquinio Superbo Brutus,qui regia illum sede deiecit, & vir magnus, & patriæ vtilis,sed aduersus auunculo. *GAV*. Natus est nepos ex filia. *RA*. Ennio Pacuuius

uius verecundus, ac grauis vir nepos ex filia, & po ëticæ ſucceſſor fuit. Antonino autem pio, Commodus impudentiſſimus, leuiſſimúſque hominũ. G. Eſt mihi ex filia natus nepos. R. Romulus Remúſque Numitoris ex filia nepotes auum maternum in Albanum regnum reſtituerunt. Ancus Martius ex filia Numę nepos, auitum regnum Romæ tenuit magna cum gloria. Cyrus autem Aſtyagis nepos ex filia maternum regno auum expulit Medorum. Quę hiſtorię eò tendunt vt de hoc nepotum ortu, quantùm ſperari poteſt, tantùm poſſit & metui.

De Adoptione filij. DIAL. LXXIX.

Priuignos, & adoptatos licet eſſe probatos;
Eſt tamen hic multò tutius, vt careas.

G. AV.

ADoptaui mihi filium. R. A. Adoptatio pediſſequa eſt naturæ: & cũ ſit illa nobilior, hæc cautior; quódque illa, ſine conſilio gignentis, caſu quodam, hæc adoptantis certo iudicio operatur. G. Adoptione bonum filium quæſiui. R. Debuiſti id quidem; ſi neglectum, non vt genitura, ſic electio excuſabilis. Nihil habes in coniugem, nihil in fortunam quod retorqueas. G. Filium adoptaui. R. A. Opportunum hoc naturæ ſubſidium ciuili repertum iure multíſque vtile, multis fuiſſe peſtiferum conſtat. Bonum filium adoptauit Nerua; ſed Traianum in ſua adoptione deceptum, quibuſdam ſcriptoribus viſum ſcio. Nã Auguſtum in Agrippæ nepotis adoptione circumuentum, mox ſecuta teſtatur abdicatio; in Tiberij autem, vel adoptione, vel ſucceſſione, non deceptum, ſed ſuorum moribus penè coactum, video; quod & ſermo eius indicat, & præfatio teſtamenti. At Micipſa ille, cuius paulò

antè memini, prorsus infelix adoptator fuit; qui non filium, sed funestum draconem regiæ filiisq; suis immiserit; quos etsi moriens hortetur ita viuere, ne ipse meliores filios adoptasse videatur, quàm genuisse; sæpè tamen meliores adoptantur, quàm gignuntur: neque id mirum cùm illud experientia, & consilio muniatur; hoc neutro. Sæpè autem contrà non peiores modò, sed pessimi omnium adoptantur. Fusca enim, & ambigua merx est homo. *G.* Priuignum bonum habeo. *R.* Rarus est priuignus bonus, rarior est vitricus. *G.* Bonus est priuignus mihi. *R.* Vt sit bonus, quid ad te? nisi forsan, vt coniugis procurator gaudes. Tibi enim quid virtus aliena contulerit, nisi vt tuorum si quos genueris, pandatur ignauia? *G.* Priuignus est mihi optimus, atque fidissimus, & nulli filio secundus. *R.* Fieri id quidem potest. Talis Augusto fuit Drusus, sed non Claudio talis Nero.

De Excellenti præceptore. DIAL. LXXX.

Est pudor à docto te nil didicisse magistro;
Quin age, te docilem redde, peritus eris.

G. AV.

EXcellenti præceptore glorior. *R.* Alieno nec dum desinis gloriari. Quid ad te enim excellentia præceptoris tui? Crede mihi [quod sæpè itero] intra te sit oportet, quod te faciat glorioſum. *G.* Præceptore glorior excellenti. *R.* Sine ipsum interim rebus suis, vt videtur, vti, &, si libet, etiam gloriari; quanuis, & si excellens verè est, minimè id facturus sit; de te autem post viderimus. *G.* Est mihi præceptor insignis. *R.* Qualis tu discipulus sis, exspecto; antè enim quid pronuntiem

nuntiem non habeo. Quàm multos ſtultos, atque hebetes habuiſſe putas ſcholam Socratis, ac Platonis; in quibus multos, abſque præceptore vllo, per ſeipſos in altum euolaſſe, vt præceptores fierent aliorum, qui præceptoribus caruiſſent? Nullum Vergilio præceptorẽ legimus. Horatius Flaccus de ſuo nihil, niſi quòd plagoſum dixit verborum puerilium, credo, meminerat. Cicero autem ſuum laudibus ampliſſimis celebrare voluit, nec valuit. Contrà huius filius, quantis præceptoribus, patre ſcilicet, & Cratippo illius ætatis philoſophorum principe, ſi quid ipſi credimus Ciceroni, quantus nebulo, quámque famoſæ ebrietatis euaſerit notum eſt, qui ſolo patris, vel tacentis, aſpectu, doctus, ac ſobrius euaſiſſe debuerit. Plato ipſe, etſi, vt ſuprà meminit, Socratis magiſterio glorietur, maior tamen eſt gloria, Socratè exceſſiſſe, quàm ſub Socrate didiciſſe. *G.* Scientificus præceptor eſt mihi. *R.* Scientia præceptoris diſcipulo vtilis eſſe nõ poteſt, glorioſa non eſſe poteſt: quin etiam [quod mireris] eſt, qui tibi famam minuat, ignauiam exaggeret: iactantiæ, excuſationibúſque aditum præcluſiſti. Quicquid ſciueris, præceptori dabitur. Quicquid ignoraueris, tuum erit. Eſt ergò non vnde glorieris, ſed vnde aſpires ad gloriam. Habes & quem ſequi velis, atque aſſequi; non quem te eſſe putes, quòd diſcipulus eius ſis. Eſt denique non quod habes, ſed quod habere cupias; & quod ſperes, non ſine ingenti tuo ſtudio, ac labore. *G. AV.* Eſt mihi præceptor aſſiduus vir clarus. *R.* At illi, de quo diximus, Ciceronis filio duo erant ſummi viri, quorum alter libris eminùs, alter verbis comminùs in eum incubuerat, & quid profecerint, audiſti. Quàm multos verò è filiis principum, præceptores ſimul quàm plurimos

habuisse comperimus; sed quid refert esse, qui doceant, si qui discat, nemo sit. Patiente in dispositò, frustrà nititur vis agentis. Certè, si doctos faceret propiùs spectare, vel alloqui, doctos faceret spectatores, et si paucos virtutis, aut doctrinæ cupidos videamus, magna circa eos esset tamen, & importuna frequentia.

De Insigni discipulo. DIAL. LXXXI.

Est iter incertum, iuuenis quo protrahat ætas;
Ingenium felix ad mala sæpe ruit.

GAV.

INsignem discipulum penè filio chariorem, casus obtulit. *R.* Importunum negotium puerulis ingenij non æquis gressibus ingenium coaptare, & in vnum semper infantem defixos oculos, atque animum habere: ad illius tolerentiam intellectũ tuum, vocémq; submittere. Quòd si discipuli plures sunt, cumulatior fit cõgeries laborum, verti continuè huc, illuc, vtque ait Satyricus:

Tot puerorum
Obseruare manus, oculósque in fine trementes.

G. Vnus, ísque clarissimus est mihi discipulus. *R.* Pro vno discipulo claro, multis obscuris iudiciis te obiicis: quicquid ille deliquerit, in tuũ caput redũdabit. En doctrinã, inquiẽt: En facundiã: En mores. In hoc magistrum inspice: Nulla, quàm ingeniorum certior effigies. *G.* Discipulum sum nactus illustrem. *R.* Age ergò, magna spes est gloriæ: profectus ingenio illius, defectus culpæ tuæ dabitur: Cùm [vt Plutarchus philosophus ad Traianum principem discipulum suum scribit] sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores: quod multi [vt legimus] passi sunt, inter quos Quintilianus, & Seneca, & ipse Philo-

philosophorum pater Socrates. *G. AV.* Præclari discipuli sunt mihi. *R.* Melius si modesti: quanquam vera claritas, sine virtutis radio, nulla est. *G.* Magni discipuli curam gero. *R. A.* Triformi congredieris chimeræ: hinc vt puero prosis, hinc vt parentibus placeas: Illinc autem vt Reipub. rationem reddas, quã de tuis manib. exiget: rudemq. illum tibi creditum eruditum repetet. *G. AV.* Pueri nobilis mihi cura commissa est. *R. A.* Suspecta est ætas, & suspecta nobilitas: illa spondet immemorem: hæc superbum. *G. AV.* Puer mihi creditus, me veretur. *R.* Quid dices dum te despiciet adolescens? Vir fortasse vix nouerit? nota fides pueri, nota constantia est. *G.* Puer mihi creditus me amat. *R. A.* Inexpleto parieti imaginem impressisti: illo crescente delebitur. Firmus amor solidam poscit ętatem. *G. A.* Clarus puer edocendus in sortem venit. *R. A.* Inquieta sors, euentus ambigui: quædam ingenia nullo studio eriguntur. Est vbi pater impensam, præceptor operam, puer tempus amittit: docilem doce, indocilem defatiges, néue illum, teque simul frustrà atteras: ægrè vincit ars naturam. *G. AV.* Discipulus tener, nec indocilis obtigit. *R. A.* Etsi in lubrico stas, atque in fluxo stratus, age tamen fideliter commissum. Si plena ætas aderit, poterit meminisse, alioqui sua erit obliuio, fides tua: magnum satis ipsa sibi virtus est præmium. Conscientia bonorum operum nihil est dulcius: non te retrahat ab honesto desperatio præmiorum; quia nullum, etiam in hac vita, rectè factum præmio caret, cuius [vt sapientibus placet] fructus vberrimus est fecisse, atque in silentio meminisse. *G. AV.* Inueni discipulum magnæ spei. *R. A.* Et magnæ sollicitudinis: & profecto, si bonus fiat, filium tibi cor genuerit, lingua pepererit; sin malus, hostem, qui te, dum

p.

timuisse recordabitur, oderit. G. Discipuli claritas ingens est qua illustrari spero. R. Moderata claritas oculos delectat, immoderata perstringit. Præterea nullus te, nisi tu luceas, illustrabit, & si detegat, verum lumen ab intra est. G. Magnus est mihi discipulus. R. Non maior, puto, quàm Senecæ: præceptorum alios protexit, alios oppressit discipuli magnitudo: his portus fuit, his scoplus.

De Patre bono. DIALOG. LXXXII.

Indulgens Pater est, facias vt amore rependas;
Obsequióque libens fer patris imperium.

GAV.

HAbeo patrem bonum. R. Bonum nosce tuũ, breue est. G. Patrem habeo optimum. R. A. Aut ille tibi luctum pariet, aut tu sibi. G. A. Indulgentissimus mihi est pater. R. A. Si naturæ ordo seruatur, magni fletus hæreditas te manet, illumque, si peruertitur. G. Patrem adhuc habeo. R. Vtere sedulò, fugitiua iucunditas pater senex. G. Patrem habeo grãdæuum. R. Non est locus inertiæ: festina carpere fructus extremos, tanquam ex arbore ruinosa. Charo lateri inhære quantùm potes: cupidè illum vide, ceu confestim abiturum, cupidiusque audi, & extremos monitus, memori mente recondito: desertumque, velut iter acturus, necessariis permunito. Egebis illo consultore, quæresque eum, nec inuenies domi. G. Patrem habeo decrepitum. R. Propera nouissima pietatis officia in illum congerere, dum licet: si quid nunc omiseris, dolebis semper. G. Patrem pium habeo. R. Habes, qui ante te mori cupiat, post te viuere metuat. G. Habeo patrem optimum. R. Habes, quem, priusquàm habere desieris, vix agnoscas; habes & quem perditum suspires.

De

De Matre amantißima. DIAL. LXXXIII.

Cùm nil ſit natis materno maius amore;
Iam mater ſtudijs eſt veneranda pijs.

GAV.

AMantiſſima mihi eſt mater. *R.* At tu illi iugis pauor, deſideriumque perpetuum. *G.* Mater eſt mihi amantiſſima. *R.* Maximus patris amor, matris vehementiſſimus, vterque talis, tantuſque, vt vix eum, niſi rara admodum filij, pietas æquauerit. Pulchrum tamen, honeſtumque eſt, inter parentes, & filios, de amore, ac pietate certamen; vincant quibus largiùs charitatis fons cœleſtis affluxerit. At nunc vſque vincere ſoliti ſunt parentes; nec dum adoleſcentium ea eſt pietas, aut maiorum reuerētia, quæ ſperare aliud cogat. quod ſi fortè præter ſpem euenerit, nullum in terris cœlo gratius ſpectaculum fingi queat. *G.* Eſt mihi mater optima. *R.* Eſto illi ſaltem bonus filius. Scito te primùm pondus, ac tædium fuiſſe: dehinc acerrimum dolorem: poſt continuum laborem, trepidamque ſollicitudinem. Memento vteri, altricumque vberum. Quot illi ſomnos, quotque ſeu cibos, ſeu locos tuis fletibus abruperis, quot aut metus, aut dolores tuis caſibus pepereris; & fortaſſe nonnunquam periculoſa quoque gaudia. Sæpe enim, vt dolor filiorum mortis, ſic gaudium vitæ, miſeras matres mori compulit. Patuit hoc vltimum eo clarius die, quo reliquiæ cladis ad Traſimenum acceptæ Romam, ſparſo agmine repetebant, duæ matres, filiis, quos in acie cecidiſſe referentibus crediderant conſpectis, inſperati gaudij non capaces, efflarunt ſpiritus: his atque aliis effectū, vt nulla inter homines maior eſſet ingratitudo, quàm

quæ in matrem admittitur. G. Adhuc annosa supereſt genitrix. R. Quoties hanc rſpicis, ſimul terram intueris. Cogita vnde venias, & quò pergas, quàm te auguſtum habitaculum emiſerit, quàm anguſtum excipiet de ventre matris propriæ, in vterum terræ, matris omnium, feſtinas. Inter vtrumque ergò laſſantibus animum, atque raptantibus, ſuperbiæ, atque auaritiæ frenum ſtringe.

De Pijs fratrib. bonis q ſororibus. DIAL. LXXXIV.

Sancta quidem res eſt habilis concordia fratrum;
Quæ tamen in paucis prouenit ipſa locis.

GAV.

PIos fratres habeo. R. Rarum; nam parentes ferè ſemper amant, fratres ſæpè inuident, ſæpè deſpiciunt; raramque ideò fratrum gratiã Naſonis ore Veritas clamat; vbi & fratrum, & filiorum, & omnium penè, niſi parentum, notatur impietas. G. Fratres mihi ſunt optimi. R. Miror planè: bonos eſſe ſat eſt: ſæpè enim mali ſunt: aliquando & peſſimi, eoque peiores hoſtibus, quò minùs contra domeſticas inſidias eſt cautelæ. Quantus autẽ ſit amor fratrum, ne latentes eruam; ne præſentes lædam, ſatis notiſſima paria, Mycenæi, Thebanique fratres, ac Romani indicant: quæ quidem infamia, cur vnius vrbis potiùs, quàm totius orbis ſit, non video. Primos mundi fratres aſpice. Alter alterius oppetiit manu; nec dum relatu horridum ſcelus audis. Siquidem Phraates rex Parthorũ, cuius ſuprà mentio eſt habita, præter parricidia in patrẽ ſimul ac filium admiſſa. xxx. inſuper proprios fratres trucidaſſe legitur: non veritus tanto, ac tali ſanguine, & regnum malè partum ſtabilire, & metum

tum omnem inuisi consortis extinguere. *GAV.* Fratres boni sunt. *RA.* Nondum puto, patrimonium diuisistis; tunc erumpet iniquitas. Igne aurum, Auro animus probari solet, magna sæpè, quę videtur pax, pauxillum auri si adhibeas, lis erit. *GAV.* Pij sunt fratres. *RA.* Cęlibatus forsan tuus, aut orbitas illos tibi conciliat. Coniugio detegentur tuo, sed prole melius, spe successionis amissa; quæ impatientissimos quoque multa pati docuit. *GAV.* Amantissimos mei fratres habeo. *RA.* Debet id quidem ita esse, nisi liuor obstet, aut timor, aut cupiditas, & habendi sitis, diuini omnis, humaniqúe iuris, dum expleri studet, immemor. Inter parentes enim, filiosque quantùm libet sit amoris, conuersatio tamen dispar, diuersiqúe mores sunt filij, etsi citò patres videant serò agnoscnnt. Patres etsi filios statim ament, serò illos, sæpe etiam in senectute suscipiunt. Fratres antequam nascantur, & postquam nati sunt in eodem domicilio, eisdemqúe incunabilis, æuo pares versantur, ac moribus, ilicet in lucem editi se vicissim cernunt, vno cibo aliti, iisdemqúe parentibus, iisdemqúe sociis, iisdemqúe ludis, iisdemqúe scholis, iisdemqúe præceptoribus, ac nutritoribus assuefacti pariter putrescunt, pariter adolescunt. Vndique paritas, multisqúe, & validis nexibus iunctus amor; nisi aduentitiæ soluant causæ, duræqúe mentis asperitas frangat; quod commune est adeò, vt nesciam, an fraterno vllus amor maior esse debeat; an vllum odium maius sit, an indignatio vlla profundior. Tam turbida semper æqualitas, tam paris impatiens mens humana. *GAV.* Æquos, piosqúe fratres habeo. *RA.* Serua illos æquitate mutua, ac pietate. Delicatissima res est amor: serua illam: difficilè quęritur, facilè perditur. *GAV.* Sed

sorores habeo bonas. R. Graue pondus, sed iucundum ac ferè adolescentum primus labor, quo se, effecti sui iuris, exerceant, vnde primam pietatis, atque indolis famam quærant. G. Bonas habeo sorores. R. Cura vt illæ bonum fratrem habeant, téq; superstite, etsi communis pater obierit, orbitatem non sentiant. G. Pulcherrimæ sunt sorores. R. Custos rei labilis, vigilantibus oculis, dolos caue, circunfusa te procorum cohors excitet: difficilis est vnius formæ custodia, quid multarum reris? tantò exactiorem pudicitię, quàm auri curam esse decet, quantò & pretiosior, & irrecuperabilior illa est. Sanè virgineam castitatem nulla arte meliùs, quã maturo coniugio præseruabis. G A. Formosæ mihi sorores domi sunt. R. Ne diutiùs tibi sint prouide; multas aptiùs ornabunt domos.

De bono Domino. DIAL. LXXXV.

Libertas melior domino quocunque beato;
Libertas superat præmia magna ducum.

G A V.

DOminum bonum habeo. R. An habeas, an verius habearis, cogita: sed loquendi mos est: sic dominum habetis, vt scabiem, siue vt tussim. Multa sunt, quæ habentur inuitis possessoribus. Molestæ opes, quibus non liceat caruisse. G. Bonum dominum habeo. R. Libertatem igitur amisisti: hunc & illam, vno tempore, nemo habet. Iam neque sorores de quibus modò agebas, neque filiæ, neque nurus, neque coniunx demum ipsa, neque patrimonium, neque vita in tuto sunt, propter vnum, quem habes, dominum, habere simul omnia desiisti. G A V. Bonum mihi, & patriæ dominum sors dedit. R A. Incompatibilia, penitusque cõtraria. Nam si bonus, non dominus. Si do-

Si dominus, non bonus; præsertim si se dominum dici velit. *GAV.* Bonus est dominus. *RA.* Boni sunt parentes, boni fratres, ac filij esse possunt: amici autem semper boni: alioqui nec amici sunt: dominum bonum dici, blandum mendacium, atque adulatio nota est. *GAV.* Optimum dominum habemus. *RA.* Rectorem populi fortasse, & Reip. defensorem; quo nil actuum humanorum acceptius Deo ferunt. Illum verò non dicam optimum, sed bonum: & non potiùs pessimum quis dixerit? qui, quod habent optimum, libertatem, summum, ac præcipuum vitæ bonum, suis ciuibus eripuit? proque vnius explenda voragine, quæ expleri nequit, tot millia miserorum, siccis oculis intueri potest? Neque eum, etsi non iustitia, aut misericordia, saltem pudor à tam mœsto retrahit spectaculo: sit licet affabilis, sit blandiloquens, sit postremò munificus in paucos, de multorum spoliis. Hæ sunt autem artes tyrannorum, quos vulgus dominos vocat, carnifices experitur; hæc præstigia attonitis ingerunt luminibus; hanc hamis, & laqueis prætendunt escam; sic credulos aucupatur. *GAV.* Dominum habeo præpotentem. *RA.* Is in cœlo vnus est, qui se iure suo dominum dixit, & dici voluit. Nam terræ dominus Augustus Cæsar, edicto vetuit se dominum dici. Ille Deorum Deus; iste hominum Imperator: ille maiestatem tenuit; iste modestiam: denique & super hoc populum Romanum grauissimè corripuit. Sic enim de ipso scriptum est; & domini appellationem, vt maledictum, & opprobrium semper exhorruit. Quod successorem quoque, longè rebus omnibus imparem, tamen obseruasse cõpertum est; qui licet dominandi auidus, titulo tamen dominationis abstinuit: atque ita se inter ambitio-

nem, & verecundiam medium tenens; esse dominus voluit, dici autem noluit. Vt qui sciret iniustum esse, quod cuperet; saltem exprobrationis iniuriam vitaret. Durum enim, superbumque & graue nomen est dominus; illic maximè, vbi amor libertatis, ac seruitij pudor est. Secutus horum vestigia Alexander hic Romanus princeps, vt priuato sibi non altiùs scribi voluit. Nam ille alter Macedo, nõ dominus modò, sed Deus dici voluit, quem secuti animo huius temporis latrunculi, vna vrbe, vel altera, vix insidiis oppressa, non tantùm dici volunt, sed dici homines erubescunt, atque ad iniuriam trahunt. *G.A.* Dominum habeo verè optimum. *R.A.* Verè vnus est dominus, quem si habes, honestissima, regnisque felicior seruitus tua est. *G.* Iustum dominum, regemque optimum habemus. *R.* Inter regem & tyrannum non discernunt Graij, secundum quod poëta noster, de rege loquens, ait.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Apud nos autem, vt interest, nõ nisi propositum, vitæque series facit. Qui iustitia regit, ac regitur, ille demum verus est rex. Atqui ex altiore fastigio, non salutis publicæ speculator, sed priuatæ libidinis procurator, vel rapinam cogitans, vel vindictã, cupiditati, aut iracundię suæ paret; & rapidis, atq; effrenis animi motibus cedit: is malorum dominorum seruus, etsi altior cunctis appareat, sceptroq; aureo, ac veste purpurea superbus incedat, vtique rex non est: sed propter exercitium, aut suppliciũ populi, promotus prædo, eoq; loci positus, vnde liberiori sæuiens flagello, atque hos probãs, illos puniens, cũctos vexans, & exagitãs; ignarus quidẽ, ac passioni obsequẽs: nutu tamẽ illi⁹, qui mala bonos vertit

vertit in vsus, iustum Dei iudicium, iniustis licet, ac scelestis manibus exequatur: quasi æquam pij iudicis sententiam, tortor sæuit. *G.* Iustum, piumque regem habet patria. *R.* Rarum bonum & Reip. felicissimus status: nisi præsens gaudium futuri metus rerum felicium, semper suspecta breuitas minueret amissique desiderium, mox venturas cumulaturus miserias, obseruaretur animis humana nacentium; volubilemque fortunæ roram, quæ nil prosperum longum sinit: lenit quidem mali sensum consuetudo, insueta deiiciũt: vnde optimum, quidam, semper prospero caruisse, diffiniũt; quod non dicerent, si prosperitas duraret. *G.* Iustum habemus, & clementem Regem. *R A.* Illo superstite mori opta; ne mutatam regni sortem lugeas. Bonus enim bonum rarò sequitur. Malum peior, sæpe peiorem pessimus.

De serenitate aëris. DIALOG. LXXXVI.

Cùm licet, & possis cæ'o gaudere sereno;
Fac magis è pura gaudia mente pares.

GAV.

SErenus est aër, ac iucundus. *R.* Iam quis arguat cœlestem humi animũ hærere? In aëre illũ appenditis, & amorem vestrum in eo ponitis elemento, quo nullum instabilius. *G.* Aër serenus; atque tranquillus est. *R A.* Expecta; dicto citiùs nubilosus erit, ac turbidus: alio te sub cœlo positum credas. *G.* Serenus, ac tranquillus est aër. *R.* Quantò mallem serenus, ac tranquillus esset animus tuus. Vtilis quidem illa serenitas, stabilisque tranquillitas, quam nec nubes occupent, nec quatiant venti. *G.* Serenus est aër. *R A.* Non serenum omne, statim optimum: immò verò prouincias nebulosas serenis esse salubriores; & in hoc occidentem

prælatum legimus orienti. G. Aër lucidus me delectat. R. Delectari in operibus, ac factura Dei minimè vetitum, modò in Deum, velut omnis boni fontem, tota animi delectatio deflectatur, & in rebus temporalibus æternus rerum conditor laudetur. Alioqui attende, quod scriptum est: Si vidi solem, cùm fulgeret, inquit Iob, lunam incedentem clarè, & lætatum est cor meum in abscondito, & osculatus sum manum meam ore meo: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. G. Sereniſſimus est aër, talis vtinam semper sit. R. Non semper modò, sed diu talem ferre non possis. Temporũ vicissitudo, quàm optimo iure à multis, sed præcipuè à Cicerone laudata est. GA. Sereniſſimus est aër, atque vtinam non mutetur. R. Nescis, quàm citò sui tædium hæc serenitas allatura sit. Nil tam delectabile, quod non identitas inamœnum reddat. Nullum efficacius remedium contra vitæ fastidia, quàm temporum locorumque varietas. Hac fouetur, & pascitur mens humana [vt ait Augustinus] Qui qualitate rerum non potest, saltem varietate satiatur.

De prospera nauigatione. DIAL. LXXXVII.

Credere qui temere vastis se fluctibus audet,
Iam se, resque suas interijsse putet.

GAV.

NAuigatione vtor prospera. RA. Sentio: Neptunus tibi laqueos tendit. GAV. Tranquillum se mihi præbet mare. R. Insidiosa tranquillitas [vtque ita dixerim] esca naufragij. Si semper turbidum esset mare, nullus hominum nauigaret. G. Mare mihi blandum, & suaue est. R. Suspecta suauitas: prædonum blanditiæ, minæ sunt.

Hæc

Hæc facies maris repentè mutabitur: esse aliud putes, monstroque gelidus quæras: Vbi est æquor illud, quod laudabam? Vnde verò hi tam multi, tamque horribiles aquarum montes: vnde hic pendentium fremitus procellarum, & minacibus spumis surgentes fluctus in nubila. Nesciunt nisi experti, quid est mare, & quàm ferox bellua, quídve illi à poëta mõstri nomen impositum. Nihil enim monstrosius in rerum natura: nihil, cui sit minùs fidei, minúsve constantiæ. Nullius rei trãsformatio tam crebra, tam periculosa, tam subita: nihil denique seu mollius, dum iacet: seu, dum surgit, immitius. *G.* Placidum nunc æquor, immotumque est. *R.* Terræ ipsæ subsidunt, dehiscuntque. Tu pelago tribuis, vt consistat; simulatus torpor: noli fidere: sæpe fortunam retentare dementia est. *G.* Nunc saltem placidè nauigaui. *R.* Nullum ferum animal sic in laqueos ruit, vt non aliquid dulce præsentiat. *G.* Prosperè nauigaui. *R. A.* Et sacrilegi prosperè nauigant, & viri sanctissimi naufragantur. *G.* Nauigaui feliciter. *R.* Crede mihi, si perges, infeliciter nauigabis.

De votiua portus apprehensione. DIAL. LXXXVIII.

Si non vicisti, noli cantare triumphum:

Sæpius in portu mersa carina perit.

GAV.

IAm portum attigi, iam in littore sedeo. *R.* Multi in portu pereunt, plures in littore: permutasti periculum: nõ fugisti. *G.* Terram attigi. *R.* Ita hoc dicis, quasi terræ discrimina vel minora, vel pauciora, quàm pelagi: quamuis occultiora sint: nónne hoc in æquo posuit is, qui vtrobique multa, & grauiora pericula, per varietatem, pertulerat: Neque verò sine causa pauper ille scrutator aquarum, apud Statium, moriens;

Hyemes Notóſque laudat, & experti meliora pericula ponti.

GAV. In terra ſum. *RA.* Caſibus eò pluribus patens, quò plus hominum terras incolit, quàm maria: ſiquidem maxima pars malorum homo homini eſt: ſic, inde mors peruenit, vnde auxilium debebatur; vt ſileam peſtiferas animantium ſpecies, quibus ea pars rerum ſcatet. *GAV.* Terra ſub pedibus ſaltem ſtabit. *RA.* Atqui ſæpè non ſtetit: vtque antiqua pręteream, Achaiamque, & reliquam Græciam, & Syriam, atque alias; vbi & Vrbes hauſtæ olim funditùs, & collapſi montes, & demerſæ inſulæ: vt omittam veteres veſtrorum montium caſus, Ætnæ, ac Væſeui: apud vos nuper ipſa vrbiũ caput Roma contremuit; quodque ciuilis belli tempore pro monſtro habitum: Alpes hac ætate grauiſſimè tremuerunt, & conuulſæ rupes altiſſimæ, Solis radiis inſuetum à ſeculis præbuere iter. Hiſpaniæ, & Germaniæ bona pars corruit: vidiſti modò ſtantes vrbes; vidiſti ſolidas arces, atque oppida; paucis poſt diebus, miſerabile ſpectaculum, atque terrificum, humi paſſim ſtrata omnia; quin & ſolito mœſtiorem Rhenum ipſum, quaſi flentem, labi, deformatam ruinis vtramque ripam, eamque præcipuè, quæ ædificiis ornatior fuerat, querulis abluentem vorticibus. Deſine iam ſecurus eſſe, vbi ſecuritas nulla eſt. *GAV.* Sub pedibus terra eſt. *RA.* Non tam certa ſedes domicilij, quàm ſepulchri. *GAV.* Ad terram peruenisſe gaudeo. *RA.* Similibus gaudent; & tu terra es. *GAV.* In terram redij. *RA.* Nondum quidem; ſed redibis citò.

De Carceru exitu. DIALOG. LXXXIX.

Est carcer mundus, quo clauderis ipse, vbicunque es;
Te soluas sceleris carcere, liber eris.

GAV.

IVuat carcerem euasisse. *RA.* Est & hæc [fateor] intermissa gratior libertas, ac reddita, quàm seruata; sed non omnia, quę delectant, prosunt; & sæpè nociua sunt dulcia, & amara salubria; sæpè non carcer modò, sed mors vtilis fuit, sæpè vitâ, & libertas inutilis. *G.* Carcerem euasisse gaudeo. *RA.* Atqui modò gaudebas portum apprehendisse, nũc gaudes portum euasisse: Carcer multis portus, multis refugium, & arx fuit; & in libertate perituros, seruauit in vinculis: ligata, & clausa diligentiùs asseruantur. Nesciunt mortales cœci, quid expediat, & idcirco mala sua concupiscunt, & assecuti gaudent, vnde mox doleant. Néue longiùs exemplum quæras: Vidisti nuper virum illum animosi, & magni potiùs, quàm constantis incepti; qui aduerso tempore se patronum Romanæ Reip. profiteri ausus; ipse sibi tribuni nomen assumpserat; dehinc variante fortuna, Vrbe depulsus, Romaniq́ue primùm principis, post pontificis lapsus in carcerem, vtrobique bene habitus, atque honestè; tandem leua alite emissus, gladiisq́ue hostium non ocitus tantummodò, sed discerptus; puto moriens carcerem suspirauit. *GAV.* E carcere lætus erupi. *RA.* Ibis per rostra turbida litibus, per plateas vrbium, tumultusq́ue negotiorum; & tempestatem, libertatem putans, gratulaberis; dum, quem clauis vna concluserat, mille stringent laquei. Cumq́ue læti omnes è procellis portum petant, vnus tu nauta mirabilis, è portu lætus in procellas re-

dis. G. E carcere digressus, gaudeo. R. A. Bonum in hoc, vt in reliquis, consilium erat; neque nimium gaudere, neque nimium dolere; sed æquanimitatem omni in statu, ceu vitæ gubernaculum, tenere; in tanta præsertim caligine futurorum. Neque tam miserum est [vt fertur] intrasse, neque tam faustum carcerem exiuisse, quoties carcer libertati hostis, propicius est saluti. Quoties optata votis omnibus libertas, in perniciem, & in mortem versa est. G. Exiui ex carcere. R. Latiori de carcere multi hominem casus eripiunt, ex angustiori autem sola mors eruit. G. Molesto de carcere discessi. R. Potes in hunc carcerem reuerti, in illum alterum, cùm semel exieris, non redibis, hoc in tempore.

De Tranquillo statu. DIAL. XC.

Tu quicunque cupis tranquillam ducere vitam;
Falleris, incerta labitur hora vice.

G. A V.

REbus ritè compositis, tranquillus ago. R. A. Scilicet, vt tua nauis fluctibus maris, sic animus vitæ curis explicitus, portum attigit laborum, ac terrorum. Sed non ita est; nunc nunc maximè metuendum; nescis quòd res hominum non stant? qui volubili in rota sedet altior, is proximus est ruinæ. G AV. Optatò eunt omnia? Bene ais, eunt omnia: nihil enim manet. Antè ergo, quàm felix videare, spei fortè aliquis; post locus est metui; ad extremum luctui: gaudio autem nunquam: gaudium loquor verum, donec ad vera, & stabilio ra bona peruentum sit. G. AV. Rebus prouisis humanitùs conquiesco. R. Summa rerum humanarum, labor, & mœror. In his igitur requiescis? Durum caput, & lodice ferrea, & spinoso recubans pului-

puluinari. *GAV.* Opiparè prouisa sunt omnia. *RA.* Expectata, puto mercium nauis applicuit, periculum euasisti, extruxisti domum, exarasti aruum, putasti vineam, rigasti prata, compegisti aream, inseuisti arbores, effodisti riuos, texuisti sepē, columbarium erexisti, misisti greges in pascua, apes in aluearia, sementem in sulcos, nouas merces in maria, tuto loco collocatum fœnus, plena arcula, diues aula, cultus thalamus, referta horrea, spumans penu, prouisa dos filiæ, coniugium nato, empta populi gratia, blando ambitu parta suffragia, pronum ad te opibus summis, atque honoribus stratum iter. O felicem te! Restat, vt gaudeas: hæc [ni fallor] conclusio tua est: mea verò alia: Restat, vt moriare. Rarum valde inter homines, vt multo studio quæsitis, multo fruantur tempore; longus labor, vsus breuis. *GAV.* Prosperè rebus euntibus, in statu sum. *RA.* Quomodo autem rebus euntibus, videris, ego nempe non video. *GAV.* Rebus ad vota fluentibus lætus sum. *RA.* Nunc igitur tempus est moriendi: sperásne hic diu aliquem lætum esse? morere, dum lætus es, antequàm esse mœstus incipias; quod iam dixi, repetam: est enim minimè tædiosa rerum vtilium, sed iucunda repetitio. Meministi ergo: quid apud Ciceronem Lacon ille ait seni Rhodio Diagoræ, læto tunc valde, leuibus licet ex causis, quas audisti suprà, cum de palæstris ageremus: Morere Diagora, inquit, non enim cœlum ascensurus es: grauiter id quidem. Nam quid amplius expectet animus lætus in hac rerum tanta vertigine; nisi, vt lætus esse desinat, esse tristis incipiat? Itaque opportunè admodum Diagoras, consilio paruit amici, spectante quidem, & plaudente populo, inter victorum filiorum amplexus, & oscula exspi-

rauit; scriptum est in libro noctium Atticarum. Et ad summam plures gaudio, quàm tristitia periere. Omnibus ergò, qui sapiunt, sed maximè gaudentibus, mors optanda: de hac semper, & præsertim in tempore prospero, cogitandum: illa cogitatio reliquas frenet. *GAV.* Laboraui en quiesco. *RA.* Omnes quidem hoc speratis, sed erratis in hoc omnes. Stilus enim vitæ alius, multumque finis à proposito diuersus. Hæc tua requies aut breuis, aut falsa est, aut [quod est verius] vtrunque: quid hic requiem somniatis? Sic catenis vinctus, libertatem, æger sanitatem somniat; sic sopitus esuriens, opimas dapes: sed en dies vltimus aderit, isque confestim discussurus hæc somnia. Nolite autem falli somniis atque opinionibus falsis, quibus est plena vita mortalis. Nolite vobis hic requiem spondere. Credite mihi, tota quies hominum, post laborem, mors. *GAV.* Omnia, quæ in rem visa sunt, suppetunt. *RA.* Superuacua in rebus plura sunt, quàm necessaria; sed hic humani animi mos est, vt professus ascensum cœli, tanto studio se oneret, quanto vix exonerare debuerat. Itaque peregrino fasce curuatus, dum in altum niti vult, ruit, & pro cœlo, illi terra est. *GAV.* Cumulata sunt omnia iam in portu sunt. *RA.* Nauigationis in fine igitur. Est enim præsens vita simillima procelloso mari: illius finis in littore: huius in morte: vterque portus rectè dicitur. Profectò autem magna pars mortalium aceruandis vitæ adminiculis anxia, inter ipsos apparatus rerum, moritur, nilque iam vsitatius, quàm vt vitæ studium mors præuertat: paucis accidit, vt ad optata perueniant, hisque ipsis tam citò diuturni quæstus vsus eripitur, & gaudij breuitas quædam, velut accessio sit doloris, de quo multos in morte que-

te queri solitos notum est. *GAV.* Iam, peractis laboribus, securus viuo. *RA.* Et inter viscum, ac laqueos secura auis volitat: piscis inter hamos ludit: inter plagas fera. Sæpe vbi periculi plus est, & pauoris minus; ars fortunæ est; vt licentiùs feriat, metum demit. *G.* Per omnem vitam laboraui, vt in finem quiescentem securus. *RA.* Securitatem, & quietem tuam in præcipiti collocasti & vixisti mœstus, vt lætus morereris: non insulsum vitæ, mortísque consilium; modò de securitatis, & quietis, & tristitiæ, & gaudij qualitate conueniat. *GAV.* Omnia vndique conquisiui, quibus instructior vita esset. *RA.* Immò verò quibus mors molestior: egisti planè negotium medicorum: iam frequentes aderunt, stratúmque circumstrepent; aderunt captatores testamentarij: erunt & qui gaudium premant; & qui fletum simulent, & qui tenacem spiritum, feram mortem taciti increpent; & qui crisim seruent, & qui prognosticis inhient, & qui cadauer aureum præstolentur: tot hæc tibi conquisita vndique vitæ conferunt instrumenta, non vt meliùs viuas, sed vt comitatior moriaris; non penitus operam perdidisti. Iam & comites: languenti, & libitinæ sumptus, & funeris pompa non deerunt. *GAV.* Conquisita sunt omnia, quiescendum est. *RA.* Iam dixi, vitæ requiem, & solatium quærebas, laborem mortis, ac tædium inueniisti. *GAV.* Cuncta disposui, prosperitas parta est. *RA.* Congessisti fallacissimæ ac fugacissimæ spei nidum, quæ, vbi primùm adoleuerit, euolet: mœstum, & vacuum cor relinquens; sæpe vel in plumis pereat. *GAV.* Longo succedit quies labori. *RA.* Breuis ipsa adeò fortassis, vt nulla potiùs dici possit. Multorum fæpè studium annorum, in momento excidit, im-

ramò, cùm sempet ferè gradarij sint progressus, ramò non repentini exitus rerum sunt. G. Per longas curas ad securitatis initia ventum est. R. Sollicita multum de principiis humana curiositas, finem cœca non prospicit. Densa venturi caligo temporis, mortalis aciem frustrauit obtuitus: deliberatio vtique nostra sit, consumatio fortunæ [dicam meliùs] Dei est, cuius in manibus sortes sunt hominum, non quas ipsi vobis, opinione vestra, spémque improba fingitis; sed quas ille præscientia sua videt. Eius est autem illa vox: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Comminatio horrenda; quæ, nisi spes, somnósque mortalium interrumpat, obsurduistis haud indubiè.

De Potentia. DIAL. XCI.

Magna potestatis sunt iuncta pericula magnæ;
Qui moderatorem se cupit esse, furit.

GAV.

POtentia magna sum. RA. Ergò & inuidia. G. Potentia multa sum. R. Et in periculis multis. G. Potentia sum ingenti. R. Et laboribus infinitis, & inextricabilibus curis. G. Multa possum. R. Quò plus in alios potes, & plus alij in te. G. Potentiæ est plurimùm. R. Quò potentię magis, eò maius in illā imperium fortunæ tepidè se exercet in paruis: vberem eligit materiā: in magna ignorū mole crepitantiùs sæuit incendiū. Magna prosperitas, magnæ viā facit aduersitati. Nec quēquam facilè planè miserum videbis; qui non valdè felix habitus fuerit. Nō potest ignoti hominis nota esse calamitas. GAV. Quod volo, & possum. RA. Cura ergò ne quid mali velis; & scito, quò

potes-

potentię plus, eò plus esse negotij, minúsve licentiæ. G. Potentia ingens sum. R. Quid scis an diutur na? Piget exequi, qui potentes, breui ad impotentiam, seu qui reges ad infamiæ seruitium sunt redacti. Vepricosi, & lubrici sunt humanorum gradus ascensuum: tremulus vertex: præcipitium horrendum: ægrè conscenditur ad eminentem statum, anxiè ibi consistitur: grauiter indè, & repentè descenditur: id sic esse, non singuli tantùm reges, aut populi, sed maxima etiam testantur imperia. G. Armis, atque opibus potens sum. R. Vera & firma potentia in virtute fundata est: fundamentum si detraxeris, quò maior, eò periculosior structura. Quid implere opibus domos iuuat, aqua ligonibus, maria classibus, si intus interea domestici hostes animum oppugnant, atque expugnant? Vis, vt te potentem fatear: illos doma, finibúsque tuis pelle; vince iram; vince cupiditatem; vince libidinem: vince teipsum; famæ, atque hostem animæ tuæ. Quænam ista potentia est, vincere alios: passionibus suis vinci? G. Fundata in solido potentia est. R. Quo pacto, cùm vita ipsa mutetur assidue? O, quid tumes, imbecillum animal? De potentia disputas, de anima interim periclitaris: quam dicto citiùs, vel naturæ vis occultior: vel exigui morsus animantis, vel extremi contemptissimique homines sæpè, potentissimis abstulere. G. Potentia egregiè stabilita est. R. Vbi, quæso? In arenis, ac fluctibus? an in vento? an in ipsa [vt perhibent] fortunæ rota? quin tu, amice, malè susceptam pone fiduciam. Nulla hic stabilis potentia: vtque vel impropriè exprimam, quod sentio, nulla potentia potens est.

De gloria. DIAL. XCII.

Nauigio fragili vehitur, qui quærit honores
Ingentes, & quem gloria vana trahit.

GAV.

SEd inueni magnam gloriam. *RA.* Magna in exiguo qualiter explicentur; non intelligo. Si temporum, si locorum angustias metiare, magnam hic gloriam non esse fateberis. Non ingeram tibi, vt terra omnis punctus est; cuius ipsius partem maximam natura fecit inhabitabilem, atque inaccessibilem fortuna, vt tempus præsens puncto minus; idque ipsum semper instabile, fugaque tam rapidæ, vt vix illam animo sequi possis. Duæ reliquæ temporis partes, semper absentes ita, vt altera nos, lubrica memoria, altera, expectatione anxia; fatiget; vt omne simul tempus, aut diluuiis, aut æstu nimio, aut peste aliqua, aut cœli inclementia, vel terrarum denique per seipsum lapsu propriè, ita discerptum atque confusum sit, vt vna sæpe ætas propè nil habeat commune cum altera. Neque minus in temporibus, quàm in locis videas, exiguo interuallo notissimum non agnosci. Hæc inquam, & quæ sunt id genus plurima, transeo. Vulgata sunt omnia, quibus liquidò cernitur, quænam hæc mortalis, ac terrenæ gloriæ magnitudo est. *GAV.* Quam conditio mea fert, gloriam sum adeptus. *RA.* Si indignam, breuem hercle; at si dignam, gaude: non quòd habeas, sed quòd meritus sis. *GAV.* Gloriam quæsiui. *RA.* Gloria vera nisi bonis artibus, non quæritur. Vnde tibi partum nomen, vide; sic intelliges, an gloria vera sit: famam, si casus dedit, eripiet. *GAV.* Multum est gloriæ. *RA.* Caue, ne quam gloriam veram putas,

imago

imago falsa sit gloriæ. In rebus hominum multa regnat illusio. *G.* Plurimum est gloriæ. *R.* Vt nemo pauper magnæ pecuniæ famam quærit, nisi vt fallat; sic nemo ignauus magnæ virtutis opinionem: vterque tamen sibi conscius, quicquid de se alij loquantur, quantum vel pecuniæ in arcula, vel virtutis in animo sit. *G.* Insignis est gloria. *R.* Si ex merito, modestè vtere, ne superbiæ illi notam applicaueris; si minus, fac ne diu populum fallas. *G.* Præfulgens est gloria. *R.* Vel mereri stude, vel graue, non tuum, indumentum exue. Inglorium esse præstiterit, quàm mendacio glorioſum. Vera etiam gloria cum labore seruatur; quid de falsa spe res? Cùm omnis fictio difficilis sit, tum difficillima est, quam multi vndique obseruant. Rari nempe sunt glorioſi: hos, propter dissimilitudinem, obscurum, atque inuidum vulgus odit. Graue est inter tot hostium insidias latere; præstringere omnium oculos non potes, in te tanto studio, defixos. *G.* Glorioſus appareo. *R.* Melius forsitan lateres, & certè tutius: hoc grauiter dixit is, qui multa leuiter: Bene qui latuit, bene vixit. *G.* Clarus, latéque notus sum, longéque conspicuus. *R.* Liuor abdita penetrat, rimatúrque; putas, conspecta prætereat? Quid, quòd pauci sunt, quibus expediat apparere, & conspici; pauci, quorum famæ non noceat, ad plenum nosci? Notissimum Claudiani dictum:

Minuit præsentia famam.

Quantò magis illam minuit notitia? Rarò sunt homines, quod videntur. *G.* Glorioſus videor. *R.* Caua nube circundatus delitescis. Si parumper emerseris, quò plus gloriæ falsæ fuit, eò veræ plus

erit infamiæ. *GAV.* At gloria vera est. *R.* Id nemo te melius nouit: ita demum, si externi iudicis incorruptum animum tuis in rebus assumpseris. Gloria quidem [vt sapientibus placet] quasi quædam vmbra virtutis est. Illam comitatur, illam sequitur, quandoque etiam antecedit; quod in adolescentibus claræ indolis vidimus, quos ante perfectam virtutem, præconcepta de illis spes hominum claros facit, quæ quibusdam velut stimulis, generosos, modestósque animos excitat, atque erigit, & impellit ad æquandam spem ciuium suorum. Stultos autem, tumidósque præcipitat. Hinc transformatio illa ridicula clarorum adolescentium in obscuros senes. Laus quidem sapienti vtilis, stulto nocet. Ex his vides, vmbram per se ipsam esse non posse, rei cuiuspiam sit oportet. Vis ne igitur gloriam veram esse, fac vt vera, & solida virtus sit.

De Beneficiis in multos collatis. DIAL. XCIII.

Antè quibus videas benefeceris, est memor omnis
Gratus, ab ingratis gratia nulla venit.

GAV.

BEneficia in multos contuliſſe gaudeo. *R.A.* Multos ingratos experiens, dolebis. *GAV.* Beneficia in multos effudi. *R.A.* Rectè ais. Nam si accipientium animos intueare, beneficiorum magna pars perditur. *GAV.* Multi meis beneficiis sunt obstricti. *R.A.* Quidam se obliuione relaxabunt, alij forsan iniuriis beneficia pensabunt: vt cessent iniuriæ, non cessabunt querimoniæ: quàm multi de benefactoribus queruntur suis? Iniquum, fateor, sed commune adeò, vt non tam crebrę de hostibus sint querelæ. Audisti apud Lucanum, de Pompeio querentem

Photi-

Photinum: apud Senecam verò Sabinum de Augusto? Quid verò te ad literas, aut antiquitatem voco? Vrbes medias contemplare: Vici omnes lamentis talibus pleni sunt. Omnis autem ingratitudinis triplex [nisi fallor] causa est: Inuidia scilicet, quæ dum impensa aliis beneficia, suas ducit iniurias, in se collata non aspicit: Superbia, quæ, vel se maioribus dignam censet, vel præferri sibi aliquem indignatur: Cupiditas, quæ muneribus non lenitur, sed accenditur; & dum quærendis inhiat, quæsita non meminit. Possem breuiùs, totius mali causam stultitiam dicere. Ea verò non huius tantùm, sed malorum omnium causa est, Ignorantia veri boni, opinionúmque peruersitas; hinc nimirum pestes animi prodeũt, superbia in primis, & cupiditas, quibus nullum obsequium non contumax: nulla largitas non angusta est. *GAV.* Beneficus fui in multos. *RA.* Aristotelica quædam magnanimitas fertur, meminisse collati, accepti autem beneficij obliuisci: quæ sententia, etsi colore non careat; apud me tamen, verus magnanimus contemptor mediocrium, atque humilium est rerum; atque ideò quæcunque egerit, magna quamuis, iudicio plurimorum, parua sunt, animo maiora quædam, & rariora volentis, contrà, si quid acceperit, quo alteri fiat obnoxius, quamuis exiguum, graue est, libertatem & amanti, atque ad excellentiam aspiranti; quóve quamprimùm solui, leuaríque velit. De hac igitur re Annæi Senecæ dictum probo: Beneficium, inquit, qui dedit, taceat: narret, qui accepit. Eleganter nempe, duo beneficentiæ seu venena, seu vulnera sunt; hinc exprobatio largientis: hinc recipientis obliuio; vtraque mater ingratitudinis, ac beneficij nouerca. Illa in

gratitudinem parit in altero: hæc in se: illa quoque beneficium in se extinguit: hæc in altero: his tot malis aptissimè illo Senecæ consilio medeare. *GAV.* Multis benefeci. *RA.* At pluribus non feciſti, qui ſe ſpretos, & contemptos dolent. Eſt autem, neſcio quidem vnde, firmior offenſarum, quàm beneficiorum, tenaciórque memoria. Sæpe ſingulis beneficiis aut nullos, aut ſingulos amicos obliuioſos, & tepidos; hoſtes autem tibi multos feceris memores, ac feruentes. *G.* Multis multa ac magna contuli. *RA.* Sunt multi, quibus profuiſſe periculum ſit: quidam paruo amicum, magno hoſtem beneficio quæſiere; quod & exigui debitum leue, retributio prona eſt: magna autem, & debere pudet, & piget reddere, & nihil eſt tertium, niſi vt deſinat eſſe, cui debeat, qui inuitus debet. Ita, dum debentem pudor beneficii, expertos dolor agitat, inter Scyllam, & Carybdim fertur cymba beneficij: effectúmque, vt multos, qui parcè, atque illiberaliter tui vixiſſent, liberalitas inſignis in diſcrimen traxerit. Siquidem inter malos, impunè bonum eſſe non licet: durum dictu, ſed dicendum tamen. Animal ingratius homine nullum eſt. *GAV.* Latè me beneficum præbui. *RA.* Quidam ſunt benefici, nec tamen beneuoli, quos magnitudo ſtatus, atque hominum neceſſitas, multa largiri cogit: his etiam, quos non modò non diligunt, ſed ne noſcunt quidem: quibus, ſi ſe, ob beneficia charos ſperant, valde eos fallit opinio. Nemo facilè non amantem amat. Mutuus nexus animorũ, ac reciprocus eſt amor. Munera ſæpe neceſſitati, amor verò iudicio tribuitur: vt ergò beneficia bene collata, & læta fronte, pióque animo dignis exhibita, nunquam glorioſa negauerim; ſic multa

ta immò verò partem maximam, seu hæc dantiũ, seu accipientium culpa est, perdi, ac proiici nemo vsquam est qui dubitet, Et est facilior, breuiórque, ac rectior, quam suprà tibi ostendimus, amando scilicet, ad amorem via: qua pergenti, verum quoque si benefici nomen accesserit, clarum te, fidémque fidem, multis amabilem efficiet. G. Multa, & magna contuli. R. A. In rebus, non quid, sed qualiter, quóve animo fiat, refert, apud Deum, atque homines: & magna sæpè inuisa, & modici grata sunt: nudum præ omnibus cor attendi, & sacrificio pauperis probatur, & munere.

De Amore populi. DIAL. XCIV.

Haurit aquam cribro, vulgi qui pascitur aura;
Vulgus amicitias vtilitate probat.

G. AV.

POpulus me amat. R. Subsiste paululum; mox oderit. G. AV. Populus me diligit. R. Ne propera, nondum finis; vt dies vnus, sic vita omnis à fine describitur. G. AV. Populo charus sum. R. A. Quis illi Scipionibus charior? Quis Camillo? quis Rutilio, ac Metello? Quid Themistoclem loquar, aut Miltiadem? quid hoc genitum Cimonem, aut Aristidem? quid Theseá? quid Solonem? quid Annibalem? quid Lycurgum? Qui ciues, oro te, quàm quisque, quàm breuiter populo suo charus: omnium notus finis, & vel in contemptum, vel in odium versus amor, atque indigna rebus præmia, fori labor, accusatio, mors, exilium, catenæ. G. AV. Multis in populo charus sum. R. A. Malis igitur: pauci enim boni: atqui malorum malis artibus quæri amorem constat. Si verò similitudo quædam parit amicitias [vt prudentibus placet] qui sis, æstima, qui

multis in populo charus sis. *G.AV.* Populus me amat. *R.A.* Serenum hybernum, aura æstiua, quies maris, lunæ status, amor populi, paria hæc si conferantur, mobilitatis vltimo palmam do. *G.AV.* Populus me honorat. *R.A.* Labiis, credo; cor autem eorum longè est à te: non est enim tibi fidelior, quàm Deo: rarò quicquam ex animo facit vulgus; nisi tumultuari, & furere, & sæuire. *G.AV.* Populus me veretur. *R.* Non faciet diu. Facilè enim ruit, quod non certo iudicio stabilitum est. *G.AV.* Ardens in me populi fauor est. *R.A.* Ardenti principio, sæpe medium tepens, finis algidus fuit; quod, hoc crebriùs vlla in re, quàm in studiis populorum cernas. *G.AV.* Populus me laudat. *R.A.* Stultorum laus, apud doctos, infamia est. *G.AV.* Populus me suspicit. *R.A.* Leui rerum alternatione despiciet: semper alterum extremorum tenet, medium verò nunquam; vt qui habitantem ibi hostem metuat. *G.* Populus me colit. *R.* Mirabor, si tam inculto cultore fructifices. *G.* Populus benè de me sentit. *R.* Sine vllo delectu iudicare solitus; vtranque in partem. Itaque vulgi sententia, veros inter iudices, contrarij argumentum est. *G.AV.* Populus bene de me æstimat. *R.A.* Suspecta sanis ingeniis æstimatio insanorum. Mallem te populo incognitum, quàm probatum. *G.AV.* Populus multa de me loquitur. *R.A.* Et tu ergò popularibus auribus fidis, atque ageris? quod licet magnis olim viris euenisse noueris, non minor tamen est vanitas, gaudere flatu tenui, & incerto. *G.AV.* Populus me miratur. *R.A.* Et ego te miror, qui hoc in gloriam tuam trahas. *G.AV.* Populus me amat. *R.A.* Non hæc laus, sed fortuna est tua, populi mos est, vt sæpè amet indignos

dignos, sed à quibus indigni amoris sæpè dignissimam fert mercedem.

De Occupata Tyrannide. DIAL. XCV.

Ad Generum Ceteris descendunt morte Tyranni,
Plausiráque curarum sæua Tyrannis habet.

GAV.

INuasi tyrannidem in ciues meos. RA. Reposuisti dignam vicem stultis amantibus: illi te æquo altiùs extulerunt; illos tu iniquo iugo seruitij depressisti. GAV. Tyrannidem arripui. RA. Abstulisti libertatem aliis, securitatem tibi, requiem vtrisque. GAV. Tyrannidem consecutus sum. RA. Statum certi laboris, euentus ambigui, sed, vt plurimùm, infelicis. Non te ad historias veteres, atque externas mittam. Quis Pheræi Alexandri exitus? Quis Dionysij Syracusij? Quis Agrigentini Phalaridis? Quis Hannonis Pœni? Quis Eleacri Heracleensis? Quis Ephimesis Aristotimi? Quis Calcedonij Nabidis? Quis Hipparchi denique Athenienſis, quem occidisse immortalis gloria interfectoribus fuit? Non ad recentiores, atque domesticos, Cassium, Meliúmque, & Manlium Romanos ciues; Catilinam quoque, & Gracchos, & Apuleium: non tyrannos quidem, sed tyrannidem affectantes, inque impiis conatibus deprehensos, cœptóque prohibitos, atque oppressos. Non postremò ad illos, qui maiores, non meliores iusti velo imperij, trucem texere tyrannidem, atque iniustam, Caium scilicet, ac Neronem Domitianum, & Commodum, ac Bassianum, reliquósque eius ordinis, solo nomine principes, quorum mens tyrannica, ac tyranni-

rancicus finis fuit, sed ad illos, quos auorum patrúmque memoria, seu etiam, quos ætas, ac regio præsens videt. Hos ego, ne distantibus te fatigem, circunspicere & contemplari iubeo; videbis vsitatum, & communem tyrannorum exitum, aut gladium, aut venenum: veréque illud à Satyrico dictum dices.

Ad generum Cereris sine cæde, & vulnere, pauci
Descenduntreges, & sicca morte tyranni.

G. Tyrannidem in ciues exerceo. R. Prædam atque carnificinam, auro implendus, & sanguine; auri sitiens monedula, tenáxque.

Nec missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Sed qua fronte, quóve animo, seu sanguinem illum fundis, pro quo seruando, si homo esses, sanguis tuus vltrò tibi fundendus erat; seu ciuibus tuis aurum rapis, quod diris prædonibus largiaris: spolians, qui tuis pascendi opibus fuissent; ditánsque, à quibus omni ingenio extorquendum legis: sic maiorum vel exempla, vel monita viluerunt. Sed hoc pessimum habet tyrannorum vita, vt quibus fidendum est, metuant semper; fidántque, quibus fidei nihil est; totúmque hoc malum, hinc immeritis irrogatæ iniuriæ faciunt, hinc indignis erogata beneficia; & ambitione turbatus ordo rerum: amici ex hostibus, hostes ex ciuibus. G. Tyrannus patriæ meæ sum. R. Nunquam id esses, si illam tuam esse patriam meminisses, si obseruaretur animo publicæ matris effigies; nunquam fratres lacerares tuos, cum quibus æquam puritiam, atq; adolescentiam egisses, eodē cœlo vsus, iisdē aquis, iisdē atque sacris, iisdem festis diebus, iisdem ludis, & luctibus: qua nunc mente de illorum tergo potes ludere, atque illis fluentibus, gaude-

gaudere:qua postremo impudentia in ea vrbe viuis,in qua vitam tuam omnibus scis inuisam,mortem cunctis optabilem, vbi esse neminem certus es,qui non malè perditum te velit: lupum mitti de grege sæuissimum? *GAV.* Tyrannidem accepi. *RA.* Si præterito præsens tempus confers, duram te, ac miseram subiisse sarcinam, intelliges:tutam agebas, & quietam vitam; dehinc,nisi sceleri iungis amentiam, nulla tibi,sine metu,ac tumultu animi,dies:nulla nox ibit:nullus non suspectus cibus; nullus sopor imperterritus; dum vbique in ceruicibus impendentem videris mucronem quem amico,opes,fortunásque suas miranti, non ineptè monstrasse traditur Dionysius tyrannus quidem; sed tyrannidis æstimator acutissimus. *GAV.* Ferro mihi tyrannidem acquisiui. *RA.* Ferro quæsitam, ferro etiam seruaturus,ferro forsitan amissurus.Præclaras planè diuitias comparasti, esse omnibus odiosum,atque terrificum;quódque hinc sequitur,tibi te perpetuo grauem metu:vt enim periculi nihil sit,quod in quibusdam vrbibus natura ciuium præstat, apta seruitio; quando tamen pauor aberit animo recplenti,quid ille huius, quod legitimi nomen habet Imperij,metator,ac fundator primus audiuit à Laberio Romano equite:Necesse est,inquit, multos timeat,quem multi timent: cuius dicti ratio illa est,quam posuit Naso:Quia,

Quem metuunt,quisque perire cupit,

positam priùs ab Ennio,vbi ait.

Quem metuunt,oderunt,quem quisque odit,perisse expetit.

Vt tamen & periculum, & metus etiam omnis cesset,quod nonnullos tyrannorũ,vel nutrita publicis malis audacia,vel nota ciuiũ spondet igna-

uia an non saltem vllus est pudor, his præesse, quibus te subesse sit dignius? præter iniustam vim, rebus omnibus imparem. G. Tyrannidem indui. R. Humanitatem ergo, & iustitiam exuisti: simul & procellosam vitam, & cruentam, aut certè dubiam mortem elegisti infelix, de quo sola patria, quæ te genuit, atque aluit, mortem speret. An verò non ille sat miser est quem miserum volunt omnes? An non ille miserrimus qui tam miser esse non possit, quin sit dignus esse miserior? G. Habeo summum inter ciues locum. R. Habes in ciuibus tyrannidem, in arenis domum, in vepribus statum, in prærupto sedem, in rapinis inopiam, in miseriis inuidiam.

De Regno, & Imperio.

DIAL. XCVI.

Sollicitudo ingens regnum est, vndaque laborum,
Nemo quidem Sapiens regia sceptra petit.

GAV.

ECce autem iure Rex sum. R. Id enimuerò occultum diu esse non poterit: quid interfit inter regem tyrannúmque, iam diximus. Quid autem iuuat dici regem, si tyrannus es? non in specioso cognomine, sed in vera iustitia, Regis, regníque salus sita est. Minus mali reor acquisitum dominium reformare, téque de reliquo sic agere, vt rex verus appareas, quàm regnum iure partum, in quo iustè succesferis parenti, tyrannica vexatione diripere: plus enim veræ laudis in progressu ac fine, quàm in principio rerum est. G. Rex sum. R. Meliùs sub iusto rege ageres, atque tranquilliùs, quàm rex ipse. G. Regni solium conscendi. R. Locum

cum latè conſpectum, patentémque omnium iudiciis, eóque periculoſum ignauiæ, laborioſum verò, difficilémque virtuti, Bonus enim rex, ſeruus eſt publicus. *G.AV.* Regni ſolio euectus ſum. *R.A.* Vt meritus videare, tuas res, téque obliuiſcere: populum tuum, & Rempublicam cogita: quo die primùm rex fuiſti, tibi moriens, aliis viuere incepiſti [quodque duriſſimum eſt] ingratis, & iniquis æſtimatoribus laboris tui. *G.AV.* In regiam veni. *R.A.* Aliquid ibi forſan perituræ gloriæ reperturus, ſed quietis nihil. *G.AV.* Iuſtè regno. *R.A.* Bene agis, gratiſſimámque rem Deo. Scito autem, ſeruire te querulis, & vix tibi, ante obitum, gratiam relaturis. Rarò tam iuſtus quiſquam fuit, vt non charior populo ſucceſſor foret: is cùm venerit, alter optabitur. Hi ſunt vulgi mores, odiſſe præſentia, ventura cupere, præterita celebrare. Quando ergò defuerint querelæ, ſi omne præſens bonum ſordet, nilque omnium placet, niſi quod cruciat, ſeu perditum, ſeu ſperatum. *G.AV.* Sceptrum, & Diadema ſortitus ſum. *R.A.* Fulgidas compedes, clarámque miſeriam; quæ, ſi plenè omnibus nota eſſet, crede mihi non toties vno de ſolio litigarent duo, ſed plura eſſent regna, quàm reges. *G.AV.* Purpuram indutus ſum. *R.A.* Non cultus exterior, ſed internus habitus, & mens regia, regem facit. Alexandri Romani principis dictum fuit Imperium in virtute, non in decore conſiſtere. *G.AV.* Ad regnum prouehor. *R.A.* Nunc in dubio vertitur ſubiectorum ſtatus, an felices eâ, quæ hic fingitur felicitate, an miſeri ſint. Nempe mortalis regni felicitas, rex bonus; te in dubio labor manet, & graue negotium. *G.AV.* Rex ſum, nihil non licet agi. *R.A.* Nulli minùs, immò verò quod olim

licuit, iam non licet. Et fortè, si de regno licentiã aucuparis, non te regem noueris, sed tyrannum. G. Rex sum, atque omnia possum. R. Immò nihil, nisi quod decet regem, cuius [vt dixi] minor licentia, quàm priuati est. Sin hoc calle voluptatem petis, falleris, & tota [vt aiunt] erras via. Voluptas à tergo longè est; hac ad laborem itur, & ad gloriam. G. Rex sum, erítque mihi iam certa tranquillitas. R. Immò, si qua olim fuit, periit: stultus nauta, qui, relicto portu, in altum vela facit, tranquillitatem quærens. G. At Romanus Imperator factus sum. R. Clarissimum nomen, sed durissimum officium. Magna seruare difficile est: quid collapsa erigere? sparsa colligere? recuperare perdita? deformia reformare? Et deserti culturam ruris, multísque diu neglectam, suscepisti: multis egent dura arua ligonibus; multis prata riuis arentia: æstuandum algendúmque tibi est, si successerit. Tu hinc laudem, reliqua successor tuus metet; illi seueris; sera est messis; multas poscit æstates. G. Ascendi imperium: iam quiescam, & securus viuam. R. Falsa te habet opinio; nunquam minùs: tu ne in excelsum montem, vt ventos, & fulmina euaderes, ascendisti? Non legisti Horatianum illud?

Sæpius ventis agitatur ingens.
Pinus, & celsæ grauiore casu
Decidunt turres, feriúntque summos
Fulmina montes.

Et quando aliter de hac status eminentia sentiebant experti principes, Augustus, & Diocletianus; quorum alter [vt legimus] de dimittendo Imperio cogitauit; alter autem dimisit Imperium, nec reuocatus, assensum dedit. Quantò aliter Marcus Aurelius, & Pertinax, quorũ primus adoptione ad spẽ Imperij reuocatus, solito tristior effectus, mirantibus

tibus amicis, multa de malis imperij disputasse: alter Imperator effectus semper Imperium horruisse memoratur. Magnus est ad Imperium ascensus, magni in Imperio labores, magni quoque, cùm ascenderis, exaito casus. Si mihi non credis, Iulium Cęsarem interroga, Caium quoque Caligulam, & Claudium, & Neronem, & Galbam, Othonem, Vitellium, Domitianum, Commodum, Pertinacem, de quo proximè dictum est: Bassianum præterea, & Macrinum cum filio Diadumeno fœdissimumque omnium, Heliogabalum: longeque dissimilem moribus Alexandrum: vtriusque etiam [quod mireris] cum filio matrem: Maximos quoque & Maximianos, & Maximinos, & Gordianos. Præterea & Philippos, & Decium, Gallumque, & Volusianum, & Valerianum insigni calamitate notabilem, & contemptorem paternæ miseriæ Gallienum: Aurelianum deinque, & Probum, Iulianum & Licinium, & Constantium, & Valentem, & Gratianum, Valentinianum; ac [ne ad fastidium cuncta complectar] totam illam tyrannorum simul, & principum seriem percontare: vno tibi ore omnes responsum dabunt: Eodem se calle ad ruinam, atque Imperium ascendisse: & tu illic tibi requiem fingis ad securam vitam, vbi omnes periculum, & laborem: multi miserabilem vitæ exitum inuenere? Non hoc sibi fingebant illi quatuor, quos ab initio nominaui: Non Antonini pij principis maternus auus, Arius Antoninus, homo sanctus, vt historiæ loquuntur, vt ego fateor, vir prudens: Neruam miseratus, quòd Imperium accepisset. Verè enim frustrà principes premit inuidia, cùm illis potiùs miseratio debeatur. *G AV.* Sum Imperator & vlcisci possum. *R A.* In hostes publicos forsitan, non

in tuos. Illis enim, si verus es princeps, hoc tuo ascensu, securitas parta est, priuatis affectib. pietas publica frenum stringet. Non potes huius, aut illius hostis esse, ex quo pater omnium esse meruisti. Id in ciues principi iuris est, quod in filios patri, Iustus Princeps pater patriæ est. Nullum ex omnibus titulis: hoc gratiùs, summus ille principũ Augustus accepit; vt qui cõpresso adolescentię impetu, patris nomen implere decreuerat. Tibi ergò, qui hostes fuerant, iam filij sunt. *GAV.* Imperator sum, vlcisci potero. *RA.* Vti hac potentia non debebis, & sic habe, summi Imperij potestatem excellentibus, & fortunę paribus animis, esse veniæ materiam, non vindictæ; cuius eò auidior quisque, quò vilior, infirmiorque animi ac virium est. Qua in re meminisse profuerit illud Adriani principis, qui [vt scriptum est] vni quem capitalem habuerat, factus imperator, dixit: euasisti: generosum planè verbum, ac magnificum, vereque Cæsareum. *GAV.* Imperator sum, eritque iam thesaurus par impensæ. *RA.* Ad rapinam vox hæc spectat: est, vt aliarum rerum, sic sumptuum fluxus quidam, ac vorago; cui nihil est satis. Longum est mortalium, hac in parte, sed imprimis Romanorum principum furores, stilo æquare. Paucos tamen ex omnibus, eorumque ipsorum pauca de multis attingam. Conspectissimus ille quidẽm Caij furor, Baias, atque Puteolos ponte iungentis; atque illum tumidi maris sinum primum equis, mox quadrigis triumphaliter permeantis. Quid aceto liquefactas memorem margaritas pretij ingentis, appositosque conuiuiis panes aureos: atque aureas dapes? quibus non famem compescere conuiuarum [vt mos est] propositum illi esset, sed imperij opes spargere, atque

que illorum auaritiam irritare. Adde effusos in plebem nummos; turbidoque, & profundo mari iactas moles, durissimas rupes scissas, campos æquatos montibus, & campis iuga montium; terra illic addita, hinc detracta, tam subitò, vt naturæ miraculum, vim passæ, cum celeritate certaret [Nempe cum dilati pretium operis mors esset] quibus prædecessoris sui Tiberij thesauro ingenti, diuitiisq; omnibus Imperij intra anni spatium exhaustis, ad inopiam, fœdissimasque rapinas est compulsus. Illud inter ista non numero, quòd Corinthiũ montem Isthmum, perfodi animo destinarat: etsi sumptuosissimum opus, tamen [vt perhibent] nauigantibus vtile, quo duo maria iungerentur, & à Brundusio Athenas, aut Chalcidem, Byzantiumque petentibus, flexus ingens remitteretur Achaiæ. Huius comes ac victor amentiæ sequitur Nero, cuius enormium impensarum nullus est modus, in ædificando præsertim: in quo omnes prodigos, & seipsum vicit. Nulla alia in re damnosior, vt de illo scribitur. Vnus ex mille furoribus attingendus, est domus à Palatino ad exquilinum collem porrecta, & magnam partem vrbis occupans, vt nõ immeriò inter conuicia, quibus liberrima plebis indignatione pscissus est, illud quoq; iactatum sit;

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat ista domus.

Hanc aureã dici voluit, nõ ineptè quidem signãs nomine pretium, auro enim & gẽmis crustata ac stellata domus fuit, tantæ altitudinis, vt in vestibulo colossus centum viginti pedũ staret. Intus porticus atque aulæ laquearibus aureis, atque eburneis tabulatis, & connexa domorum cœli instar, vi propria sese sensim diebus, ac noctibus sine intermissione voluẽtia. Stagnum quoque maris æmu-

lùm ædificiisque circundatum, littore, vrbis in morem, rura præterea, & pascua, & vineta, & syluæ omnium generibus animalium refertæ. In hac domo quantum coniecturis ad verum via est, illud, quod colloſſeum vulgò dicitur, medium fuit, cuius nunc etiam ruinæ ſtuporem ſpectantibus afferunt, & hæc omnia dum [quod miraculum rei auget] Romę medio, conſumaſſet, ita [non dicam] exceſſiſſe, ſed ne impleſſe quidem Imperatoriæ domus modum viſus eſt ſibi, vt dedicans domum ipſam non amplius miraretur, quàm, vt hoc ſolùm diceret: Iam tandem, quaſi homo, habitare incipio. Mitto illa leuia, quòd veſtem nullam bis induit, nullum iter minus mille carrucis egit; calceatis argento vſus mulis; aureo reti piſcatus eſt; purpureis, atque coccineis funibus, ac reliqua fidem excedentia ſimul, & tædium paritura. Sed quis illa non ſtupens legit, ſtupentiorque aſpicit? Veſtigia enim extant: piſcinam illam, ceptamà Myſeno monte, venturamque vſque ad Auernum lacum, miris circumſeptam confectamque porticibus, foſſamque illam ab Auerno vſque Hoſtiam, per tantum viæ ſpatium, totque obuios montes, vt inducto mari, ſine maritimis caſibus nauigans, & terræ laborem, & pelagi faſtidium declinaret. Longitudo quidem, vt nunc incolæ metiuntur, nota omnibus: vt Tranquillus numerat, millia paſſuum centum ſexaginta. Latitudo autem duarum capax quinqueremium ex aduerſo iter agentium, neque ſe impedientium concurſu; quod opus ſi expleſſet; Italiam, omnemque Rempub. exhauſiſſet. Tantis autem mundi malis mors ſola conſuluit. Hunc ſequitur Aurelius Verus, qui [vt omittam cætera] cœnam illam fecit; cui, ſi par prandiũ facere voluiſſet; neſcio an Romana res ſufficere

potuiſſet.

potuisset. Quo audito, frater eius Marcus Aurelius, tam modestiæ amicus, quàm hic hostis, ingemuisse fertur, Reipub. misertus, & Imperio collabanti. Linquo alios; nimis multi sunt enim, nec me fallit, posse & vobis longiuscula hæc videri remedia, breuiora pollicitis. Sed delectat interdum doctum, seu doctrinæ deditum, frugique hominem, stultorum insanias audire; quæ illi, qua si pro contrario signo sint. Vnde sibi [vt aiunt] remis, veloque fugiendum sciat. Hæc autem eò spectant, vt recogites quid est, quòd thesaurum impensæ parem speras: vt enim frugalitati, & modestiæ haud sanè magnis thesauris est opus, sic prodigalitati, & luxuriæ, neque thesauri, neque imperia ipsa sufficiunt. Et hæc causa non tantùm mediocris fortunæ homines, sed principes quoque, penè omnes eos in, dico qui nepotino victui operam dedere, necessariò rapinas & prædam misit, quæ multis festinatæ, miseræque mortis occasio fuit. *G. AV.* Nunquid vnius hominis impensæ, tot vrbes non sufficient? *R. A.* Hi tibi respondeant, de quibus multa diximus, innumerabilesque alij, quos par pestis pari dedit exitio. Ad summam verò profundissimum hoc sumptuum [vt sic dicam] specus, quasi illud olim Curtij non opibus expleri vllis, sed virtutibus ante alias modestia cohiberi, constringique potest. Id quod maximè proderit meminisse alienum esse, quod prodigis, & hic quoque vnum aliud Adriani verbum sæpè ad memoriam reuocasse, quod sæpe ille & in concione, & in senatu legitur dixisse: Ita se Remp. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam: optimo principe dignum verbum. *G.* Regno; & vltio mea est. *R.* Tua quidem minimè: neq; enim mē titur is, qui ait, mea est vltio. Profectò autem; si

verus es rex, nihil tuum minùs est quàm vltio, nihil magis quàm clementia. Natura vtinam vt apum, sic hominum reges aculeo exarmasset. Nunc libero animali exemplum dedit, non eripuit libertatem. Meum est, quod illa non cogit, hortari. Respice paruum illud, sed diuinum animal; pone & tu non in vulnere, sed ante vulnus aculeum. Plebeium enim illud, hoc regium. Alioqui, vt sine iustitia, sic sine clementia rex noneris: ac ne homo quidem, sed [quod in fabulis dici solet] coronatus leo. *GAV.* Imperator sum Romanus. *RA.* Habes Augustum, habes & Neronem, & Vitellium, quem sequaris. Ad hos tres tota non modò omnium principum, sed hominum turba restringitur. Hic ergò tibi ducem elige. Si recentioribus delectaris, habes eiusdem ordinis Traianum Decium, Galienum. *GAV.* Sum Romanus Imperator, mundi dominus. *RA.* Fuit quando id dici propè veraciter poterat; quorsum verò redierint res, vides; vt intelligi detur, quàm sit tutum stultis, & ignauis, magna committere; quanta prouidentia, quantum in furorem; quantus labor, quantaque, diligentia, quantum in torporem incidit. Non est amplius gaudij materia, Romanum Imperium, sed humanæ fragilitatis, & fortunæ variantis indicium. *GAV.* Imperio clarus sum. *RA.* Clara nomina, res obscuræ, Mundi fraudes. Humana crudelitas. Hi sunt vnci, quibus huc illuc faciles animi trahuntur. Pulchrum Imperij, pulchrum regni nomen: sed Imperium, & regnum difficillima omnium officia, si rite gerantur: alioqui & periculosa prorsus, & mortifera. Neque de nihilo dictum illud regium laudatur: Diadema nobilem potiùs, quàm felicem pannum, plenum curis, periculisque, & miseriis multis: quem cognoscens nemo non ambiat

biat modò, aut parto gaudeat: sed nec oblatum vltrò recipiat; aut abiectum humo leuet. Proinde expergiscimini aliquando mortales, aperite oculos, néue semper falsis caligate fulgoribus. Vestra metimini, atque æstimare corpuscula: circunspicite, quibus septi estis angustiis: nolite geometras, ac philosophos contemnere: terra omnis punctus est, vos caduci; ac fragiles, & incerti exitus, & cùm Iuuenes, & cùm sani estis, cum morte luctamini: & cùm ascendere creditis, descenditis: & cùm stare videmini, tum maximè ruitis: nec vllum animal magis suarum virium obliuiscitur. Ac sæpius vermes semimortui, regna & Imperia somniatis. Mementote vos punctum per exiguum, seu veriùs punctum [vt sic dixerim] puncti breuis; immò ne milleſimam quidem puncti partem possidere. Hanc superbi incolæ premitis, mox premendi, neque amplius ex vniuerso possessuri, quàm quod frigentibus membris, ac pallidis occupatis. Ite nunc cœci, & insani, elatoque vultu tumidi, quod natura angustat, laxate animis, & vincti immensa, & moribundi immortalia cogitate: inque hoc nihilo ridiculosas, & insanas insolentias, ad momentum rapidi temporis, hic rapinas, hic iniurias, hic vindictas, hic spes anxias, hic honores varios, hic cupiditates inexplebas, hic furores demum vestros: hic regna, principatus, & imperia, hic classes, hic acies, hic bella molimini. Cùm multum insanieritis, siue imperatores fueritis, siue aratores, seu diuites, seu medici, corpus vestrum putris terra, vita vestra fumus leuis, magno flatu pulsus fuerit, & vix tãdem ferò quidem, cognoscetis vitam hanc fuisse, nõ patriam: totumque hoc regni, & imperij falsum nomen. *G.AV.* Imperator factus sum. *R.A.* Stulti cum

Imperatores fiunt, homines se esse non recolunt, aut fuisse. Quale est illud Tyberij Cęsaris, qui ami cum volentem eum commemoratione quorundam actuum in memoriam pristrinæ familiaritatis adducere, cùm vix aperto ore hoc vnum verbum emisisset, Meministi: præueniens, interrupit: nec passus est explere, quod cœperat: sed repentè ait: Quid fuerim, non memini. Vocem improbam, ac superbam, nec amicitiarum modò, sed totius humanitatis immemorem. *G.* Ad Romanum Imperium ascendi. *R.* Quid hinc gaudes, & in equuleum ascenditur, & in crucem? Contrà verò & in lectulum & in sedile descenditur, & sæpius in imo quies habitat. Nonnullis opprobrium, multis supplicium, omnibus labor est scandere.

De Exercitu armato. DIAL. XCVII.

Omnia vastantes erucas ducis in agros.
Exurit miseras hostica turba casas,
G. AV.

EXercitum habeo. *R. A.* Mirabar, nisi regnum, atque Imperium, exercitus, hoc est, miseria miseriam sequeretur. Atqui Seneca Scipionem Africanum cœlo tenus attollit. Non quia magnos duxit exercitus, quos & furiosi nocēteſq; duxerunt: sed egregiam moderationem, quam nūquam certè dat exercitus: sæpe eripit, sæpe minuit: quæ enim tā solida virtus est, quàm tot sceleratorum, totque carnificum cruentorum conuersatio, exemplumque non detereat? *G. AV.* Magnum habeo exercitum. *R. A.* Habes vnde in campis vitam agas. Neque enim, aut vrbes exercituum sunt capaces, aut bene ciues togati, militesque cohabitant armati. *G. AV.* Fortissimum habeo exercitum. *R.* Habes belli materiam, pacis excidium: si hinc gaudes,

gaudes, ad cœlestem certè nō pertines ciuitatem. G. Habeo exércitum ingentem. R. Habes vtrinque ad latus hostes armatos, quos nec murus à te sepa ret, nec vallum; anceps profectò negotium, & grae. G. Mihi multæ sunt, & validæ legiones. R. Harum tædia nemo facilè, atque molestias, insolentiasque dinumeret sed tu omnia experiendo condisces, & quantò sit satius solum viuere, quàm cum multis legionibus. Profectò nullæ iniuriæ, nulla perfidia, nulla crudelitas castrensiū moribus comparādæ sunt. Intelliges per teipsum, quàm sit verus, pueris quoque notissimus, ille versiculus:

Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur.

G. Magni dominus, ac rector exercitus sum. R. A. Tutiùs pastor tygridum forsitan, ac vrsorum esses. Possunt mansuefieri corda ferarum, at quorundam hominum non possunt; & minantur, antequàm feriant feræ. Odia hominum improuiso erumpunt. hi, quos tuos reris, qui te dominum vocant, heu quàm paruo pretio venale genus, & instabile: quàm leuibus ex causis mutabuntur, & ex militibus hostes fient. Blandi vultus in horrorem, datæque tibi dextræ, tuam forsitan in perniciem conuertentur, neque [si fiat] nouum erit, aut insolitum. Ad Placentiam fuit motus ille terribilis, quando aduersus Iulium Cæsarem suus exercitus insurrexit, de quo dictum est:

Quem non ille ducem potuit terrere tumultus.

Cæsar autem incredibili sua constantia, ac virtute motum omnem compressit, & punitis authoribus, quietauit exercitum, atque ad obsequium reduxit. Fecit idem ad Antiochiam, Alexander ille Romanus princeps, succesſitq. magnificè. Sed procede paululùm, breui idem non ab alio, quàm à suis militibus interfectus est. Eodem modo iam

iam Pertinax antè perierat. Sic duo postmodum Maximini pater, & filius. Sic Balbinus & Maximus. Sic Probus dux clarissimus. Sic Gratianus, & Valentinianus iunior, optimi fratres. Ille à suis legionibus, hic à suo comite perditus. Sic innumerabiles alij à suis hostibus inuicti, suis exercitibus periêre; & quos milites appellabant, inuenêre carnifices. Vide ergò, quo gaudeas; Tuus hic exercitus, trux, immittis [vtque ait ille] Bellua multorũ est capitum, nihil non ausura: ira illam, vel inopia vel auaritia irritante. *G.* Mihi exercitus ingens est. *R.* Pompeio quidem Thessalico prelio [vt ait Florus] nihil magis exitio fuit, quàm ipsa exercitus magnitudo, & fermè in omnibus bellis maior semper exercitus succubuit, minor vicit.

De Classe instructa. DIAL. XCVIII.

Ventorum est, quodcunque paras, haud vlla carina
Consensit; fallit portus & ipse fidem.

G.AV

CLassem habeo instructam. *R. A.* Et instructos caër ventos, instructos æquor fluctus, & instructos scopulos: terrestre animal, quid tibi cum pelago? *G.* Instructa est classis. *R.* Instructæ tempestates, instructa naufragia: periculis tuis gaudes & laboribus, & impensis, quarum nullus est modus. Vestrarum omnium insaniarum sumptuosissima est classis. *G.AV.* Classis instructa est. *R.A.* Hanc cœli & maris ira disiicet, & quamlibet instructam, sparget, ac destruet inopina tempestas, de qua nõ cogitare, dum nauiges, stulti est. *G.* Classem habeo in mari. *R.* Parúmne terra vobis discriminũ attulerat, nisi maria etiam vexarentur? Non satis est terras; vnde nocens ferrũ, quod Naso ait, Ferroque nocentius aurum, eruatur, effodere; ipsa quo-

quoque horrida, & , quæ primi homines tantummodò mirabantur, maria penetrastis. Vbique laborem, vbique periculum conquirentes: inque hoc vnum vigiles, atque solliciti; segnes ad reliqua. G. Magna classe maria sum ingressus. R. De regressu cogita; ingredi nempe perfacile. Solet æquor intrantibus planum esse: progressis sæpe mõ strosum ac difficile: tamen inter homines natus, inter delphines, ac tritones vitam age: mira vasti animi voluptas. G. Magna mihi classis, & valida est. R. At fortassis vtilius, tutiusque vel in scalimo, vel ficco de littore insidias piscibus breui tetendisses, quàm classe armata vim gentibus intulisses. Multis quidem classis eximia noxiam dedit audaciam; eoque impulit, vbi optarent domi esse. Hoc & Graij, Troia reduces, Caphareum ad montem, nominatim verò Lacedæmones Arginusis, Syracusio Athenienses in littore, & Carthaginenses ad Ægates insulas didicere. Multa sunt classibus pericula, non ab hostibus tantùm, sed ab ipso mari. Denique cùm moriendi genera plura essent, hoc vnum genus est additum. O cœci, vitæque [quam maximè diligitis] prodigi, mortem vndique, quam super omnia timetis, arcessitis.

De Machinis, & balistis. DIALOG. XCIX.

Quàm serus ille fuit, belli qui protulit arma,
In totius rarum, perniciémque hominis.

GAV.

OMnis generis machinas habeo. R. A. Et hic quoque furor regius; habere vnde multis noceas, cùm velis; quos beneficentissimos hominum esse oportuit. Et ob hoc vnum, regnis impositi, & reges dicti sunt, vt regant homines,

atque ab eis parentes colantur, amenturque. Quidam etiam patres patriæ appellati, cuncta in contrarium agunt, vt ceu tortores, ac prædones publici, cunctis formidabiles, atque inuisi sint. *GAV.* Abundo machinis ad euertendas vrbes idoneis. *RA.* Quantò melius extruendas, seruandasque. Tu fortasse glorioſius putas euertere, & videri mauis tui temporis Poliorchetes: sed non semper vrbes machinis euertuntur. Cæsar quidem bello Gallico, cùm aduersus Atuaticos turres maximas erexisset, primùm contemptui hostibus fuit, quasi rem impossibilem humanis viribus moliretur. Vbi autem moueri, & mœnibus applicari illa videre, ex contemptu in stuporem, ac pauorem versi, omissa defensione, ad deditionem cōfugêre. Ac ciuili bello ipsius Cæsaris Dux Brutus, ad Massiliam æquè erectis, atque admotis, parem stuporem obsessis iniecerat, sed non parem metum. Itaque noctu egressi turres, & machinas incenderunt. *GAV.* Abundo machinis, & balistis. *RA.* Omnia ferè, quibus gloriaris, ad iniuriam alienam potiùs quàm ad tuum decus spectant. Quantò erat honestius, atque homine dignius, abundare misericordiæ instrumentis, quàm sæuitiæ, habere, quibus hospitalis, & amicis, & egentibus esse posses, quàm quibus vrbes immeritas oppugnando, quietem publicam perturbares. *GAV.* Habeo machinas ingentia saxa torquentes. *RA.* Saxa torquere furioſum est. *GAV.* Habeo machinas, & balistas innumeras. *RA.* Mirum, nisi & glandes æneas, quæ flammis iniectis horriſono tonitru iaciuntur. Non erat satis de cœlo tonantis ira Dei immortalis, nisi homuncio [O credulitas iuncta superbiæ] de terra etiam tonuisset: non imitabile fulmen [vt Maro ait] Humana

mana rabies imitata est, quod è nubibus mitti solet, ligneo quidem, sed tartareo mittitur instrumento; quod ab Archimede inuentum quidam putant, eo tempore, quo Marcellus Syracusas obsidebat; verùm ille hoc, vt suorum ciuium libertatem tueretur, excogitauit, patriæque excidium, vel auerteret, vel differret; quo vos, vt liberos populos, vel iugo, vel excidio prematis vtimini. Erat hęc pestis nuper rara, vt cum ingenti miraculo cerneretur; nunc vt rerum pessimarum dociles sunt animi; ita communis est, vt vnum quodlibet genus armorum. *GA*. Balistis affluo. *R*. Meliùs belli odio, & studio pacis affllueres. Cùm cætera quidem arma inquieti animi, hæc & degeneris signa sunt, nec pacificis quidem grata, & bellatoribus indignissima magnanimis. Denique sic habeto; qui balistam primus inuenit, ille aut pauidus fuit, aut proditor, & nocendi auidus & metuens hostes; itaq. cogitauit [quod Lucanus ait]

Longè tendere neruos.
Et quò ferre velint, committere vulnera ventis.

Idque de omni genere missilium dictum puta. Fortis bellator congressum hostis exoptat, quem sagittarius vitat.

De Thesauro reposito. DE AL. C.

Qui sibi diuitias in turpes congregat vsus,
Tardus, crede mihi, cœlica regna petet.

GAV.

THesaurum in bella reposui. *R. A.* Rem malam in vsus pessimos. Quantò tibi, & aliis erat vtilius, hunc & amicorum, & patriæ vsibus aceruasse, maximeque necessitatibus indigentium. Ille demum thesaurus verus esset, & thesauri pretium cœlestis, nunc pretium est in-

terni. G. Thesaurus suppetit in vsum belli. R. Thesaurus animi vires extenuat; bellum viros: vtrumque pestiferum. G. Magno Thesauro subnixus in bellum sum. R. Solet iste Thesaurus possessori suo perdendi metum afferre, hostibus lucri spem, & bellandi simul audaciam: quis non alacer id in bellum eat, quo quærere multum possit, nihil amittere; pugnasse quidem feruidè inopem ac vicisse, eūdemque mox diuitem refrixisse, apud Flaccum legis, & profectò, si ad clarissima rerum exempla inflecteris, videbis Romanos, dum fuere pauperes, omnium gentium fuisse victores; tum vinci cœpisse, dum diuites facti sunt. Ita ad aduentum diuitiarum discessere victoriæ, ac virtutes, simulque opum comites delitiæ, ac libidines subiere, vt non immeritò scriptores quidem temporum illorum, Romanæ paupertatis interitum questi sint. Virtutum nutrix optima est paupertas, Opulentia vitiorum. Victoriam de thesauro tuo speras? hinc potiùs metuendum. Multos pauidos, & imbelleis; omnes tumidos: ac superbos, nullum penitus virum fortem fecere diuitiæ. G. magnum mihi thesaurum aggregaui. R. Tibi curas, & inuidiam, hostibus stimulos, furibus sollicitudinem addidisti.

De Vindicta. DIAL. CI.

Exiguam laudem referes, si vlciscere hostem
Cùm vindicta omnis sit tribuenda Deo.

G A V.

HOstis in manus venit, vltionis oblata est facultas. R A. Immò experimentum tui, an iræ mancipium, an clementiæ sis amicus. Quòd nisi ad vtranque ferri posses, incertum esset. Multi enim esse credunt, quod non sunt.

Exper-

Experti autem; quid sint sciunt, *G.AV.* Est hostis in manibus, vlciſci possum. *R.A.* Alij potentiæ fines sunt, decoris alij, non quid possis, sed quid deceat æstimandum est, ne, si quantum potes, velis, nil posse, sit melius. *G.AV.* Vlciſci possum, nil dulcius est vindicta. *R.A.* Ita nihil amarius, quam cur quidam dulcem dixerit, mirari soleo: sin dulce aliquid inesse consenseris, dulcedo effera, viro indigna, ac propria belluarum, earumque non omnium, sed præmordacium, atque ferocium. Nil humanum minùs, quàm sæuitia, & feritas. Contraque nil homini suum magis, quàm misericordia & lenitas, quibus nihil tam contrarium, quàm vindicta est, & quidquid animi impetu, homo in hominem committit asperius. Quòd si omnino vindictæ nomen dulce est, ostendam ergo, quo multa cum gloria vti possis. Nobilissimum vindictæ genus est, parcere. *G.AV.* Vlciſci licet. *R.A.* Multò est satius, multoque formosius obliuiſci iniuriæ, quàm vlciſci; generosior nulla est obliuio, quàm offensæ: hãc summus orator, summo duci, summæ laudi tribuit: quòd, scilicet, nil soleret, nisi iniurias obliuiſci. Nihil autem prohibet vnius laudem, illi non ereptam, ad plurimos peruenire. Hoc, inter multa, præcipuum præ cunctis opibus, habent, animi bona; non decrescunt sparsa, nec pereunt. Sume igitur & tu tibi nobilissimam hanc opinionem Cæsaream, quæ te multò faciet clariorem, quàm Cineam, Tarmadamque memoria sua: illa enim naturę fuerit, hęc virtutis. *G.AV.* Vlciſci iuuat. *R.A.* Vltionis momentanea delectatio est, misericordiæ sempiterna. Duorum nempe delectabilium, illud præferendum, quod diutiùs delectat. Fac tu hodie, quo perpetuò delecteris. Nulla verò maior,

nulla firmior delectatio est, quàm quæ de puritate conscientiæ, & rerum bene gestarum recordatione oritur. *GAV.* Honestum vlcisci. *RA.* Honestius misereri. Multos clementia honestauit, nullum vitio. Nihil tam necessarium inter mortales, nihil tam commune, quàm venia. Nemo est enim, qui non peccet; nemo cui non misericordia opus sit: qua negata, quis tam multos criminum, & culparum extricabit nodos? Aut diffutum diruptumque societatis humanæ fœdus, sarciet? Semper inter sese homines, semperque in illos decertabit ira Dei. Nullus erit aut litium, aut pœnarum finis, nec cessabunt arma, nec fulmina. Parce igitur, miserere & compesce animum. Fac tu homini, quod tibi ab homine fieri velles; quod à Deo vis. Impudenter à domino veniam petit qui conseruo illam suo negat. Ecclesiasticus doctor clamat indignans: Homo homini iram seruat, & à Deo quærit medelam? In hominem sibi similem non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? *GAV.* Non infero iniuriam, sed vlciscor. *RA.* Quid refert, primus pecces an vltimus? Non est æquum vt quod in alio improbas, in te probes. Visne sæuitiam in hoste damnatam sequi, fierique illi similis moribus, cui dissimilis animo sis, quodque pessimum habet, tuum facere? *GAV.* Volo quidem, & licitum est vlcisci. *RA.* Nec debes velle, nec vlla id licitum lege est; vt defensio licita sit, vitio vetita, Scriptum est. Qui vindicari vult, à Deo inueniet vindictam. Et rursus [vt paulò ante dixi] Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore, dicit dominus. Illud tempus expecta; sine te ille vindicet, qui & offendentis est dominus, & offensi. Solet inter seruos domini communis esse cognitio. Si quid ingenui habes, si qua

qua tibi perfectioris habitus cura est, opta potiùs, atque ora, ne ille quidem vindicet: sic hostis crimen in tuam verteris salutem. *G.* Vlciſci est animus. *R. A.* Da iræ spatium, da consilio tempus, frena impetum, differ; aut desinet, aut lenteſcet. Breuis hora sedat iratum æquor. *G.* Vlciſcar. *R. A.* Vno actu multos offendes. Vna iniuria sæpè innumerabiles hostes fecit. *G.* Vlciſcar. *R.* Plus te ipſum læseris, quàm hostem. Illi corpus forsitan, aut opus, tibi animam, famámque corruperis. *G. AV.* Vlciſcar. *R. A.* Quoties, vlciſcendi studio, iniuria geminata est? læso, sæpe vnicum, dissimulasse, remediũ; sæpe vel queſtum esse, vel nutu tacito sensum iniuriæ prætendisse, periculum fuit. *G. AV.* Perdere hostem possum. *R.* Melius est amicum quærere, quàm hostem tollere, sed vtrunque simul optimum, quod nulla arte melius, quàm parcendo fit, cùm vlciſci possis. Aptiſſimum tollẽdis hostibus, instrumentum est, lenitas. In quo, si creditum esset Herennio seni sapientiſſimo, nec Sãnitũ exercitus, modò victor, colloiugum Romanum, nec iugum primò cum reliquis, mox securim solus imperator Pontius pertuliſſet. *G.* Vlciſcendi pungor aculeis. *R. A.* Reſiſte, cogitationibus piis, exempliſque omnibus, quæ leniorem in partem inclinare animum possunt, & in primis memoria vitæ breuis, & ambiguæ. Hæc enim Senecæ [cui assentior] efficaciſſima videtur, de iracundia lenienda. Cui is ipſe quem memoraui doctor accedit. Nam quid aliud sentiebat, vbi ait: Memento nouiſſimorum & desine inimicari. Sic est enim, nilque inimicitias magis alit, quàm conditionis obliuio. Siquidem iſte, cuius mortem sitis, ne dubita, moriturus haud dubiè est, & id ipſum citò, fortasse hodie, túque illum forsitan [quod non

cogitas] percursurus. Exspecta paululùm, subsiste; fiet quod fieri optas, & quod metuis, fiet. Cæterùm mors quam hosti paras, sine tuo illi scelere præparata est. Quid iuuat fati cursum properantis impellere, & morituri sanguine morituras manus inficere? non scelestum modò, sed superuacuum est, impietate tua proximum, ac festinanas tempus arcessere; quod si valde velis, nulla possis pietate repellere, aut differre. Quantò tranquilliùs, atque honestiùs ille integer, & illæsus, tu siccus, & innocens; quàm vterque cruentus, & tu noxius hinc abibis. *GAV.* Vrgeor vlciscendi stimulis. *RA.* Caue, ne cesseris; sed oppone eis memoriam eorum, qui, non tantùm mites hostibus, sed fauentes, ac benefici fuere; contráque illos tibi propone, qui membratim cæsis hostibus adhuc rabiem spirantes, nequicquam in non sensura cadauera sæuierunt. Dehinc tecum elige, quorum similis esse malis, neque actus solos, sed & verba confer. Pars enim non parua crudelitatis in verbis est. Crudelis pes, crudelior manus, crudelissima lingua est. Sæpe animi sæuitiam, quam manus non æquauerat, lingua transcendit; illa verò optima, vt crudelitatis, sic clementiæ testis est. Sonet igitur ad aurem tibi illa, cuius non multò antè meminimus, Adriani vox, simúlque illa Tiberij, de quo scriptum est: Quod cùm audisset vnum è reis, Carnulium nomine, anticipasse mortem, exclamauit: Carnulius me euasit. O vox ferox, & si dici potest, ipso vocis authore ferocior: quid vsitati supplicij cogitabat, quem se in vinculis manu sua perimens euasisset? Ecce duo igitur vnius status, sed mentium diuersarum, vno & eodem verbo quàm variè vsi sunt. Ille ad præsentem hostem, euasisti, ait. Hic

de ab-

de absente euasisti inquit. Ille suo hosti vitam donauit: hic inuidit mortem. Elige quid horum potiùs à te dictum velis dici, an tranquillum illud verè principis, an illud alterum immane carnificis. Nec ignoro, quòd sit promptius iubere iusta, quàm facere, & quid his obiici possit, intelligo. Difficilius in suis, quàm in alienis iniuriis mitem esse, difficile fateor sed bonum. De bono autem, ac difficili omnem esse virtutem, nec tu neges. Virtutis amatoribus sunt cuncta facilia. *GAV.* Fixum est vlcisci. *R.* Vincit pars deterior: obsta illi dum adhuc potes victoriamque illi priusquàm ea vti cœperit eripe; stratámque mansuetudinem attolle. Memento te hominem: multos quidem vindicasse pœnituit neminem peperciſſe. *GAV.* Vltus sum. *R.* Vinci ab hoste præstabat. Hostis victorem vicit ira.

De Spe vincendi. DIAL. CII.

Sæpe fit, vt qui vicisset, iam victus abiret;
Vincere qui didicit ex ira, victor erit.
GAV.

BEllo victoriam spero. *RA.* Cùm fallax vbilibet, tum in bello fallacissima spes est. Nihil ex præmeditato agitur. Inopinè eunt omnia. Prudentissimus, atque exercitatissimus militarium rerum fuit qui dixisse fertur, nusquam minùs, quàm in bello, euentus respondere. *G.* Victoriam spero. *RA.* Pacem haberes vtiliùs: eiusdem ducis verbum memorabile traditur; Melior, tutiórque est certa pax quàm sperata victoria. *G.* Bello victor ero. *RA.* Quid si victus? Hæc spes multos in exitium egit: sine victoriæ spe, nemo volens in aciem descendit. *GAV.* Bello superior euadam. *RA.* Futuri verbum temporis. Omnis

enim de futuro spes,& futura omnia semper ambigua. G. Bello victor remeabo. R.A. O spes hominum inanes: nec victor fortasse, nec victus remeabis: sic tibi reditum spondes, apertúmque inter gladios iter, acri deuotum classico Marti caput? G. Esse victor spero. R. Est qui contrarium speret: vel vtrumque, vel alterutrum sit, necesse. Potest vel alter, vel vterque dux partium, seu aliter, seu mutuis vulneribus simul occumbere, quod & sæpe credo alibi, &, quod nunc meminerim, Thebis, vltimo inter fratres impios congressu, & Romæ primo, post exactos reges, accidisse proditum est bello, vt Superbi regis filium Brutus consul ad inferos prosecutus est. Amisso autem spiritu, iam victoria nulla est; quo seruato, sæpe tamen ex acie, pari Marte discessum, tenes. Vtrobique igitur ambos duces spe victoriæ fraudatos constat. Vnum nempe fraudari, tam commune, támque quotidianum est, quàm in aciem proficisci. Quid scis autem, an vnus ille tu sis, hac, qua tibi blandiris, victoriæ spe fraudandus? G. Bello vincam. R. Vt anceps semper, sic sæpe tristis, & sanguinolenta victoria est. Non habetur gratis, quod vitæ discrimine quæritur; charè emitur, cuius sanguis est pretiũ; charius, cuius morte fieri potest, vt pars victrix ducem perdat; ita tuis vincentibus, vinci potes. Quid de victoriæ sceleribus dicam? Non sunt tot victi miseriæ, quot sunt peccata victoris. Quod si peccato miserius nihil est, nec victus eò, quòd vincitur, victore miserior; sed eò minùs miser, quò minorum rerum damnis afficitur. G. Vincam. R. Vt ad summam redigam, & an vincas, & an melius sit vicisse, si viceris, in dubio est.

De

De Victoria. DIAL. CIII.

In bello multi vincunt, & fortia spernunt
Corpora, sed vinis intereunt propriis.

G. AV.

AT vici. R. Caue, ne te vincat ira, superbia, crudelitas, furor, rabies. Hi sunt enim victoriæ comites, & victorum hostes inuisibiles, & horrendi, à quibus sæpè clarissimi victores turpissimè victi sunt. Nondum te vocat ad calculum fortuna; longa, & perplexa rationum series creditrix violenta, & pertinax, cum qua tibi nunc quoque negotij multùm restat, mutuum reposcere solita est, magno cum fœnore. G. Magno prælio vici. R. Victor prælio sæpe victus est bello. G. Vici autem. R. Quoties vicere Carthaginenses? Quoties Galli? gentésque aliæ? Quoties autem victi sunt Romani? Sed spectandus est rerum finis; earum maximè, quæ voluuntur, & stare nesciunt. G. Vici certè. R. Etsi certus belli exitus, adhuc euentus est dubius, & de lætis tristia, læta de tristibus erumpunt. G. Magnam victoriam quæsiui. R. Nil tam magnum, vt non nimio quæri possit. Est vbi plus vulnerum, ac funerum victorioſa pars computat; si non credis, Xerxem atque Thermopylas interroga. G. AV. Magnæ victoriæ sors fuit. R. A. Vix potest magna victoria paruo pretio constare. De bello omnium maximo, omnium maximus Historicus dum ageret; Adeò, inquit, varia fortuna, ancépsque Mars fuit, vt propius periculo fuerint, qui vicerunt. G. AV. Planè vici. R. A. Non est plena victoria, vbi armatus hostis supereſt: quanquam, etsi hunc oppresseris, alij renascẽtur; quasdã nempe victorias, ceu sementem dicas esse

bellorum. Sic odia ferro trunca, repullulant, densantúrque, & redmiui in aciẽ redeunt bellatores; non vt fortaſſis imagnatio vehemẽs olim Caſſio à ſe cæſi hoſtis imaginẽ ſupremo illo ſuo die obuiã dedit tam tremendo aſpectu, vt audaciſſimum virum, qui viuentẽ illum nõ timuerat, defuncti ſpecies in fugã verteret, ſed ita, vt pro vno, multi redditi, veris manibus, verũ ferrũ, moueant in illos, qui viciſſe videbãtur. G. Vici, iam ſecurus ſine hoſte ſum. R. Stulte: dum erunt homines, non deerunt hoſtes. Tu Romanę vrbi poſt innumeros triũphos, edomitúmque orbem, non defuiſſe hoſtem legis, & tibi defuturum ſperas? quieſcenti forſitan hoſtis deerit. at pugnanti nunquam. G. AV. Victor ſum. R. Caue ne ſis fruſtrà; vti ſcientibus victoria fructuoſa eſt; vti autem dico, non eo modo quo Maharbal Annibali, ſed quo Hanno, vir melior, ſuæ Reipub. conſuluerat. Nam profectò vſus, fructuſque victorię optimus, pax eſt: neque ad alium, quàm ad pacis finẽ iuſta bella ſuſcipiuntur. G. Victoria mecum eſt. R. Vide ne euolet: alata eſt.

De Inimici morte. DIAL. CIV.

Morte inimicorum noli gaudere rapaci;
Te quoque ſub leges mors feret atra ſuas.
G. AV.

DE inimici morte lætus ſum. R. A. Sperare de inimici morte aliquid, ſeu cuiuſquam hominis, vel gaudere, illi forſitan ſit permiſſum, ſi quis vſquam eſſet immortalis. Sperare autem alterius mortem, quæ tibi poſſit antè contingere; vel gaudere id hoſti eueniſſe, quod tibi neceſſariò euenturum ſit; ſtulta ſpes, inane gaudium. G. Gaudeo de inimici morte. R. De tua alius mox gaudebit. G. AV. De inimi-

inimici morte gaudeo. *R.* Si quam vestræ conditionis memoriam haberetis, nunquam homo de morte hominis gauderet. Quando enim, quæso, duorum, qui simul ad supplicium ducerentur alter alterius de morte gaudium cœpit, sciens sibi idem supplicij genus instare, & non potiùs in illius morte, suam cogitans, ingemuit? *G.AV.* De inimici morte gaudium sensi. *R.A.* Quoties putas, optata mors hominum voti compotes torserit; & optare vitam frustrà cœperint; qui non frustrà mortem priùs optauerint, dum intelligere incipiunt in suam se perniciem optasse? Sed præcipites sunt affectus vestri; quicquid vultis valde vultis? quod de Marco Bruto dixisse Iulius Cæsar fertur; immò verò nimium vultis. nec feruens desiderium moras fert. Itaque, quicquid vultis statim vultis: hinc non modò vota impia, sed venena, sed cædes, & quicquid homo in hominem struit, nocentissimum animal, in suam speciem: Multa verò optatis, quæ, si in consilium ratio esset admissa timeretis & varietas vōtorum, malæ electionis argumentum est; nec priùs ad rectum redit impetus quàm inconsulti affectus infaustis castigentur effectibus. *G.AV.* De morte hostis gaudeo. *R.A.* Si est hostis inglorius de ipsius morte gaudere turpe est; & dolere superfluum: sin illustris, honestus piúsque est dolor, etsi non propter hominem, at propter virtutem. quæ in dies rariora habet hospitia. Sic Metellus Macedonicus Africani iunioris: sic Cæsar Pompeij. sic Alexander Darij mortem flevit. *G.AV.* Gaudeo de inimici morte. *R.A.* Quomodo de illius morte gaudeas, quem diligere iubearis, non vt hostem, sed vt proximum eiusdem opus opificis? *G.AV.* De inimici morte gaudeo. *R.A.* Non audis forsi-

tan,an contemnis consilium,notissimum Sapientis?Noli, inquit,de inimico tuo mortuo gaudere, sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium volumus venire. Sanum prorsus, seu consilium, seu præceptum.

De Spe pacis. DIAL. CV.

Spes pacis certa est,modò sit concordia certa;
Quæ si non fuerint,spes tibi pacis abit.

GAV.

SPero pacem. *R.A.*Melius est pacem seruare, quàm sperare. Stulti enim est,fastidire res certas,ambiguas spes amplecti. *G.* Pacem spero. *R.* Tenuisses eam arctiùs,nec abire sineres,quam sperares. Quid enim.si ad hanc spem impatientia te duxit tua,vt sperando, angi eligeres, quo gaudendo vti poteras.*G.*Pacem spero.*R.A.*Spes pacis multos perdidit, speratæque paci succedens insperata calamitas, incautos obruit, sopitósque, quos experrectos inueniens,non læsisset.*G.*Spero pacem.*R.* Quid tam diu speras,quod mox assequi in tua situm manu est.Rari sunt, qui pacem non inueniant,si bona fide velle cœperint. Sed hi ipsi, quibus dulce nomen pacis,pax amara est. Pacem itaque petẽtes paci obstãt. Quatuor vobiscum habitant pacis hostes: Auaritia, Inuidia, Ira, Superbia. Has in æternum exilium pellite, pax æterna erit.*G.* Spes pacis haud dubia est. *R.* Inter spem pacis,& pacem multa incidunt:leue verbum,gestus facilis,compositam sæpe turbauit pacem;ipsi tractatus,pacificique sermones,ferro sæpe frangũtur, animósque acuit, bellúmque asperat pacis spes. Sic amicitiæ mentionem irritam,quasi coitem dixeris odiorum. *G.* De pace igitur,pax erit.

R. De

R.A. De pace crebrò nequicquam agitur, nonnunquam verò periculosè. De paee agebant, atque egerãt, & Gallorum, & Pœnorum duces: quando illos Camillus oppressit, hos Scipio. *G.* Post belli finem, pax firmabitur. *R.* Quantò firmata esset vtiliùs ante belli principium? quot damnis, ac mortibus tempestiua pace esset occursum? Sed vos pueri contumaces, ac discoli, fine verberibus non sapitis: in pace bellum, in bello pacem quæritis, neque vnquam, nisi bello afflicti, pacẽ vel noscere incipitis vel amare; eámque, vt perditam, fletis, sic mox redditam, pari leuitate contemnitis; donec vos iterum, atque iterum amissa, perdoceat bona vestra non spernere; mala vestra concupere; denique non ineptire, non furere, quod antequam assequamini, pudeat. Sæpissimè idem vobis audiendum, nec audisse sat est, sæpissimè videndum, & experiendum: dicam propriè, vt discatis aliquid, sæpissimè vapulandum est. *G.* Bellum pax sequetur. *R.* Meliùs præcessisset; bello iter obstructura; nihil insanius, quàm spe remedij, vltrò vulneri sese offerre: auxilium non causam dant fomenta vulneribus: ægro salutem optare, natura est, sano ægritudinem, spe salutis, insania. *G.* Pax futura est. *R.* Solet pax vrbibus mutationem rerum afferre pestiferam. Optima quidem ipsa, sed pessimis circumuoluta comitibus, iniquis legibus, fluxis moribus; occultis odiis, aperta tyrannide. Recordare, quid ciuili olim bello præsagus ille dixerit, nec fefellit:

Superos quid prodest poscere pacem,
Cùm domino pax ista venit?

Melior est autem bellicosa libertas viris fortib. quàm pacifica seruitus. *G.* Pacem habeo. *R.A.* interim bellum habes.

De Pace, & Induciis DIAL. CVI.

Sæpe animis mundi nocuit pax, atque voluptas,
Et si aliquid cordis posse quietè frui.

GAV.

PAcem habeo. *RA.* Bonum ingens, si sincerum esset, atque perpetuum : neutrum sanè est. Nam neque nouum est, sed commune, nimisque quotidianum est; vt sub vmbra pacis, bellum lateat; neque pacem, quamuis puram, diuturnam, finit animorum instabilitas, secum assiduè non minùs, quàm cum hoste pugnantium. *GAV.* Pax quę sita est. *RA.* Sed amissa est cautio, & disciplina militaris, fida vrbium tutela: quæsita autem lenta segnicies, & semper periculosa securitas; cùm in multis nempe sit melior bello pax, in hoc vno bellum melius, quòd cautius, atque experientius. Nunquam Romana virtus abiisset, si bellum Carthaginense mansisset. Pax punica Romanæ vrbis excidium fuit; vrbibúsque aliis documentum sempiternum, non semper populis, atque Imperiis optimam pacem esse; idque vir optimus Nasica, malè non sibi creditum, iurabit, & vera locutum docti omnes fatebuntur. *GAV.* Pacem habeo. *RA.* Modestè vtere. Bello quolibet funestior pax superba, & negligens. Sæpè armati inter gladios tuti, mox togati in gladios incidere runt, & seris votis optauere bellum. Quid ruinam morum, atque ipsius humanitatis interitum loquor? Quot iam bello viri optimi, pace pessimi euasere? quasi tum armis omnem penitus exuti virtutem, mox cum toga vitia omnia induissent. Sic interior habitus cum exteriore mutatus est. Cuius quidem rei, etsi multa millia hominum, in testimonium trahi possunt, tamen

men abundè suffecerint testes duo, Sylla & Marius; quorum primum [vt de illo scribitur] neque laudare, neque vituperare, quisquam satis dignè potest, qui dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano, dum exercet sęuitiam, Annibalem repræsentauit. Secundus verò vir [vt de illo itidem scriptum est] cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, vtrùm bello melior an pace perniciosior fuerit: adeò quam rempub. armatus seruauit, eam primò rogatus omni genere fraudis; postremo armis hostiliter euertit. *G.* Pacem patriæ partam lætor. *R.* Quid, si pax interdum quod in homine optimum est extinguit, nutritque, quod est pessimum? Notum est illud Satyrici, qui cùm de causis priscæ illius Romanæ virtutis multa dixisset; inter quas est & proximus vrbi Annibal: ad extremum intulit.

Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciscitur orbem.

Estne ait [oro te] vlla pax tanti, vt non odiosa sit viris egregiis, comitante luxuria? Certè altiùs cogitanti, depositis licet armis, pax videri nequit, vbi bello domestico vitiorum insidiosissimo, & carente induciis, oppugnantur animi; boni mores in exilium pelluntur; voluptates imperant; virtus opprimitur. *G.* Pax firma est. *R. A.* Et pacis comites licentia, ac libido, & [vt dixi] discrimina nec pauciora, nec minora, quàm belli. Illa enim corporibus, hæc animis pestem ferunt; sæpe etiam corporibus. Itaque multis lorica felicior, quàm toga; cã púsque securior, quàm thalamus; tuba, quã tibię; sol quàm vmbra. Sunt quibus nil tutius bello sit, quod Iulium Cæsarem prædicantem de se, suísque militibus audisti. Pacem verò, si sine vitiis veniret, & cœleste munus, & secundum nulli bo-

num fateor. Rarò autem sine vitiis venit. *G.* Sed feci inducias. *R.* Dedisti hosti spatium ad colligendas vires, quibus fortiùs te feriret. *G.* Inducias habeo. *R. A.* Cognatæ induciis insidiæ sunt. Multa per insidias hostiliter fieri vides, plura etiam facta legis; vt nil aliud, belli consilia licentiùs agitantur, liberiùs contrahuntur auxilia. Quosdam bello inuictos, inducia confecere. *G.* Sunt mihi cum hostibus inducia. *R. A.* Ignauum tempus, nec pace lætum, nec bellis exercitum, sed dubiis inter vtrunque pulsum fluctibus, vbi & rumor paci obstat, & timor bello; nescio an sit grauius pendere, quàm ruere; respirandi tempus optare, fatigari est. Miseri autem, & insani est, nec pacem pati posse, nec bellum.

De Pontificatu. DIAL. CVII.

Sponte sua in mortem currit, qui Poneificatum
Ambit, vbi fraus, & sæua venena regunt.

GAV.

AD pontificatum veni. *R.* E tempestate in portum fugi solet; tu è portu in tempestatem sponte fugis. Tu mirus nauta. *G.* Pontificatum sum adeptus. *R. A.* Parúmne difficilis, parum grauis vnius animæ tibi cura videbatur, nisi omnium curas in te vnum, atque omnium sarcinas transtulisses? Fortes humeri; an fortis ambitio eò animos cogens, vbi malè sibi futurum sciunt. *G.* Ad pontificatum ascendi. *R.* Quo tramite, videris: duplex est enim via: vtraque ad laborem. Altera verò etiam ad miseriam ducit: quacũque perrexeris, vel te miserum, vel, vt optimè cesserit, ex libero seruum scito: sic, qui ascendisse diceris, descendisti. Vnus iam illorũ, quibus canitur propheticũ illud. Qui descendũt in mare nauibus faciẽtes

tes operationem in aquis multis, qui ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos: quorum anima in eis tabescente, propter negotiorum multiplicium procellam, turbati sunt, & victi sunt: sicut ebrius & omnis sapientia eorum deuorata est. *G.* Summi solium pontificatus ascendi. *R.* Quo mare altius, & venti plures, & periculosior tempestas. *G.* Romanus pontifex factus sum. *R.A.* Quò maior vrbibus Roma est, eò maior te laborum moles manet: erunt qui te colant, qui adorent, qui obsideant, ac circunstent, qui tibi serico terram sternant, auro niueos frenent equos, qui vina, dapésque instruant, ac prælambant, priscis pontificibus inauditum obsequii genus: ex diuerso erunt, qui omissis propriis rebus, in te figant oculos, te notent, de te iudicent, & quàm iustè Deus viderit, qui denique mores tuos arguāt, verba distorqueant, famam lacerent, vitam carpant; quicquid vsquam mali erit, quasi è fonte vnico malorum, ex te prodiisse dicent, populi, discordiarúmque omnium vnus tu causa vocaberis. Quomodo, inquient, sanum erit ecclesiæ corpus, cum ægrum, ac languidum sit caput? Est ne [oro te] tanti, vel aureum poculum, vel cubile purpureum, vel gemmatus vertex, vt quietis, & famæ pretio quæri velit? *GAV.* In summum pontificem sum electus. *RA.* Versa vt libet; hac in re tam expedita hodie, quod est totum, vel inane, vel durum est, vt non immeritò quidam summi Pontifices, tædio rerum victi, non supplicium aliud, quàm felicitatem illam hostibus suis optauerint. Nā [vt paucis expediam] summus pontificatus, si rectè geritur, summus est honor, summum onus, summa seruitus, summus labor. At si malè, summum animæ periculum, summum

malum, summa miseria, summus pudor anceps ex omni parte negotium. *G.* Summi pontificatus sedem teneo. *R.A.* Non tenebis diu. Breuis est hominum vita: Regum breuior; Pontificúmque breuissima, eò quod propter pondus vastatricium curarum, ætas ipsa pontificis Romani tempus angustat, quæ ad hoc culmen nisi admodum fessa, vix peruenit. *G.* Summi pontificatus in vertice sedeo. *R.* Quò sublimior sedes, eo grauior casus; vix ex alto sine periculo aut labore descenditur. Cura, vt descendas sobriè, ne in illo grege reperiaris, de quo dictum est:

Tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Ex omni quidem mortali fastigio descendendum, nemo dubitat; sed hoc interest, quia iustorum, ac sapientum descensus, reliquorum verò, præcipitium, ac ruina est. Ideoque Pœnus ille dux moriens: qui dixisse fertur: Et finis ad alta leuatis, est raere, non impropriè ait, vt iniustus. *G.AV.* Summi pontificatus arcem rego. *R.A.* Solebant primi ex hoc statu, ad martyrium peti: nunc ad delicias vocari credunt: ideoque certatim hic locus appetitur, & huc omnium fermè mortalium vota suspirant. Quis autem vel Romanum, vel quemcunque pontificatum, aliam cupit ob causam, nisi quò potentior, ac ditior sit? Contra iustitiæ præceptum, præesse quæritur non prodesse; quódque sacrilegium, pudendumq; vel dictu est, magnis sæpe muneribus quin & pactis, & sponsoribus spes emitur sacerdotij pinguioris. O vertigo morum pessima: ad quod olim cõsueuerant & deberent cogi homines, inde nunc retrahi non possunt; & tam præceps feruet ambitio, vt non Christianus pudor, ac modestia videatur, sed ardor, & perui-

peruicacia paganorum; quam in huiusmodi petitionibus tantam fuisse didicimus, vt de Iulio Cæsare lectum sit, quòd pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione; in qua, reputans magnitudinem æris alieni, quum manè ad comitia descenderet, prædixisse matri osculanti fertur: Domum se, nisi pontificem, non reuersurum: nec fefellit, Pontifex est reuersus. Liquet autem, quo impetu ille ambierit: quo, non impetrato, vel moriendum sibi certè, vel exulandum esse decreuisset: hoc illi autem vtrumque licuerit, cui à prima ætate propositum sit regnare. Ita vt iniuriam suam putet, si qua est, hoc orbe, potestas altera, quàm Cæsar: si tellus vlla duorum est. At Christiano homini, cui propositum sit seruire, dominique sui iugum ferre; pontificatum quomodo liceat ambire, non video: non modò largitione profusissima, sed [quod non multò minùs est turpe] blanditiis, atque mendaciis indignis viro artibus, sed cōmunibus adeò; vt hæc ferè iam sit vnica in altum via. *G.* Romanus pontifex sum. *R.* Seruorum seruus diceris. Caue, ne dominorum dominus fieri velis. Memento professionis. Memento debiti. Memento domini qui meritò nulli magis, quàm vicario læsus, irascitur.

De Felicitate. DIAL. CVIII.

Expectanda dies homini est pars vltima vitæ;
Ante obitum certè nemo beatus erit.

G. A. V.

SVm felix. *R. A.* Pontificatu forsan, aut Imperio, aut omnino potentia, atque opibus felicem fieri credis? Falleris. Non felicem faciunt ista, vel miserum; sed detegunt, ac ostendunt; &, si quid facerent, miserum potiùs, quàm

felicem facerent. Sunt enim plena periculis, quibus humanarum est affixa miseriarum radix. *G.* Felix sum. *R.* Opinione fortassis tua; quæ, quoniam falsa est, felicitati nihil addiderit, sed miseriæ multùm. Si quidem propriam non nosse miseriam, miseria summa est. *G. AV.* Felix sum. *R.* Hoc inter carnificum gladios magnus ille Pompeius de se prædicat: quod tamen [si profundiùs verum fodis] nunquam fuerat, ne tum quidem, dum florentissimo in statu felicissimus videretur. O miser, qui in tot malis te felicem speres. *G.* Sum felix. *R.* Felix es, & vnus viator insolitus, mirus cursor, quo in hoc scrupeo, & difficili calle sis felix, inter mille pericula raptatus iugiter, & ignorans, quo, siquidem hic es felix, quod nemo vnquam fuit, nemo erit, vt auguror. Nam quis, quæso, hominum felix in miseriis? Nemo igitur felix, priùs quàm ex hac miseriarum valle migrauerit. Duos quidem è cunctis mortalibus colligunt felices, in quibus opinatissimus est Quintus Metellus, & apud scriptores rerum, & vulgò etiam felix. Sed huic tamen, quamuis latè iactatum felicitatis nomen, in quibusdam exactioribus scriptis ereptum scio; iniuriis aliquando grauissimis, & [quod dolorem ingeminat] vili ab authore susceptis. Iam reliquorum falsa felicitas in aperto est. Sylla felix tantùm dictus est, infelicem tamen vitæ illum, ac mortis atrocitas probat. Alexandri Macedonis, ac Iulij Cæsaris, etsi fortuna prosperrima, vita tamē inquieta semper, ac turbida, atque ideò nunquam felix: vtriusque mox rapida. Ille in medio bellorum cursu, hic post victoriam repentè; ille veneno periit, hic ferro. Scipionum bellicam felicitatem, alterius indignum exilium, indigna quoque alterius, & inulta mors minuit. Longum est euoluere

uere singulorum fortunas. Ad supremum venio. Vnus omnium ferè omnibus felix visus est. Augustus Cæsar Monarchia omnium altissima, diuturna pace, vitæ spatio, ac fine suauissimo; quodque omnia superat, morum, atque animi tranquillitate perpetua. Quis hunc felicissimum negauerit? Sed felicem negant, quibus hæc scrutandi studiũ fuit. Obstat enim extrinsecus fulgoribus interioris, ac domesticæ vitæ status, & fortuna longè alia; naturalis ac virilis sobolis defectus: adoptiuorum, ac nepotum immaturæ mortes, & quorundam, morte peior, contumacia. Ad hæc, & vilissimorum quoque hominum insidiæ & suorum in se crebræ conspirationes; & dilectissimæ, atque vnicæ filiæ, ac neptis adulteria crebiora; denique non suus hęres, successorque non placitus, & necessitate magis, quàm iudicio electus; nec omnino se dignus, nec imperio. Si horum ergo nemo felix, vel felicem alium da mihi, cum quo felix sis, vel sine consorte felix esto; vel iam tandem veriori sententiæ aurem præbe: secundum quam dico iterum, ante mortem nemo hominum felix. *GAV.* Ego animo felix sum. *RA.* Sentio quam felicitatem dicis, aut felix igitur errore tuo es, vt ait ille: quæ felicitas [vt dixi] misera est: aut virtute animi felix, quæ nec ipsa felicitas plena est, quamuis sit ad felicitatem via. Ad postremum, cuncta discutiens, me mirari non dissimulo, quam mihi felicitatem quidam somniant, promittuntque aliis. Acutissimi homines in multis, hac in parte cæcissimi. Nam siue omnium cumulus honorum ad felicitatem, isque indeficiens; ac stabilis requiritur, & quàm multa desint homini, vitæ studium hoc agenti, pro se quisque sentit; & hæc ipsa quæ adsunt, quàm incerta, quamque labilia sint, agno-

scit, siue quod aliis videtur sola, virtus hoc præstat: certè ipsi, qui secundum virtutem vitam agunt, quos diffiniunt felices, quosque felicitati proximos non nego, vitam ipsam perpetuis tentationum præliis patiuntur infestam, periculis semper multis, & grauibus expositi: nec vnquam ante exitum securi, quòd siue nesciunt, siue sciunt, æquè miseri sunt habendi. Nulla enim cum errore, nulla sine securitate felicitas. G. Felix mihi ipse videor. R. Iam responsum habes. Si felicem error faceret, pauciſſimi non felices essent: falsa ergò felicitas tua est, & ea ipsa perbreuis. Nulli errore diu contigit gaudere. Sola quidem veritas solida est. Error tenue quiddam & inane, quod inter amplectentium manus, quasi fumus, aut vmbra dissiliat. Veniet quæ vmbras abigat, falsaque gaudia in apertum pertrahat, quæ felicitati humanæ verum pretium somniis ponat. Quære interim ab his ipsis, quorum proximè mentio est habita: quære ab omnibus, qui felices, vel sibi, vel aliis visi sunt, vbinam gentium, quóue nunc in statu sint, de sua illa breui fœlicitate, quid sentiãt; tacebunt ipsi, sed loquetur veritas, testabiturque habitos felices, fuisse miserrimos.

De Spe bona. DIALOG. CIX.

Spes fouet, atque eadem sperantem torquet, & angit.
Dicitur hinc: Faustos spes facit, atque mora.

SPES.

QVicquid in re sit, spem mihi nullus eripiat. R. Hanc auferre potest nemo; ipsa sese sensim eripit, & inopinis euentibus sæpè lusa, consumitur. S. Spero multa. R. Et multa metuas opor-

oportet. Sine metu enim spes non habitat. . Spero bona. R. A. Multa igitur times: vt enim oppolita spes timori est, sic aduerso de fonte oritur; & necesse est, quod sperare cœperis, eius contrarium vt formides. S. Spero læta. R. Sed incerta, quorum studio, certa negligere, demētia certa est: qui equidem, sed non habet, sperat, quod habet obliuiscitur. S. Sperare meliora non prohibeor. R. Quid si difficilia? Quid si impossibilia: Venturaque nunquam? Quid si peiora: si pessima sunt quę speras? & meliora tibi fingis. S. Iuuat in spe viuere. R. Dic verius, in spe mori. Nam & futura cogitantibus præsentia dilabuntur; & qui longinqua prospiciunt, quæ sub oculis sunt, non vident; & qui cras viuere destinant, hodie non viuunt. Nondum est, cuius initium speratur. Ita, cùm spes omnis boni absentis exspectatio sit, consequens est, sperantem, pro ca saltem parte, qua sperat, mali aliquid pati. S. Dulce est sperare. R. Audio quidem multos hoc dicere, sed hanc ego dulcedinem non agnosco. Nam si sperare, & optato carere etiam dulce est, quod, qui dixerit, haud dubiè gustu caret. S. Sperare delectabile est. R. Ergo & pendere, & affici, & torqueri, spes est, & longi supplicij longa spes est, nil sic animum fatigat, nil sic senium præcipitat. Itaque sæpe vir sapiens, spem perditam, lucrum vocat; seque infinita cupidine liberatum ab exspectationibus vanis, ad gaudendum bonis suis cogi gaudet. S. De euentu fors viderit; ego in spe gaudeo. R. Vide autem, ne quando forsitan in spe doleas, & optasse, & speraſſe, & sperata consecutum esse, pœniteat. Multos, quos suspēsa diu torserat, ad exitum spes ducta, pessūdedit. Multi votiuis; & valde licet nō sat seris lōgę spei periere successionibus. S. Nemo mihi tollat spē. R. Nemo tibi tollat tædium, ac

laborem animi. Audisti vetere dici solitum proverbio: Magnus labor, exspectare. *S.* Rei bonæ exspectatio blanda est. *RA.* Sed & fallax, & anceps, & anxia. Si hoc negas, nunquam aliquid expectasti; sed se fallentium inæstimabilis turba est, quibus ad id, quod agunt, nihil prorsus ineffícax, sese offert, nihil respuit, nulli se negat flecti facilis, & falli prona credulitas. Argumentum verò leuitatis ingens, atque amentiæ dixerim, passim obuias spes amplecti; & his illicò, certis vt bonis, pasci, ad quas docti omnes, & experti rerum tardi sunt. *S.* Bonam interim spem habeo. *RA.* Interim, dicis. Credo, dum te illa fefellerit; hic est enim mos; inuiti spem deponitis, nunquam illam relicturi, nisi vos illa relinqueret, quin quum vos sæpè reliquerit [mirum dictu] iterum atque iterum redeuntem, cupidè semper excipitis, progressíque obuiam, quasi obliti veterum, nauis armatam dolis, incluſi toties cordis arce reponitis. *S.* Spem horum vsque ad vltimum, non deseram. *RA.* Quid, si diu antè, illa te deseruit? An ne illam retrahes, an sequeris, an exspectabis, vt redeat? Age autem, spera, quando nihil est dulcius, quàm falli. Non ego tibi spem, quam mordicus tenes, eripiam; tantùm illud admoneo, non esse spem bonam, quam tu reris. Non est spes bona, quæ bonum sibi proposuit; sed quæ bene: Bonum quidem sperare, sceleſtissimi quoque homines possunt, immò & solent. Verè itaque bona spes est, quæ de vero bono ritè concepta est. Hanc qui habet, stringat, teneat, neque abire eam, vel in vltimis sinat, sororesque illi suas iungat, charitatem, fidem: hæc spes læta, dulcis, verax, felix est; quæque nec sperantem fallit, nec confundit, sed ad optimum prouehit, animumque inte-

interim, sperati boni anticipatione lætificat. At vos, seu verum bonum, malè meriti, speratis, seu malis, veris, falsum boni nomen imponitis. Iure igitur vestra exspectatio, antequàm veniat, mœsta est, mœstiorque cùm venerit. *S.* Humanum sapio, & de his loquor, quæ homines vocant bona. *R.A.* Huius nominis doctos olim inter homines longa lis fuit, quæ adhuc pendet, pendebitque æuum in omne, his vnum in rebus, contrà autem illis bona multa ponentibus. *S.* Linquamus ista philosophis. Ego, quæ vulgus dicit bona, spero. *R.A.* Malum igitur tuum speras, quod vel dilatione te cruciet, vel falce opprimat exoptato: fac succedat enim, quod ad corpus attinet, hosti arma paraueris, quod ad fortunam, variæ, & immitis dominæ subieris iugum, quo ad animum verò ipsum, magna etiam pars in cladem, ac perniciem verti queat; quoniam, quæ delectant animum, sæpe & lædunt. *S.* Ieci ego spei bonæ anchoram, nec mouebo. *R.A.* Atqui solent nautæ tempestate orta, nauis anchoram præcidere, si diuelli nequit, relictaque illa, fugam capere, non enim quod tranquillo mari, apud poëtam; Dente tenaci anchora fundabat naues; in magnis quoque pelagi motibus accidit, vbi non naues fundat illa, sed alligat, & naufragio vinctas tradit. Nec hercle aliter inter procellas humanarum rerum spes affixa, & tenax, multos in exitium traxit, qui abscissa vtique, & abiecta spe incolumes euasissent. Sæpe igitur subtrahenda spei anchora, vel si hæreat, euellenda; si ne quidem liceat, abscindenda rerumque sub fluctibus relinquenda est, vt liberam vitæ portam gubernaculo prouidentiæ dirigas ad salutis portum. *S.* Bene spero. *R.A.* Bene sperando

& malè habendo transit vita mortalium.

De Hæreditatis expectatione. DIAL. CX.

In mortem alterius tu spem tibi ponere noli.
Testator vitâ te superare potest.

SPES.

HÆreditatem orbi senis expecto. *R.* Mundo te tranquillum prædicabas, ipse tibi ne contrarius sis, attende; nunquam expectatio, tranquillitasque cohabitant; vix vllum vitæ tædium expectatione molestius. *S.* Expecto senis hæreditatem. *R.* Nescis, quid ille forsan expectet, est ea quidem inter homines vulgaris insania, vt ferè omnes, non coæuis tantùm, sed iunioribus quoque diutiùs se victuros sperent. Inuiti sua de morte cogitant mortales; de aliena autem libenter, cùm tamen contrarium agere esset vtilius. *S.* Senis hæreditatem spero. *R.A.* Quid si ille interim tuam sperat? Falli alterutrum est necesse. Quot autem senes inuenias, mortem iuuenum expectantes? Et sanè nemo tam senex, qui non possit annum viuere: nemo tam iuuenis qui non possit hodie mori. *S.* Hæreditatem orbi senis spero. *R.A.* Iustiùs hanc sperabat filius; iuniorem iustior spes elusit. *S.* Hæreditas orbi senis ad me venit. *R.A.* Quid scis, an ad illum tua? Caio Claudius, Neroni Galba, Domitiano Nerua, Commodo Pertinax successit, & successionum talium plena est hominum vita. *S.* Orbi senis hæreditas me manet. *R.A.* Quem non fallere possit volens, qui, quem noluit, fefellit? cui superuiuere nequeat, qui filio superuixit? *S.* Orbi iam senis elogio scriptus hæres sum. *R.A.* An in tabellis forsan adamantinis, vnde non facilè

ſe delearis? An ignoras, quàm leuibus cauſis teſtamenta mutent ſenes? Multis in ipſo vitæ exitu, quod per omnem vitam voluere, diſplicuit. S. Hæredem me vult orbus ſenex. R. Poteſt nolle. Nihil eſt autem indignantius orbo ſene, ac diuite; vbi ſua diligi, ſeque ſperni ſenſerit, actum eſt. S. Hæreditas orbi ſenis promiſſa eſt. R. A. Ea vtinam innocentia, atque ea mortalibus fides eſſet, vt & nunquam, niſi honeſta promitterent, & ſemper promiſſa ſeruarent. Nunc nec promittendi modus, nec promiſſa fallendi pudor vllus; quod in hæreditate potiſſimùm licere ſibi homines putãt. Itaque voluntatem teſtatoris ambulatoriam vocant; non te exemplis premam, nota res eſt. Legiſti [credo] quibus hoc accidit, non ſolùm vt viuentis promitteretur hæreditas, ſed ſupremo etiam morientis amplexu, & oſculo, annuliſque aureis donarentur, quod apud illos indubiæ ſucceſſionis indicium erat, cùm interim & hæredes alij, & eorum mentio penitus nulla eſſet in tabulis teſtamenti, tantum media de morte perfidia auſa eſt. Te ne igitur viuorum fraudibus immunem reris, cùm dolis morientum circumuentos legas, ſummos etiam, & illuſtres, viros? Nam [ne ſingulis immorer] genus hoc ludibrij paſſus eſt Lucius Lucullus vir ampliſſimus [quodque eſt altius] Auguſtus Cæſar. Horrenda, longeque mirabilis libido fallendi, quæ nefarias animas nec in morte deſtituat: ſed ſic eſt mos, & tu promiſſa in hæreditate ſpem defigis, quam fruſtrari poſſit, & vita longior teſtantis, & breuior fides; quamquam his ceſſantibus mutandi cauſa propoſiti, poſſit eſſe iuſtiſſima, ſuus hæres, noua ſeni oriens progenies. Siquidem octogenario maior, Cato filium genuit; nonagenario iam propior, Maſiniſſa. Idque

hac etiam nunc ætate noſtris ſenibus euenit, qui, vtinam priſcis illis, vt gignendi vi, ſic vigore animi pares eſſent. Quæ cùm ita ſint, hæres certè legitimus captatori obſtat, atque improbam ſpem præcidit. *S.* Iam teſtamento ſenis hæres ſum. *R.* Sed viuentis forſitan & victuri. Teſtamenta autem in vita fiunt, in morte firmantur, funus, & cadauer cogitas. Lupus quidem expectatione laſſandus, & inedia. *S.* Hæreditas ad me recto calle ventura eſt. *R.* Quid, quòd, vt teſtator, ſic hæreditas caſibus ſubiacet, vt neque ſemper, quem velis, habeas hæredem, & ſæpe nil aliud quàm inane nomen ſit hæreditatis? quid, quòd interim vaſto pretio parua res emitur, dum ſenem, & obſequium ſubmiſſum, & indignæ viro blanditiæ promerentur? Nulla eſt tanta vtilitas, quæ decoris impendio æſtimanda ſit. *S.* Nullo legum, aut fortunæ obice hæreditas ad me venit. *R.A.* Vnde id noſti? cùm ſit ſcitum illud Marci Catonis ſapientiſſimi ſenis dictum: Sæpè, inquit, audiui, inter os; atque offam multa interuenire poſſe. Eſto autem, nihil interueniat, ſed ad te ſperata peruenia hæreditas, non manebit tecum, ſed à te rurſus ad alios migrabit. Volubilia ſunt bona mortalium; rotundam nummi præcipuè formam dicunt, vt perpetuo rotetur motu. Quæſiuiſti hæreditatem ſucceſſori tuo mœſtus, forſitan gauiſuro, ſollicitus otioſo, & ſperaſti de alio, propter quod idem alij de te ſperent.

De Alchimia. DIALOG. CXI.

Imponit multis ars Alchimiſtica fallax;
Autorem inuiſum reddit & ipſa ſuum.

SPES.

SPero alchimiæ proſperos exitus. *R.A.* Mirum vnde id ſperes, quod nec tibi vnquam verè accidit,

accidit, nec cuiquam; &, si accidisse nonnullis fama fuerit, ab his ficta, quibus id credi expediret. *S.* Spero Alchimiæ successum. *R.A.* Et quem, quæso, præter fumum, cinerem, sudorem, suspiria, verba, dolos, ignominiam? Hi sunt enim alchimiæ successus, quibus inopem nunquam ad diuitias euectum, multos à diuitiis ad inopiam redactos sæpe vidimus. Non tamen illud attenditis; tam blandum est sperare, & falli; huc agit vos auaritiæ stimulis impulsa dementia, vt verum opi nemini, quod optatis, falsumque, quod cernitis. Notastíne aliquos prudentes in reliquis, hac insania laborare? quosdam opulentissimos hac vanitate consumptos? dumque opulentiores fieri student, & fœdo quæstui inhiant, bene parta prodigere, censuque omni in superuacuis effuso, tandem necessariis etiam destitutos; alios, ciuilitate deposita, mœstos semper, atque anxios, dum nec cogitare aliud, quàm folles, & forcipes, & carbones, nec aliis, quàm suæ hæresis conuiuere didicerunt, in syluestres penè homines euasisse: nonnullos denique, amissis primùm animi luminibus, in hoc exercitio corporeos insuper oculos amisisse? *S.* Promissum ab artifice aurum spero. *R.A.* Refert cuius artifex, quid promittat. Sunt, quibus promittentibus, nihil credi possit, eoque minùs, si promissum iusiurandi religione firmauerint. Sed, ô cœci; parúmne erat veris in metallis, quæ terra fert, furere, nisi vos mendacio defossa torquerent? Parúmne à virtutibus aberrasse, nisi errori damnum, damno labor, & labori pudor accresceret? Hic, qui tibi aurum sutum spondet, cum tuo auro improuisus aufugiet. Noui nihil narro; mos est publicus: & quanuis igne commissa fraus, sæpe igne purge-

tur: nihilominùs tu deluſus deceptoris tui ſupplicio non indemnior, ſed notior remanebis, digitoque monſtraberis auarus, ac ſtolidus flando exhauſtus, flammis afflatus, aſperſuſque fuligine. S. Magna mihi promittit Alchimiſta. R. A. Dic, vt ea ſibi præſtet, quæ promittit aliis; primumque ſuam pellat inopiam: eſt enim ferè mendicum genus hominum, cumque ſe pauperes fateantur, ditare alios volunt, quaſi aliena illis, quàm propria, moleſtior ſit paupertas. Sic vt miſeri, ſe alios miſerari dicere ſoleant impudenter, & ignotis etiam interdum magna promittere. O turpis promiſſio, & ô ſtulta credulitas. S. Alchimiæ artem didici, diues fiam. R. A. Immò quidem, ſi fuiſti, eſſe deſines. Ars nempè, quam memoras, nullam eſſe, niſi mentiendi artem dicimus, ac fallendi. Age autem, quando ita fert animus, & incumbe; prædico autem tibi, quod te lucrum ex hac arte maneat: Domus tua miris hoſpitibus, ac miris erit impedimentis plena. Erunt tibi eſores, & potores, idque haud immerito, quos ignis exſiccat, & cupiditas. Erunt ſufflatores, deceptores deriſores, omnis angulus habebit pulues, & lebetes, & phialas olentium aquarum; herbas præterea peregrinas; & externos ſales, & ſulphur & diſtillatoria, & caminos. Deque his omnibus tibi in finem curas inutiles, & ſtultitiam cordis, oris obſcœnitatem, & ſqualorem, & caliginem oculorum, ac ſollicitam conflaueris paupertatem: quodque his omnibus penè peius dixerim, circulatoris nomen, & nocturnis in tenebris atque infames interlatebras furum vitam. S. Spero effectum propoſiti votiuum. R. A. Sperare hinc forſitan, & geſtire dabitur, non gaudere. S. Ad propoſiti terminum propinquo. R. A. An Mercurium congelaſti? An quid aliud vanitatis? nunc

maximè à proposito longè es; semper rebus aliquid defuerit, dolis nihil.

De Promissis Aruspicum. DIAL. CXII.

Augurium mendax vani docuêre parentes,
Credens, dignus qui decipiatur, erit.

SPES.

ARuspices mihi multa pollicentur. *R.A.* Inueniſti ecce aliud genus hominum, cui ſi credas, ſemper pendeas, ſemper ſperes. Nam neque res vnquam aderunt promiſſæ, neque enim vnquam deerunt promiſſores; ſic res hinc profugas captans, hinc promiſſis impulſus, Ixionio ſemper more rotaberis. *S.* Spem bonam mihi tribuunt aruſpices. *R.A.* Non maius ſpem eſt credulo, quàm metum pauido inferre; conſtantes animi neutram in partem facilè inclinant. *S.* Multa vndique mihi promittunt mathematici. *R.* Nihil promptius, quàm promiſſis affluere iis, qui careant pudore; quos mentiri autem pudet, ad promittendum tardi ſunt. *S.* Læta ſpondent mathemathici. *R.A.* Sponſores quære alios, ſeu pignus, promiſſi fragile genus eſt; nudo verbo malè creditur. *S.* Multa promittunt mathematici. *R.A.* Quære, qui promiſſum impleat; ſatis eſt ſpem dediſſe; non poteſt vnus dare omnia. *S.* Promiſſis aruſpicum experrectus ſum. *R.A.* Conſopieris euentibus; nihil eueniet promiſſorum. *S.* Magna iubeor ſperare. *R.A.* Mirum, vt animus hominis, qui virtuti contumax eſt, vanitati verò nimis obediens. Vnum aliquid, idque optimum iubeat,

illa contemnitur, quicquid hæc iusserit, difficile licet, ac pessimum, paretur. S. Mathematici læta pronunciant. R.A. Miri homines futura qui nouerint, præteritorum, atque præsentium ignari, & quæ in cœlo fiunt, ita nuncient, quasi concilio cœlestium interfuerint, recentique nunc inde veniant memoria; cùm tamen interim quid terris, quid in patria, quid in domo, quid in thalamo suo fiat, nesciant. Sic penitus verum est, quod apud Tullium legis; quod est ante pedes, nemo spectat, cœli scrutantur plagas. S. Magna nunciat mathematicus insignis, & verax. R.A. Quò diuinus insigniora, & mentiendi libertas maior, & fides pronior mendacio est. Sæpe quidem mirari soleo, nosterque non immeritò miratus est Cicero, quid hoc in genere nouum, insuetumque accidit; vt cùm in cunctis hominibus multa vera, memorabili vno mendacio obscurentur: & suspecta fides in posterum loquentis fiat, in his contrà grauibus mille mendaciis, vna leuis, ac fortuita veritas, velum quoddam, & mendaci publico fidem quærit; si quando vel semel [quoniam nemo tam mendax vnquam fuit, quin quandoque verum diceret] nolens etiam, aut ignarus, vni bonum veri fortè aliquid effiuxerit, actum est; si casura hodie de cœlo astra denunciet, creditur. Denique sine vlla suspicione mendacij, mentiri potest omnia, quisquis semel potuit non mentiri. Vnum enim illud memorat præceps in futurum prominens, & præteriti sic oblita credulitas, ac deceptoribus suis fauens. SP. Diuinis læta nunciantibus credo. R.A. Furentibus credere, furor est. Certè quanuis hic Cicero videa-

videatur sensisse aliter, conuenientiùs huic rei nomen à Græcis inditum, quàm à vestris iudico. Latini enim à diuis, seu à diuinitate diuinationem, illi autem, quod est, manticen, à furore dixerunt. Vos fortassis ornatiùs, at illi veriùs. Hanc sacri doctores vno omnes ore condemnant; Ambrosius, Augustinus, cæteriqúe, qui si fortè [quando inter multos hic quoque mos pestifer inualuit, vt inter hos garrulos, in quæstione veri, ob ipsum professionis suæ nomen, suspecti habeantur, veræ fidei professores] auditi non erunt, cum omnibus idem sentientibus, qui sunt innumeri: & quamuis diuinationem improbent diuini viri, quid tandem causæ est, quídve suspitionis, vt non audiendus vnus, & in multis primus, ac maximus illorum Cicero videatur? Certè is totum hoc illusionum, ac fallaciarum genus damnat, ridet, ac despicit, & ad summam, omissis, quæ locus iste non capit, omnis non tantùm pia religio, sed vera quoque philosophia, & quę illam, calle suo sequitur poesis, nec sancti modò, sed etiam docti omnes hanc respuunt vanitatem; præter illos solos, qui vel hinc viuunt, vel ab his seducti, in eorum tendiculas lapsi sunt, quorum damnis, atque erroribus lucrum sibi, atque artem faciunt; in qua illud summum, ac præcipuum, obscuritate fraudem tegere; & sic biceps, ambiguumque responsum dare; vt prædictum videri possit, quicquid euenerit; quod omnibus futuri notitiam professis, in commune prouisum est; qua in re, non ars ipsa, quæ nulla est; non ingenium, quod sine literis, rerumque notitia, nudum est, sed illorum callidítas, & audacia, & impudentia ipsa mirabilis: vnde, quod festiuè admodum ait Cato ille rigi-

dus: mirari se, quòd non rideret aruipex, aruspicem cùm vidisset. Id ad omnes æque augures, aruspices, sortilegos, coniectores, Chaldæosque, & mathematicos, ac totam, quam dixi manticem, trahi potest: tam incertum est, an illorum fraus turpior, an ridiculosior vestra dementia. Illorum tamen argutiis, atque ratiunculis respondere facile: sed prolixum est, notumque adeò, tamque à notis, ac illustribus agitatum, vt non superuacua tantùm repetitio, sed temeraria videatur. Vestræ autem ineptissimæ vanitati, quid aliud dici potest, nisi dignos vos, qui ab homunculis non terrestribus modò, sed luteis, & nullius, nisi qua stultos ludant, notitiam artis habentibus, scientiæ insignis obtentu, & cœlo insuper authore fallamini. *S.* Persuasum est mihi prospera instare, quorum expectatio dulcis, & læta, & tranquilla est. *R.A.* Immò quidem amara, tristis, turbida: sed vos sensu perdito, de obiecto sensuum iudicatis. Persuasum sanè nullo negotio crediderim. Promptum est persuadere, volentibus: quibusdam persuasor necessarius non est: ipsi sibi sunt vates, & occursus animantum, volatusque auium, & garritus, lætum in augurium ducunt. At, si quoties te ista fefellerint, recogitas: si de hæc re vicinos interrogas, nisi vel tu vltrò te fallis, vel illi participes erroris quærunt, facilè deprehendes, quorsum his præstigiis credendum sit: nisi tres illi summi hominum, rerumque moderatores, Pompeius, Crassus, & Cæsar, iurati fortè, contrarium dicturi sint: quibus, quod constat magno quidem, omniumque familiarissimo teste Marco Tullio, Chaldæi omnes, aruspicesque promiserant, quòd præclaro fine omnes beati senes in patria

tria morerentur: idque, quàm verum fuerit, non expectas audire, ferro omnes: duo miserabiliùs quàm longissimè ab Italico, Romanoque orbe, sectis, fœdoque ludibrio reconditis veneratis illis, totoque diu formidatis orbe capitibus, reliqua inhumati, ferarum, & piscium morsibus, ac volucrum rostris expositi cœci, & lacerati, miserandum fortunæ spectaculum iacuere. I nunc, diuinosque vates nega, qui tàm certa prænuntiant. *S.* Gratum augurium notaui. *R.A.* O amentiam importunam: miser homo successuum notitiam suorum, quæ sibi nulla est, à volucribus sperat. Quid hoc stultius fieri potest? quia, si Diis placet, & Deiotarum regem visa aquila, impendenti præripuit ruinæ: & Agrippæ Hebræo instare carceris exitum finemque miseriæ, ac prosperitatis initium nunciauit supra verticem sedens bubo auis, alioqui infamis, cuiusque Vergilij carmine carmen ferale describitur. *S.* Lætum omen incidit. *R.A.* Omen ab homine dictum nomen, humanæ dementiæ argumentum est; quo aliquid semper, non externarum modò rerum, sed earum quoque, quæ in vobis sunt, animos in errorem trahat: ne deliramentis anilibus vlla pars rerum vacet. Itaque & sternutamenta seruorum, & natorum fortuitò lapsas voces, eò trahitis, non quò vis illarum, sed quò vestra cupiditas vocat: scilicet, quia Centurio ille dixit: Hic optimè manebimus: ne mundi caput transferretur, causa fuit: aut quia Persam periisse flens infantula, profecturo in bellum nunciauit patri, vinci Macedonum Regem consequens iudicatum est. O humana mens ebria, & mirabunda: quàm facili impulsu erroris in foueam ruis?

S. Læta aderant consopito. R. Mœsta aderunt experrecto. S. Læta dormiens videbam. R. Mœsta vigilans videbis. S. Felix eram per quietem. R. Misereris per laborem. Sæpè nihil somnia denunciant, & sæpè contrarium. S. Sæpè vera videntur in somniis. R. Quantò sæpiùs falsa. Par est autem huius & reliquarum huiusmodi vanitatum ratio, vnum casu incidens verum: innumeris falsis astipulantur venturoque inhians, præteritum mens non videt. S. Multa nunciant diuini. R. Impostores ego hos non miror, qui de more suo pascuntur artificio; sed vos stupeo, qui illorum ventri animas, & ingenia vestra submittitis; proinde, quid tu teneas, videris: si me sequi voles, expectabis æquaminis, & tranquillus, non quid astra de te, sed quid astrorum creator, ac regnator sanxerit: agens aliquid in dies ardentiùs, quo illius amore fias dignior. De euentu, non tibi veniat in animum sollicitare istos, quibus ignotior est veritas, quàm tibi; denique sic habebis, futura nosse durum homini: nec licere, si expediat: nec expedire, si liceat.

De Læto rumore. DIAL. CXIII.

Rumorum cupidus, mendacia multa necesse est
Audiat; est fallax fama, rotunda, leuis.

SPES.

LÆtus rumor insonuit. R. Noli famæ credere, mendax est. S. Multi lætos nunciãt rumores. R. Sæpe tutiùs vni creditur, quàm multis. S. Quod tot nũciis affertur, falsum penitùs esse nõ potest. R. Mos famę vulgaris not⁹ est, veris falsa miscere. Paucis veris multa mẽdacia cõ diuntur. Omnia mẽtiẽti nihil creditur. S. Rumoris author prim⁹ verax est. R. At nemo, quantũ audierit aut viderit referre

ferre contentus est : nihil est actum, nisi pro se quisque aliquid auditis adiecerit, aut visis ; quod cùm multi fecerint, actum breui mendaciorum videas aceruum, sic per manus [vt aiunt] traditum, inter manus etiam crescit malum, quodque ait eximius Poëta.

Mobilitate vrget, viresque acquirit eundo.

S. Hactenus lætissima fama est. *R.* Quid si mulcet, vt feriat? Sæpe lætum rumorem mœsta clades sequitur: creber hic fortunæ stilus, vt profundiùs vulneret, spem promittit, cuspidémque vulnificam læti cuiuspiam rumoris illitam dulcedine iugulo gaudentis infligit ; quod vir doctus intelligens, lætis nunciis non quatitur, hærétque immobilis, secum voluens vel contrarium esse vel idipsum, quod tam faustum videatur, in contrarium verti posse. *S.* Læto rumore moueor. *R.* Expecta saltem dum & certus sis; tunc quoque virilem animum rumusculis agi turpe est ; licet veris; falsis verò turpissimum. Multos gauisos esse puduit, verúmque mœrorem auxit falsi gaudij memoria.

De Filij, vel amici expectatione. DIAL. CXIV.

Sæpius exoptata ferunt fastidia nobis;
Nil magis optandum, quàm sine fine fides.

SPES.

SPero filij reditum. *R.* Speras gaudium sollicitum, & propinquum metum. *S.* Spero amicum reuidere. *R.A.* Rem prædulcem speras, sed fallacem; fragili res hominum statu tremunt; forsitan quem expectas, iam nunc obiit : potes hoc probasse, si vixisti. Impædimentorum mille sunt genera: vnum commune omnibus, mors. *S.* Amici conspectum exoptatum spero. *R.A.* Sunt

hæc ferè coniuncta, optare, & sperare, sed multis assiduè casibus disiunguntur: quàm multos credimus fuisse Romæ quã cupidis animis Marci Marcelli, huius vltimi reditum expectantes? Contrà autem, viæ medio, hostis illum crudelissimus expectabat; cuius potentior fuit immanitas, quàm victoris clementia, aduersarium ab exilio reuocantis. Potuit igitur Cæsar, precibus senatus, Marcello veniam dare: non potuit Marcelli cliens graue magis pati, vt is Cæsaris beneficio vteretur. *S.* Spero amicum, & expecto hoste quolibet carentem. *R.* Quis est hic hominũ hoste carens? vt sit aliquis priuatorum expers, aut publicis inimicitiis quisquã vacat? sicariorũ dico, & prædonũ, qui auaritia duce, bellum humano generi indixere. Finge aliquod tã benignũ sydus, vt hæc pestis terris exulet, alias quis arcebit? vehiculorũ, & equorum lapsus, fluuiorum, ac torrentium insultus, & ruinas pontium, ac tectorum æquoreásque, & aëreas tempestates? Adde ferocium incursus animalium, quib. non singulos tantùm homines Dicearchus curiosissimus indagator rerum talium, sed quædam hominum genera docet occubuisse. Et, ad summam, quot sunt casus humanarum rerum, quorum nullus est numerus, tot sunt hominũ hostes, qui spem tuam [non dicam] retardare possint, sed extinguere: vt nihil interueniat, Mors, quam dixi, & euntibus, & stantibus, vbique contigua est; nisi itineratibus eò fortasse vicinior & quò iter, & vectatio, & locorũ commutatio pluribus casuum generib. videtur exposita. *S.* Spero amicum, prospero exacto negotio, reuersurum. *R.* Quàm gloriosè, quàm prosperè res gesserat Drusus Nero, diui Augusti priuignus; vt omnibus etiã hostibus domitis charus esset, ita, vt eũ paulò minùs adorarent, quorũ

mirificos affectus erga illius memoriam, vsque ad hæc tempora, si vnquam Germanorum inter proceres fuisti, te sentire arbitror potuisse. Certè illa gesserat, quibus verè gloriaretur, quod Romanis in saxis, primis aliquot syllabas casu aliquo deiectis, nunc etiam sculptum viget his versiculis:

Ad diuortia Rheni
Peruasi, hostiles depopulatus agros:
Dum tibi Roma decus, aternáque ludo trophæa.
Hister pacatis lenior ibit aquis.

Talem hunc iuuenẽ qualiter expectabat mundi dominus Augustus, qui eum sibi filium fecerat amando, qualiter Liuia Augusta, cui natura illum charũ fecerat, chariorẽ virtus, chariſſimum, reor, fratris ignauia, qualiter deinde frater ipse, qualiscunq; erga alios, tanti certè fratris amantissimus, ad postremum qualiter Roma ipsa, atque vniuersa Resp. quæ de nullo tunc hominum, sic pendebat. Quidergo? Quis tã multiplicis spei finis? expectatũ Drusũ inexpectata mors abstulit, morbo, quod constat, raptus, &, quòd magni sunt authores, ex fractura cruris equo super labente susceptæ; qui viuus victor reuersurus sperabatur in patriam, exanimis est reuectus. Quid filium huius loquor Germanicum? Nullius, credo, vnquam hominis expectatio maior fuit. Non hunc pater, non Augustus, ambo iam defuncti, sed Roma omnis expectabat tanto desiderio, quasi totius vrbis vnus animus. ísque, & viduæ, & non nisi vnicum habentis filium matris esset. Itaque ad primum ægritudinis suæ nuncium attonita penitùs, ac deiecta ciuitas, vultúsque omnium, atque habitus mutati & mœstum tota vrbe silentium fuit. Vbi autem lætior fama, incertis licet authoribus superuenit, conualuisse illum, & viuere, subitus clà-

mor, atque feliciſſimus vndique ſublatus, ipſum quoque Tiberium excitauit, concurſuſque in Capitolium ingens factus, & penè conuulſæ templorum fores, ad perſoluenda vota, agendáſque Diis gratias, victa nocte luminibus, fractóque vocibus ſilentio, gratulando canentium, ſalua Roma, ſalua patria, ſaluus eſt Germanicus. Quis verò tandem rei excitus? Is nempe, qui humanis in rebus eſt creberrimus. Venit nuncius certior, obiiſſe Germanicum: hinc publicus dolor, ac gemitus, non edictis, aut diebus feſtis, aut vllis omnino conſolationibus coërceri quiuit. Nota eſt hiſtoria libro Cæſarum. iiii. *S.* Spero iuuenem filium reuerſurum. *R.A.* An hi parum iuuenes, de quibus dixi? accipe iuniorem: Marcellinus eiuſdem diui Auguſti nepos ex ſorore, quantùm putas expectaretur ab auunculo, qui eum ſic dilexit, vt Vergilianum illud carmen nobiliſſimum, quo ſummus vates adoleſcentis illius penè pueri memoriam honeſtauit, ſine lachrymis audire non poſſet, & actori ſilentium imperaret? Quomodo mater Octauia, quæ illum ſic amauit, vt vſque ad vltimum vitæ ſuæ finem, quaſi tunc extinctum, continuè deploraret, omnémque conſolatorem, non tantùm contemneret, ſed odiſſet? Quid hæc autem, & quid putas? niſi quod cæteri, non rediit, ſed relatus eſt; & Druſum quidem, non qualem acceperat Germania, Romæ, Antiochia Germanicum, Marcellinum Baiana reſtituit: veſtrarum expectationum ſors communis; tu tibi nunc aliam fingis, & fors veniet, quem expectas, qui, cùm venerit, fortaſſis vt abeat, & ſperare incipies, & optare. *S.* Amici abſentis aduentum ſpero. *R.A.* Quis miretur expectari viuos, cùm mortui expectentur, vt per perhi-

hibent? quod, nisi inter fatuos, veri faciem non habet, Arthusium Britones expectare fama est. Neronem principem mundi sub finem rediturum quidam somniant. Vita vestra ab initio ad extremum non modò vanis expectationibus plena, sed ipsa expectatio vana est. Id sic esse, si non vides, aut modicum vixisti, aut nimium, quid hic agitur neglexisti. *S.* Expecto villicum rure venturum. *R.* Aut domus arserit, aut messis euanuerit, aut pratum exaruerit, aut bos obierit, aut vites grando percusserit, arbores turbo conuulserit, arua torrentibus inundarint, aut apes auolauerint, locustæ satis insultauerint, columbos corui; & mures; pullos vulpecula, agnos lupus innaserit. Hi ferè rustici sunt rumores. *S.* Vxoris aduentum spero. *R.* Si hoc speras, quid iam metuas, ignoro. Sic est tamen. Sunt & qui expectant coniugem, & qui febrem.

De Expectatione meliorum temporum.

DIAL. CXV.

Tempora sunt eadem, frustrà expectas meliora;
Peruersis facimus moribus illa mala.

SPES.

SPero tempora meliora. *R.* Omnia verè tempora æquè bona sunt; quia creator temporum æquè bonus est semper. Sed vos temporibus bonis, malè semper vtimini; in hoc, vt in aliis, culpas vestras rebus ascribitis. Fac vt homines boni sint, & tempora bona erunt. *S.* Tempora hæc stare nequeunt, lætiora succedent. *R.A.* Nullum tempus stat, cuncta prætereunt; cumque transierint, nec redeunt: virtute, & industria, bonarúmque artium studiis frenari possunt: non quin fugiant, sed ne pereant: nihil est

autem dulcius bene impensi temporis memoria. Sed vos nulla re vti scientes, vt oportet; vbi omnem vitam, vel in somnum, ac desidiam, vel in solitudinem, atque vsus pessimos effudistis, tempus innoxium accusatis. Nunquid mentior? Infantiam, ac pueritiam in varios ludos; adolescentiam, ac iuuentam in libidinem, atque auaritiam; senectam, & senium in querelas, ac lamenta consumitis? Quænam hæc temporum culpa est? Fluunt illa, fateor: hæc natura est. Vos illa [dum datur] occupare negligitis; non est natura ista, sed culpa. Vos naturam culpatis, culpam excusatis: res non noua. *S.* Spero lætitiora tempora. *R.A.* Lætitia, seu tristitia temporum [vt dixi] non in temporibus, sed in vobis est. Eo autem, quo intelligis, non modò lætitiora tibi speranda esse, sed tristiora perpendes, si ad ætatem ipse tuam respicis, quæ in dies tristior [vt à poëta describitur] & plerisque in senibus inuenitur: & sanè, si oculos in terga reflexeris, & numerare, atque æstimare annos tuos cœperis, simul incipies desperare, quod speras. Non est, cur mutari cursum rerum speres; non meliora instant tempora, vereor potiùs; ne peiora: cur quæso? nisi quia peiores erunt homines, quod & magni diuinarunt viri & apertis indiciis res declarat; nisi vos mortales bonæ semper spei magnum aliquid de vestra nobili, ac modesta iuuentute concipitis: à qua ego quidem opinione longè absum: nihil enim boni penitùs mens præsagit, sic in vitium, ac ruinam prona sunt omnia. *S.* Mala sunt tempora, meliora venient. *R.A.* Omnem ætatem de moribus suis questam, inquit Seneca. Addo ego, omnem habuisse, quod quereretur, habiturámue omnem cunctis seculis, quod queratur.

S. Spe-

S. Spero lætiora tempora. R. Vna est ad hoc via, qua lætiora si habeas, non expectes. Fac ipse tibi lętiorem animum, quod sine virtute fieri nequit, vbi hoc feceris, læta erunt omnia, triste nihil. S. Meliora tempora expecto. R. Vt veniant quod est dubium, certè illis venientibus tu recedis. Quantò est tutius ritè vti præsentibus, quàm anxiè expectare, quæ vel fortè non veniant, vel minimè sis visurus.

De Aduentu principis. DIAL. CXVI.

Principis aduentus casto est iactura pudori,
Et nocet ingenuis aulica turba viris.

SPES.

PRincipis aduentum spero. R. A. Vt multa timentur, quæ optanda', sic multa sperantur, quæ timenda sunt. Vtranque in partem penuria iudicij multa est. S. Spero principis aduentum. R. A. Quantò sperare honestius libertatem? Nam profecto, qui dominum sperat, seruitutem sperat. S. Spero principem venturum. R. A. Et illius commune omnium malum speras. Fuit enim quando & principes imperium, & principem populi poterant sperare. Nunc imperium principi labor est, princeps populi pernicies. S. Principem venturum ego, & respublica speramus. R. A. Tu verò quid priuatim speres, videris: in quo ipso facilè falli potes: spes hæc reipub. stulta est. Quis enim, nisi amens, speret, aut cupiat, quod pestiferum toties sit expertus? S. Spero principem venturum. R. Et secum simul motus rerum varios, mutationes vrbium, noxias nouitates, famem, pestem, bella, discordias, hæc vel vniuersa, vel singula modernis cum principibus venire sunt solita. Si hæc placent, Principem spera, vt nil horum formi-

dabile sit, ipsum certè inane iam imperij nomen est plenum famæ, & rumorum: boni autem omnis effœtum, & solius vmbræ vetustatis innixum. S. Spero venturum principem. R. Ego te verò munitum velim, vt quoties aduentantem audieris, credas te tonitru aliquod præambulum fulminis audire, nec sperare incipias, sed timere potiùs, si etiá alterum labi oportet. Timere enim aduersa, etsi contrarium sit virtuti, consentaneum est naturæ. Sperare autem mala, & naturæ est oppositum, & virtuti. S. Spero mox principem affuturum. R. A. Cùm præsentem videris, scito te infaustum reip. sydus aspicere, vel memoriam ipse tuam, vel parentes interroga, tuósque auos, & proauos, ita esse reperies, vt dico, ídque tu filiis, & nepotibus tuis annuncia, ne ipsi quoque aduentum principis stulti sperent. Dic enim, quæso, quando vnquam vel minutæ leonis aduentum feræ, vel affuturam aquilam auiculę sperauerint? Liceat verum loqui, stultissimum, & mali sui semper auidissimum animal est homo, cæteris capiendis esca opus est, homo solis famæ sibilis capitur.

De Famæ spe. DIAL. CXVII.

Ne cures, quæ te post mortem fama sequatur;
Hoc age, dum viuis, sit tua vita proba.

SPES.

MEritis post obitū famam spero. R. Multi famam se mereri sperant, cùm infamiam mereantur, & ceu viatores erronei, dum accedere æstimant, retrocedunt S. Famosus sum in vita famosiorque post mortem ero. R. Est hoc fateor in nonnullis verum; vnde & Annæus Seneca in epistola quadam, habiturum se gratiam

tiam apud posteros vaticinatur. Et Statius Papinius præsentem famam, benignum iter suo operi ad futuros strauisse ait. Et Ouidius Naso sibi nomen indelebile futurum, séque ore populi legendum, perque omnia sæcula famâ victurum præsagit; neque hercle vllus horum fallitur. Sed quàm multos putas idem sperantes suam fefelliſſe spē? Multi hoc idem de se ipsis crediderunt, forsitā & scripserunt, nec, quod sibi promiserant, impleuerunt. S. Si famosus sum dum viuo, cur non famosior sum post mortem? R. Quia hoc quotidianum, & vulgare est, vt multi in vita famosi, & clari, post obitū sint incogniti, & obscuri: miraris? causa rei huius in promptu est, affabilitas quædam; sermo comptus, ac lepidus; blandum supercilium, clara frons, benigna salutatio, beneficia in vicinos, protectio in clientes, hospitalitas in externos, in cunctos vrbanitas: hæc, & his similia, viuentibus famam quærunt; ea verò mox, vt hinc abierint, non durant; nisi forsitan quandiu, qui illos nouerant supersunt; quod ipsum, quàm breue sit, conspicis; quomodo autem durarent non in solido radicata? naturale est, vt debiliter, leuitérque aucta breuiter dilabantur: vt sit fama durabilis, aut vitæ sanctitas, aut gestorum claritas, aut insignis scriptorum præstabit elegantia. Rarum decus. Loquaces isti, & vrbani, qui togati, ac gemmati populorum digitis ostenduntur, non nisi quantùm loqui poterunt, aut paulò ampliùs cognoscentur. Durum, hos apparatus, tam celeriter, & has pompas, hanc scientiæ nubem, hæc verborum tonitrua in tenuem fumum euanescere: durum, fateor, sed sic est. Nam nec ipsi de se testimonium præbuerunt, ambitioni, aut lucro, aut somno dediti, nec qui præbeat, merusrunt

S. Famam inueniam post mortem. R. Fama nihil vnquam mortuis profuit, viuis sæpe etiam nocuit. Quid enim perniciem, ac mortem Ciceroni, ac Demostheni, nisi insignis literarum fama conſciuit? Idem de Socrate, ac Zenone, & mille aliis dici potest; noti omnes. Quid verò, nisi fama scientiæ, & ingenij dedit causam filio Gnosij regis Androgeo, vt ab Athenienſibus mactaretur? Quid Oethę Colchorum regi Argonautas attulit, delectos [vt aiunt] viros, verè autem prædones, nisi fama diuitiarum? Nam quid significasse aliud credimus, famosum illud aureum vellus arietis, nisi opes multas, latéque vulgatas? quibus diuites bestiales, opúmque inopes verarum, velut arietes velleribus vestiuntur. S. Famosus ero. R. Vt sit ita, quid hinc magnum concipis? esset aliquid fortè fama, si notitia comes esset, vt plerunque accidit in viuis. Nunc quid laudari proderit ab his, qui te, si videant, non agnoscant. Dic enim quæso; si Homerum videas, & Achillem; si Vergilium, & Augustum, nunquid non ignoti abibunt? Cùm tam nota, & tam clara sint nomina. Crede mihi; Spes vestræ magna ex parte dupliciter vanæ sunt; quòd nec sperata proueniunt, nec vt proueniant; afferunt quod promittunt. Ferè enim plus in spe sunt humana omnia, quàm in re. Mittite igitur spes inanes, & vana desideria, contemptísque terrestribus iam tandem, & optare discite, & sperare cœlestia.

Di

De Gloria ex ædificiis sperata. DIAL. CXVIII.

In rebus fluxis quid tentas quærere nomen?
Quærenda est cæno gloria nulla tibi.

SPES.

EX ædificiis gloriam spero. *R.* Nesciebam calce, & arena, & lignis, & lapidibus gloriam quæri, credebámque, quòd rebus gestis, & virtutibus quæreretur. *S.* Ædificando mihi gloriam paro. *R.* Sed fragilem, & caducam. Omnia quę manu hominum facta sunt, vel manu hominum euertuntur, vel stando, & durando deficiunt. Habet enim manus longè prævalidas longa dies; è cunctis nostris operibus nullum, senio resistit. *R.* Euentibus ergò super quibus hæc tua gloria fundata est, ipsam quoque corruere est necesse. Si fortè non credis, respice ad antiqua, quæ ignota tibi quidem esse non possunt : vbi est nunc Troianum illud Ilion superbum? Vbi Byrsa Carthaginis? Vbi turris & mœnia Babylonis? Belluarum nunc habitatio, & serpentum. De Babylone loquor antiqua; altera nempè propinquior, atque recentior adhuc stat, citò itidem casura, si essetis viri. Vbi sunt denique illa septem opera Græcis scriptoribus celebrata? Atque [vt ad propinquiora veniamus] vbi est quæso, illa Neronis domus aurea? quæ quantùm fatigauerit Architectos, cogita; lectores etiã nunc fatigat, quæ quidem domus vna, cum aliis ędificandi furoribus, quibus omnes excessit, ad inopiam illum compulit, & rapinas? vbi sunt thermæ Diocletianæ, & balneum Antonianum, & Cymbrum Marij, & septizonium Seueri, & eiusdem thermæ Seuerianæ? Demum, vt summam, rerum attingam, vbi est Augusti forum, & ædes Martis vltoris, vbi ædes tonantis Iouis in Capitolio? &

Apollinis templum in palatio? vbi eiusdem porticus, ac bibliotheca Græca pariter, & latina? vbi porticus altera, & Basilica Caij, Luciique nepotum sub nomine dedicata, & extructa? & porticus tertia Liuiæ coniugalis, & sororis Octauiæ Theatrúmque Marcelli? Vbi tot opera, per illustres viros iussu eiusdem principis, & hortatu, multis vrbis in locis tanto labore, tantis impensis ædificata? Martij Philippi ædes Herculis, & musarum, Lucij Cornificij ædes Dianæ, Asinij Pollionis atrium libertatis, Munacij Plancij ædes saturnia, Theatrum Balbi Cornelij, Amphitheatrum Statilij Tauri? Innumerabilia, præter hæc opera, Marci Agrippæ? Néue eam per singulos, vbi sunt tot luxuriosa principum palatia? Quære in libris, inuenies nomina. Quære vrbem totam, aut nihil inuenies, aut perexigua tantorum operum vestigia. Tu de tuis, quid speres, videris. Certè Augustus omnium supremus, nisi aliud, quàm ædificia reliquisset, iampridem eius gloria corruisset, nec verò solùm templa Deorum, quę parauerat, in ipsos ædificantes ruere; sed pia etiam loca, hac ipsa ætate in eadem vrbe alia cecidexunt, alia tremuerunt, & nunc vix ponderibus suis stant, præter vnum Pantheon Agrippæ quod Diis erectum, Sancti possident, & Maria, quæ antiquissimam illam domum, sui nominis virtute, sustentat. Crede mihi, aliis quàm lapideis fundamentis eget gloria, vt mansura sit. *S.* Ex ædificiis gloriam quæro. *R.A.* Quære illam igitur vbi est; nihil vnquam inuenies, vbi non est; vera quidem gloria non est in mœnibus, neque in saxis. Sunt, fateor, rerum vulgò iudices, qui dicant tribus modis gloriam quæri; gerendo magnum aliquid, quod de te scribant authores idonei: vel scriben-

scribendo aliquid, quod mirentur & legant posteri vel insigne aliquod opus extruendo. Vt sit ita; vltimum tamen hoc, omnium, & minimum ac caducum. *S.* Relinquo opera ædificiorum, quibus moriens ipse mecum glorior, & à posteris gloriam spero. *R.* Gloriatus est Augustus ipse [de quo dixi] quòd vrbem marmoream relinqueret quam latericiam accepisset; quæ tum gloria, nisi aliis rebus adiuta esset, quonam fuerit peruentura, conspicimus: proinde cum melioribus curis morere, stabilésque spes amplectere. Ista etenim, quibus fidis, & nullius pretij sunt, & te illicò consequentur, ínque ipsam, vnde sumpta, terram reuertentur. *S.* Ædificaui domos, vnde laudem spero. *R.* Laudabunt forsitan, qui illas inhabitabunt. Breuis laus, & angusta; qui post venient, vel illas non inuenient, vel à paganis [vt vulgò dicitur] factas dicent; tuum nomen ignotum erit.

De Sperata gloria ex conuictu. DIAL. CXIX.

Optima cum iustis est conuersatio, qua tu
Perspicuum fama nomen habere potes.

SPES.

SPero gloriam ex conuictu. *R.A.* Refert multum, quibus conuiuas: sunt quidam, vtinámque non plurimi, quorum conuersatio sit infamis. *S.* Scio, nisi bonis artibus, aut bonorum contubernio, gloriam non quæri. Ego hoc vltimo subnixus spero, vel bonorum exemplo bonus fieri; vel, si nihil aliud, horum, vel familiaritatis solam gloriam mihi fore. *R.A.T.* Est id quidem in adolescente præcipuè signum optimum; qui, nisi bonum animum haberet, nequaquam iungi bonis optaret. Est enim amicitiarum, ac familiaritatum ferè omnium causa, nexúsque, si-

militudo quædam. Age ergò, si quos imitaris, æquaueris, bene erit. Si minùs; modò quod in te est, nihil omiseris, ipsa voluntas bona; laudis, & gloriæ præmio non carebit. Prima enim, & maxima pars virtutis est, bonum velle, quod nisi præcesserit, non sequitur virtus. *S.* Familiaritate bonorum glorior. *R.* Laudo id quidem, modò nec te lucri cuiuspiam, nec alia spes inducat, eóque tua tantùm pergat intentio, vt similis illis fias. Alioqui, quod propter gloriam solam fit, veram gloriam non meretur. *S.* Ex bonorum conuictu gloriam spero. *R.* Spes quidem magna, nec improba, quando & in scientia, & in eloquentia, & belli, pacísque artibus obseruando, & imitando fit. Multi olim illustres, ex conuictu illustrium euasere. Illud vide, ne aut tibi pro bonis ducibus malos elegeris, errore aliquo aut bonorum flebili raritate, & virtutum huius ætatis inopia prorsus assequi nequeas, quod intendis.

De multiplici spe. DIAL. CXX.

Spes animos hominum fallit, dubióque relinquit,
In Christum fortis spes sine fine manet:

SPES.

MVlta spero. *R. A.* Multa in spe, multa est vanitas; multúsque fallendi aditus fortunę. *S.* Spero multa. *R.* Spem multiplicē, multa destituunt. Qui modicum sperat iter casibus aestauit, atque non nihil obstruxit. *S.* Valetudinem bonam spero. *R.* Mortalitatis obliuionem. *S.* Spero longam vitam. *R.* Diuturnum carcerem, vbi multa feras, multa videas, quæ nolis. *S.* Mēbra viuacia. *R.* Vincla tenacia, grata tamē vnde metuat absolui. *S.* Formam corporis elegantem. *R.* Voluptatū stimulos. *S.* Annorum prosperos exitus. *R.* Pudendi materiam,

teriam, dolendiq́ue. *S.* Amicæ communem mortem *R.* Breue fœdúmque neſcio quid. *S.* Peccandi licentiam. *R.* Infelix gaudium, pœnitentiam longæuam. *S.* Vltionis occaſionem. *R.* Aditum ſæuitiæ, *S.* Agile corpus, ac validum. *R.* Mancipium cõtumax, & rebelle. *S.* Diuitias multas. *R.* Grauem ſarcinam, ex lappis, & tribulis. *S.* E diuerſis æquoribus venturas naues. *R.* Latè diſperſam ſortẽ intra mõſtra maris, ac ſcopulos; agitatam fluctibus, tractam funibus, pulſam ventis. *S.* Lucrum de conceptis mercibus. *R.* Eſcam quæ te perpetua ſollicitudine capiat, lucróque vnico in multa credulum damna præcipitet; mercator nouus eſt facilis ad credendum; expertus multa circunſpicit. *S.* Honeſtas filiæ nuptias filióve. *R.* Nulla fermè res tam crebrò fallit, & tam grauiter. *S.* Magnam potentiam. *R.* Inuidioſam miſeriam, opulentam inopiã; pauidam ſuperbiam. *S.* Regnum, & imperium. *R.* Præcipitium, & procellas, & ſubſtellanti diademate fuſcum ſupercilium, cor anxium, infelicem vitam. *S.* Honores fori. *R A.* Puluerem, & ſtrepitum. *S.* Coniugium, & natos. *R.* Litigium, & curas. *S.* Mihi militiam, & vxorem filio. *R A.* Tibi laborem, ac delicto pœnam. *S.* Vetulæ obitum vxoris, & coniugem iuniorem. *R.* Attrito laqueo diſſolui, vt nouo, & valido vinciaris. *S.* Ingenium, linguam, literaſque. *R A.* Incudem, malleum, & maſſam, quibus tibi atque aliis ſomnum frangas. *S.* Laudationem funeri. *R A.* Philomelam ſurdo. *S.* Auream Pyramidem. *R A.* Domum pictam cœco. *S.* Gloriam poſt mortem. *R.* Leues auras, poſt naufragium. *S.* Nomen apud poſteros. *R A.* Teſtimonium ab ignotis. *S.* Hæredem meum. *R.*

Patrimonio amicum tuo, & tibi
ne credas.

De Pace animi sperata. DIAL. CXXI.

Pacem animi veram nemo, quàm tu, melius dat;
Affectus prauos linque, quietus eris.

SPES.

ANimi pacem spero. Quid sperare mauis, quàm habere pacem? Hanc, mox vt bona fide velle cœperis, inuenies. *S.* Spero pacem animi. *R.A.* Pacem sperare bellantis est. Quis animo tuo bellum infert, nisi vnus tu? quod ipse tibi abstuleris, impudenter ab altero postules aut speres? *S.* Spero animi pacem. *R.A.* Vnde precor, aut quando speres, quod ipse tibi nunc potes dare? Sic vt illam tibi nemo alius, quàm tu possit eripere? Pone arma cupidinum, atque irarum plenam animo quæsieris pacem. *S.* Spero, pacem, & quietem animi. *R.* Quid igitur, quod agis aduersum pacis est, contráque tuam spem tantopere niteris: vix tantùm deberent niti homines, vt salui essent, quantùm nituntur vt pereant. Pluris penè bellum iuge animi: labórque emitur, quàm emenda pax esset, ac requies. Sic pugnant spes mortalium, ac vota cum studiis, vt non vnius hominis vnum pectus, sed multorum, eorúmque de omnibus dissidentium videatur. *S.* Quietem spero. *R.* Mirũ vnde vobis hæc libido sperandi semper. O mortale genus, siquidem quod speratis adepti estis, rursus spem in longinqua transmittitis, & inde rursus alio, itáne crastinus dies hodierno sit clarior, & meliora semper futura petentibus? Sunt nẽpe, quibus nil sit gratius, quã sperare, qui spem ipsam speratarum rerum nullis euentibus permutatam velint; quibus ego quid optauerim, nisi vt procrastinantes omnia, bonisque se suis interim

rim spoliantes, inter irritas spes senescant; quo vel sic intelligant, inaniter se speraſſe, & in tergum versi, videant frustrà se alibi quęsiuisse quod secum erat. S. Spero pacem, requiemque animi. R. Magna pars rerum humanarum vmbra est, magna pars mortalium vento pascitur, & insomniis gaudet. O quàm multi, cum hac spe ad æternos labores, & bella descendunt.

De Spe vitæ æternæ. DIAL. CXXII.

Est verus scopus æternam sperare salutem,
Si spes illa suis iuncta sororibus est.

SPES.

SPero ęternam vitam. R. Nulla maior, nulla pulchrior, nulla sanctior spes, modò non cœca præcepsve sit. Sunt enim qui semper malè agendo bonum sperent, quo nihil est stultius. S. Æternam vitam spero. R. Ea est virtutum consanguinitas atque connexio, sicut à philosophis disputatum est, vt necesse sit eum, qui vnam habet, omnes habere virtutes; cui illud est consequens, vnâ virtutum carentẽ cunctis carere virtutibus, quod si de moralibus verum est quid de Theologicis opinemur? Itaque si spem habes, charitatem simul habeas oportet, ac fidem; si qua harum desit, non iam spes vlla, sed præsumptio inconsulta est. S. Vitam spero æternam. R. A. Rem bonam, immò optimam speras. Illud vide, vt quod bonum agis, agas bene. Sunt & qui bona malè agant, nec minùs infallibilis æstimator qui qualiter, quàm quid fiat, aspicit nec minùs aduerbia quàm verba librat, ac nomina. S. Spero vitam æternam. R. A. Non cœlestes tantùm, sed terrestres domini de se speratri amant: sed à quibus? profectò ab his, quibus

se charos, ac dilectos sciunt; aut qui, si quando forsitan odiosi fuerint, ac rebelles, redire in gratiam optantes, ad misericordiam confugerunt. S. Vitam æternam spero. R. Vitam temporalem corrige; hac ad illam pergitur. S. Spero vitam æternam. R. Vna omnium spes est: quæ si ritè illam concipis, & felicem te faciet, & iam fecit. S. Æternam vitam spero. R. Primum est, vt misericordiam, dehinc vitam speres, vtranque sobriè, ac modestè. S. Spero æternam vitam. R. O felix, nisi te spes ista fefellerit.

Finis libri 1.

CLARISSIMI POETÆ, ET ORATORIS, FRANCISCI Petrarchæ, de remediis fortunæ aduersæ, Liber secundus.

PRÆFATIO.

EX omnibus, quæ, vel mihi lecta placuerint, vel audita, nihil penè vel insedit altiùs, vel tenaciùs inhęsit, vel crebriùs ad memoriam rediit, quam illud Heraclíti: Omnia secundum litem fieri: sic est enim, & sic

sic esse propemodum vniuersa testantur. Rapido stellæ obuiant firmamento: contraria inuicem elementa confligunt: terræ tremunt: maria fluctuant; aër quatitur; crepant flammę. bellum immortale gerunt venti: tempora temporibus concertant; secum singula: nobiscum omnia: ver humidum, æstas arida: mollis autumnus; hyems hispida. Et quę vicissitudo dicitur, pugna est. Hæc ipsa igitur, quibus insistimus, quibus circumfouemur, & viuimus, quæ tot illecebris blandiuntur, quàm [si irasci cœperint] sint horrenda indicant, terrę motus, & concitatissimi turbines indicant, naufragia, atque incendia, seu cœlo, seu terris sæuientia. Quis insultus grandinis? Quæ nam illa vis imbriũ? Qui fremitus tonitruum? Qui fulminis impetus? Quæ rabies procellarum? Qui feruor? Qui mugitus pelagi? Qui torrentium fragor? Qui fluminum excursus? Qui nubium cursus, & recursus, & concursus? Mare ipsum præter apertam, ac rapidam vim ventorum, atque abditos fluctuum tumores, incertis vicibus alternantes, certos, statutosque fluxus, ac refluxus habet: cùm multis in locis, tum conspectiùs in occasu; quæ res, dum manifesti motus latens causa quæritur, non minorem philosophorũ in scholis, quàm fluctuum ipso in pelago, litem mouit. Quid quod nullum animal bellis vacat? pisces, feræ, volucres, serpẽtes, homines; Vna species aliam exagitat: nulli hominum quies data: Leo lupum: Lupus canem: Canis Leporẽ insequitur. Est & canum stirps audentior; non lupis modò resistere, sed leones, pardos, apros, vrsos insectari solita, atque aggredi. Quorundam verò tam generosa ferocia, & tam nobilis fertur elatio, vt vrsos, aprosque fastidiant; inque solos elephantes, aut leones dignentur irruere; qualem vnum Alexandro Regi

missum, contemptúque tali mali cognito, contemptum, occidique iussum legimus; missumque inde alterum, probatúmque qua decuit, dilectúmque regi vince, atque in deliciis habitum. Nam ipsius canis erga hominem, cui fertur amicissimus, quanta sit charitas, nisi quam conciliat spes cibi, præter morsus, & latratus implacabiles, non tantum Acteonis fabula, sed discerptus verè probat Euripides. Vulpina fallacia, vna quidem ex multis audita est. Piscatores, cùm ad vrbem piscem deferrent, quod æstate libenter noctu faciunt, aliquando vulpeculam, ceu exanimen, calle medio transuersam habuisse; quam arreptam decoriaturi ex commodo, cum supra sarcinã proiecissent: illam, vbi se piscibus affatim implesset, subitò prosiluisse; mirantibúsque illis, atque indignantibus, effugisse. Iam qui [oro] alij in vulpium dolis? qui luporum vlulatus? quod murmur ad cauas? quæ coruorum miluorúmque circa columbarum domos, ac pullorum nidos vigilãtia? quod inter se, vt perhibent, naturale, atque æternũ odiũ. Alter alterius inuadit nidum, effractísque ouis, spem prolis interemit. Nam cuculo non vnus quidem, altérque est hostis. Omnes ferè auiculæ illi insultant profugo semper, & querulo. Quænam præterea, & quales mustellarum contra aspides insidiæ? Quod circa diuitum thalamos acumen furum? Quænam, ex diuerso, cuiusque pro se in suo genere excubiæ; quantáque, quámue vigil repugnantia est? Quis venatorum, quisue aucupum artes, ac laqueos? Quis piscatorum hamos, ac retia, horúmque omnium labores, vigiliásque explicet? aut hæc contrà, ferarum, auium, piscium ingenia; Quæ cuncta quid sunt aliud, quàm litium instumenta? Age, qui nam asylorum aculei, ve-

spa-

sparumque; hisque cum pestibus, quæ boum prælia? qui sudores? Nec maior canum; equorumque aut reliquorum quadrupedum pax, quiésue, Quæ muscarum æstiua tædia? Quæ niuium, quas muscas albas ludo dicunt, hybernæ molestiæ? Quæ murum perennis inquietudo; quæ pulicum pernox obsidio, quæ culicum lis diurna? quæ anguium, ranarumque cum ciconiis, quæ Pygmæorum bella cum gruibus? quas inter Arimaspos, & Gryphes pugnas excitat auri sitis; vt quorum maior improbitas, haud facilè iudicem; nisi quòd illi rapinam, hi custodiam moliuntur: illos auaritia stimulat, hos natura; idem & custodiæ studium, & prædæ, distantissimo mundi tractu, apud Indos inuenio. Illic quoque suum aurum, contra parem gentis auaritiam, formicis quibusdam, incredibili mole, & mira feritate tuentibus. Basilicus angues reliquos sibilo territat, aduentu fugat, visu perimit. Elephantem draco spiris implicat, seu perosis; est enim incertum. Vnde nonnullis animantibus inter se naturale odium, seu æstate algidum sitiens cruorem; quod & quidam tradidêre; & pugnæ exitus facit, vt credi possit. Si verum est, alterum exanguem, exiccatumque mori, alterum verò fusi hostis hausto sanguine, ceu bello victorem, victumque deliciis, & nimio potu ruptum, mortuumque procumbere. Multa præterea genus hoc, atque imprimis acerrimus epotæ dolor Hirundini; & visi, vel auditi muris fastidia ostendunt. Mirum dictu tantum animal, & tantarũ virium tam pusilli hostis horrere conspectum. Sed sic sine lite, atque offensione nil genuit natura parens. Leo ipse generosum, ac securum animal pro defensione fœtuum, ferrum spernens, neu fortè

visum terreat, nec aspiciens quidem rotarum strepitum vacuos currus agentium; & gallinaceorum cristas, quis non stupeat [si vera fama est] magisque etiam cantus; super omnia verò flammas metuere crepitantes traditur. Ea ergò huic generi lis propria est, præter illam communem feris omnibus venationem. Est & sua lis tigrib. raptæ prolis & profugi hostis ludificantes instantem atq; ingenio retardantis. Lupo vna semper cum fame perpetua, rusticisq;, ac pastorib. lis manet. Venenosa loquor, & ferocia. Quænam verò mansuetis gregibus est quies? Quantis nisibus, quantisq. odiis confligunt sues? Quantis armentorum duces? Quænã inter illos certamina? Quænam fugæ? Quæ victoris insolentia? Quis victi dolor? quæ iniuriarum recordatio? qui reditus ad vindictam? quis non legẽdo perpendit, vt poëtarum ingenia, & bellaces exercent tauri, & inter se aduersis luctantes cornibus hœdi? quid de aliis? Est lis omnibus vna: nilq; non secundum litem fit: & quando nouum ad præsepe hospes equus, quando pullus aduena quietũ cibum inter partes sumpsit? quis non illud aduertit gallinis fœtantibus, pro imbecilli familia: quantus ardor, Impatientia quanta sit? quanquam est id quidem commune omnium. Nullum tam mite animal, quod non amor sobolis, ac metus exasperet. Galli se calcaribus impetũt, & natura, & cruore rutilas cristas inter vulnera detinent, totis corporibus obnixi; tantum inuidiæ, tantumq. superbiæ paruo regnat in pectore, tanta vincendi cupiditas, tantus cedendi pudor est. Anatum atque anserum pertinaciam, quis nõ vidit? vt pectoribus se perurgent, clangoribus increpitant, alis diuerberant, rostris hærent. Et quidem in ferocibus minus miri; vsitatum enim, & commune est, vt animalia

malia maiora, minorum pernicies, ad sepulchrum sint. Fera feram, Auis auem, Piscis piscem, Vermẽ vermis rodit. Quin & littore volucres aquaticæq; quadrupedes, æquor, stagna, latus, & flumina animantur, exhauriunt, & infestant: vt mihi omnium inquietissima pars rerum aqua videatur, & suis motibus, & incolarum perpetuis acta tumultibus: quippe quæ nouorum animantium, ac monstrorum feraciſſima esse non ambigitur, vsque adeò, vt vulgi opinionem ne docti quidem respuant; omnes prope, quas terra, vel aër animantium formas habet, esse in aquis, cùm innumerabiles ibi sint, quas aër, & terra non habent. Et in his quidem fermè omnibus, præda, vel odium litem parit. Quid quòd his cessantibus, lis nõ cessat? Age enim in amore quantus zelus, quanta in coniugio dissonantia: quot querelæ, quantæ suspitiones amantium: quæ suspiria; qui dolores: quanta non dico, dominorum ac seruorum, qui non ideò minus infesti, quia domestici hostes sunt, cum quibus nulla vnquam pax speranda, nisi quam vel mors fecerit, vel paupertas, non dicam fratrum, quorum, gratiam raram ipsa veritas ore Naſonis testata est; non filiorum in parentes, quòd eiusdem poëtæ carmen canit; sed parentum, quorum opinatissimus est amor, quanta indignatio in filios, quos, dum bonos cupiunt, malos lugent. Atque ita quodãmodo, dum valde diligunt, oderunt. Et fraternum quidem, paternumq; vinculi nomen arctissimi, sæpe sine amore, interdumque cum odio videmus. Veniam ad amicitiæ, sanctum nomẽ, quod ab amando dictum, absque amore, nec esse certè, nec intelligi potest. Quanta verò in amicis, quamuis finium concordia, vicę tamen actuumque discordia? Quanta opinionum, atque consiliorum

conflictatio est? vt vix Ciceroniana diffinitio stare queat. Sic enim licet inter amicos beneuolentia, & charitas, deest tamen illa omnium diuinarum, humanarumque rerum consensio; ex qua ille diffinitionem conficit. Quid in odio speres igitur. Est & in amore odium, & in pace bellum, & in consensione dissensio. Ostendam tibi sic esse ex his ipsis, quæ assiduè in oculis sunt. Feras aspice, quas ferro indomitas omnipotens amor domat; intende animum; Leenæ, Tigres, Vrsæ, quanto cum murmure veniunt ad id, quod cupidissimè faciunt: non cupidas, sed coactas putes. Ferarum aliæ, dum coeunt, magnis stridoribus; aliæ rapidis vnguibus inquietæ sunt. Iam si credimus, quod de natura vipera magni scribunt viri quanta rerum contrarietas, quantumque litigium? Maris caput, sua quadam naturali, sed effrenata dulcedine in os viperæ insertum; illa præcipiti feruore libidinis amputat. Inde iam prægnans vidua cum pariendi tempus aduenerit, fœtu multiplici prægrauante, & velut in vltionem patris, vnà quoque, quàm primum erumpere festinante, discerpitur. Ita duo amantium prima vota, proles, coitus, huic generi infausta, penitusque mortifera comprehenduntur, dum marem coitus, matrem partus interimit. Apium aluearia contemplare; quæ illa concursatio? Quis strepitus? Quænam non modò bella cum proximis, sed ciuiles [vt ita dixerim] discordiæ, ad bella domestica? Columbarum nidos intuere; simplicissimum animal [vt memorant] felle carens, quantis, quæso, cum præliis, quantisque clamoribus vitam ducunt. In disciplinatis in castris, ac barbaris esse videare, adeò nec luce pacati aliquid, nec nocte quidem videas. Mitto ante insultus in alter-

utrum

utrum. Ipsum in se vinculo mutuæ voluptatis affectum par, eamque ob causam veneri sacrum, quantis querimoniis adoptatum fertur, vt sæpe columbam circuit, sæpe alis, rostroque persequitur suus amans. Ad minutissima te remittam, quæ non vt minor, sic & minus spectabilis, minúsue laboriosa materia est. Quænam ergò aranearum insidiæ, & quàm vigil intentio? Quæ captandis infirmioribus telarum scena, qui retium obtentus fallaciis, rapinis? Quid pannis tineæ? quid caries tignis, nocturnique vermiculi non sine tædio, & obtuso quodam sub strepitu trabium viscera fodientes? Illarum maximè, quibus cedendis lunæ, ac mensium obseruatio diligens sit neglecta, quæ latens pestis, vt fumosis tectis agrestium, sic auratis regum laquearibus insultat templis quoque sacratis, & altaribus, sacrisque opibus philosophantum non parcit; quin & librorum postes, & membranas, & literas. Addam, quod nisi pice liquida, leuique incendio sit occursum, nonnunquam periculi, vel naufragij etiam est causa: & maria ingredi, & carinas, nauium terebrare ansea sæpe bellum graue nescientibus intulit. Præterea quid Bruchus oleribus? quid segetibus locusta? quid messibus seu anser aduena? seu passer indigena? seu grus dormicilij translatrix volucresque aliæ, importunum genus? Vnde illud Georgicum Vergilij, quod mirari soleo, iam non miror, vt aues fonitu terreantur. Rure enim nunc Italico habitanti, vnum hoc, ex multis æstiuis tædiis, esse cœperit; sic mihi ad vesperam & insultus volucrũ, & lapidum collisio, & villici clamor durat. Ad hęc quid ericius vindemiæ? quid erugo herbis? eruca frondibus? talpa radicibus? quid postremo aeris,

horreisque Curculio? atque inopi metuens formica senectæ, vt ait ille. Quis feruor, & perexigui animantis inquietudo, vt dum brumæ suæ cōsulit, nostram turbat æstatem? Tardus essem ad credendum aliis, expertus scio, quanto non solum tædio, sed & damno sit puluerulentum illud, ac trepida semper expeditione festinum agmen; vt non tantum agros, sed arcas & thalamos, & promtuaria populentur. Iam credere incipiam Pisanis in finibus, castrum, quod haud longè amari nauigantibus ostenditur, formicarum scatebris, ac diluuio desertum. Tale aliquid Vincentinis quoque memorant in finibus. Et ego vel vtrobiq;, vel vbique fieri posse crediderim. Sic me nuper non agresti quidē; sed vrbana paulominus pepulerunt domo; vt ignis, & talcis ad extremum fugæ rerum remedio opus esset, Apuleioque fidem habeam, consumptum ab his hominem, & si desit mel. Mirarique me non negem, quid est, quòd quidam sollicitudinis exemplum proposuêre formicam. Alij de hac longos texuêre sermones, parsimoniā, atque industriam prædicantes. Bene hercle, si omnis sollicitudo laudabilis esset. Exemplum fortasse igitur prædonibus idoneum. Non his, quibus de suo viuere, sine cuiusquam iniuria mens est. At sollicitum animal. Quis nescit? Sed improbum, sed iniustum, rapto viuens. Nullius industriæ, nisi in malum, nullius vsus: at incommodi, tædiique multiplicis. Cur igitur hoc exemplum dederint, cur hoc animal laudauerint, dico iterum, miror; præcipuè cùm adesset apis industrium prouidentissimumque animal, nulli noxium, multis vtile, sibique & aliis arte quadam naturaliter insita, & suo illo nobili labore subueniens. Quid nunc ego damnosam eloquor

vber-

vbertatem, & excrescentium luxuriem foliorum? Contra quam peruigil excubat, & præduris vnguibus armatus agricola, & vltrici succinctus falce frondator? Quid lappas, & tribulos, atque annuam tempestatem renascentium stirpium, ac radicum, litium, ac laborum materiam immortalem? Quid imbrium bella furentium? & molesniuium, & vredinem pruinarum? & asperitatem, & violentiam glaciei, & torrentium impetus. & vaga fluminum incrementa? Totas sæpe regiones, & magnos populos, sed imprimis rusticorum sepia quassantium? quorum in tot malis vix terrestris, & in terra semper accliuis agitur vita. Atque vt delicatorum, ac diuitum de tædiis aliquid dicam. Quis nocturna auium bella non pertulit? Bubones, strigesque, & oblatrantium lunæ canum superuacuas excubias? & catas in tegulis nundinantes, ac tranquilla silentia horrendis occentibus, & clamore tartareo infestantes? & mœsti soricum occentus? & quicquid inter tenebras importunum strepit? His accedunt & nocturna ranarum coaxatio. & matutini planctus hirundinum, ac minæ; adesse Ithym putes, ac Tereum. Nam diurnam auium quietem; & cicadæ stridulæ, & procaces corui, & rudentes impendiunt aselli. & balatus pecudum, & mugitus boum, & magno pretio parua oua vendentium gallinarum concentus inconditus fine carens. Super omnia verò, vel suillus stridor, vel vulgaris clamor, & stultorum risus, quo inepto res ineptior nulla est [vt Catullus ait] Et ebriorum cantus, ac gaudia, quibus nihil est tristius; & litigantium querelæ, & anile conuicium, seu gannitus. Et puerorum nunc prælia, nunc lamenta, & nuptiarum vel conuiuia turbida, vel choreæ, & vxorum viros arctè lugen-

tium læti fletus. Et parentum veri natorum in mortibus eiulatus. Adde his, forti turbas, ac ſtrepitum, altercationeſque mercantium & ementium; hinc contemptus, hinc vendentium iuramenta. Adde hinc artificum laborem, voce mulcentium mœſtos cantus; hinc fidus lanas ac vellera conglobata pulſantium, iniucundam muſcam, & telas pectinis pererrantis. Hinc follium fabrilium raucos flatus, & acutos ſonitus malleorum quibus ſciſſa equis partibus hyberna nox additur, vt nullum vel quieti datum tempus, litibus ſit immune. Vt verò ſenſibilium rerum genus attingam. Quid vel cum ferro magnes habet? vel cum magnete adamas? quorum, etſi cauſa litis occultior, lis aperta eſt: Magnes ſiquidem ferrum trahit. Adhibe adamentem, trahere deſinet, remittetque, ſi traxerit. Vt vbique vis mirabilis, ſeu quod pigro & informi lapidi natura, quaſi manus, atque vncos dederit, aduerſus rigidum, ac prævalidum metallum, ſeu quod illos ſibi de lapide altero aſtante ſurripuit; quę non primæ litis finis, ſed noualis eſt, etſi hoc vltimum multi negent. Multi enim experiendi hactenus vel occaſio defuit, vel voluntas. Itaque nihil affirmo. Primùm verò nutum adeò, vt ne affirmari quidē ſit neceſſe. Verùm ergo breui nimis in tempore, & Auguſto in ſpacio, opus ingens, magno impetu, aggreſſus, iam hinc video ad hanc rem plus mihi animi eſſe, quàm virium. Nec mihi, nec cuiquam ſanè vnum hoc agenti, ex commodo facilè futurum, ſingula proſequi, quibus appareat omnia ſecūdū litem fieri; quam ſeu magna, ſeu parua, magno miraculo fiant, licet nondum tamen illud maximū, ſtupēdumque inter ſumma, & extrema naturæ prodigia numeratum attigi; ſed attingam paucis. Echineis ſemipedalis piſciculus, na-

uium

uium quamuis immensam ventis, vndis, remis, velis actam retinet; solus elementorum atque hominum vim retundens, nullo quidem actu alio, quã nauigij postibus adhærendo; nullo demum conamine, sed natura ipsa. Quod etsi scriptis illustribus insitum, è numero tamen incredibilium haberetur, si de oceano Indicio fortassis, aut Scythico scriptum esset, & non potiùs in nostro mari monstrum hoc Romanis Imperatoribus accidisset. Animaduersa enim morę causa, quod tota classe prodeunte, nauis vna, velut in anchoris staret, neque prorsus loco moueretur, dimissis pelagi expertis manu [vt dicitur] comperta veritas, & limacis instar piscis clauo insidens inuentus atq; ostensus est principi indignanti, tantum in se potuisse tantillum animal, idque vnum præcipuum admiranti, quod in nauigium receptus, tantam illam exterius inhærendi efficaciam amisisset. Nam illud alterum monstri genus non siluisse equidem, quàm affirmasse maluerim, cuius apud nos nescio quàm verax, sed noua vtique, & ob idipsum suspecta mihi est fama. Esse circa mare Indicum inauditæ magnitudinis autem quandam, Rochum nostri vocant, quæ non modò singulos homines, sed tota insuper rostro prehensa nauigia secum tollat in nubila; & pendentes in aëre miseros nauigantes aduolatu ipso terribilem mortem ferat. Quanta verò vis auaritiæ est, quæ neque aliis multis, neque hoc vno tam immani periculo à nauigatione deterritos, sequaces suos, prædæ auidos, prædã facit iam verò [vt de inuisibilibus aliquid ad incœptum traham] quanta commixione contrariorum fit votiua temperies: inter quas contrarietates aduersantium extremorum ad medium virtutis per quas differentias, quantaque discor-

virtutis, per quas differentias, quantaque discordia vocum, ad musicam concordia peruenitur? Denique quæcunque sunt, excute, & percurre animo cœlum, terras, maria, æquè in summo æthere, & in fundo pelagi, inque imis terræ certatur hiatibus; æquè in syluis, & agris, æquè in desertis arenarum, & in plateis vrbium lis æterna est. Ne enim varietate rerum ab incœpto deuiem, taceo, quod iam inde ab ipso mundi primordio, inter æthereos spiritus, in ipsa cœli arce pugnatum est; hodieq. in hoc tractu caliginosi aëris pugnari creditur; taceo quòd in illo cœlesti congressu victi angeli, victoribusque iam suis facti impares, dum in nos mortales terræ accolas vlciscì studeant, immortale nobis bellum tentationum variarum, durumque negocium atque ambiguum peperere; taceo quòd [vt omnia, & quæ sensu carent, & quæ sentiunt in vnum cogam] à supremo cœli vertice [vt dixi] vsque ad infimum terræ centrum, & à principe Angelo, vsque ad minimũ, & extremum vermẽ, iugis, & implacabilis pugna est. Homo ipse terrestrium dux, & rector animantium, qui rationis gubernaculo solus hoc iter vitę, & hoc mare tumidum turbidumque tranquillè agere posse videretur, quà continua lite agitur, nõ modo cum aliis, sed secum, de quo mox dicã. Nunc de primo agendum. Siquidem nihil mali est, quod non homo in hominem machinetur; vt cętera hominum mala vndecunque venientia, seu à natura, seu à fortuna, huic vni collata, leuia quædam incommoda videantur. Id enim verò, si ad plenum aperire voluero, id quod nolim, quodque à proposito longè est, & omnis humanorum actuum scena retegenda, & omnis æui historia retexenda erit, hoc vnũ dixisse satis sit. Quia si nulla vnquam alia

alia, quàm Romanorum bella, toto fuissent orbe terrarum, abundè bellorum esset, & litium. Adde sententiarum dissonātiam, & inenodabiles rerum nodos. Quis sectarum varietates, aut philosophorum bella dinumeret? Populorum, & regum prælia quieuere, Philosophi non quiescunt, & pugnāt illi de eo, quod cum huius esse cœperit, esse desinit illius. Hi de veritate litigant; quæ vna simul omnium esse potest, neque hanc litem aut quæsitæ veritatis splendor, aut academicus vnquam valuit finire. Carneades philosophicæ sequester pacis anxius, sed irritus, vt non ineleganter mihi quidem dixisse videatur Annęus Seneca, vbi horologia, philosophis confert, quòd scilicet par vtrisque discordia est. Idque quàm verum sit, quisquis & philosophis animum, & horologis aurem dedit, intelligere potuit. Nec verò aliorum doctrina tranquillior. Quæ grammaticorum adhuc sub iudice lis existens? qui conflictus rhetorum? quæ dialecticorum altercationes? quæ denique artium omnium discordię? qui clamores inter causidicos? quam bene cōueniat, ipsarum causarum immortalitas probat. De concordia medicorum, testimonium sit ægrorum. Vitam certè, quā breuē dixere, sępe suis libus fecere breuissimam. Quanta est præterea de sacris, & de religione difformitas animorum. Non tā literatorū verbis hominū, quā populorū armis, & campo sæpius cōmissa, quā scholę. Ita cū vnà sit veritas, vnumq. sit in rebus verum, cui [vt ait Aristoteles] omnia cōsonant, de hoc ipso tam dissonè pugnātes sententię, ipsos veri agitant professores, Quid de communi vita deque actibus mortaliū loquar? vix duos in magna vrbe concordes; cū multa, tū maxima ędificiorū, habituumque varietas arguit. Nam quis vnquā tā locupletis, delicatiq. pa-

tauerit? vt quod vni ſtudium fuit extruere, alteri ſit voluptas euertere. Teſtantur mutatę ſæpiùs feneſtræ, obſtruſa hoſtia, palamque vetuſtis in parietibus nouæ indicant cicatrices; neque in alienis id tantùm, ſed in noſtris patimur, ſua dum cuiuſque ſententia ſecum pugnans [quod ait Flaccus]

D. u- , ad ſcat, mutat quadrata rotundis.

Quo luce clarius fiat, quis noſtrum, quiſque cum aliis, quiſve ſecum ſit. Iam qui veſtium modus, quiſue habitus triduum totum noſtris durat in vrbibus? quæ municipiorum ſcita, non longeua eſſent cum ſuis latorib. deſierunt. Ad hæc quænam ducum in ordinanda acie? quænam magiſtratuum in ferendis legibus? quæ nautarum in capiendo conſilio diſparitas? quæue diſcordia eſt? Didici hoc ego vltimum magis ſæpè periculis meis, dũ mari, cœloq. mortem minirantib. nocte ſimul, ac nubib. cuncta terrarum ac ſtellarum ſigna tegentib. puppe iam fatiſcente, & ſemioppleta fluctib. nautæ, de ſumma rerum, media in morte, contrariis ſtudiis, atque opinionibus, obſtinatiſſimè litigarent. Adde in quib. ſine aduerſario lis eſt. Quæ ſcriptorum prælia, cum membranis, cum attramẽto, cum calamis, cum papyro? Quæ fabrorum cum malleis, cum forcipibus, cum incude? quæ aratorum cum ſtiua, cum vomere, ipſiſque cum glebis, & cum bobus? quæ militum [non dico] cum hoſte, ſed cum equis, atque armis propriis, dum & illi rebellant, & hæc prægrauant aut comprimunt? quid dictantibus, ſcribentibuſque negotij eſt? dum hos inexpletum loqui, multa cogit intentio: illos vel expleta percipere vetat, hinc inſcitia, hinc volatilis, & inconſtans animus, ſemperque aliud cogitans, quàm quod agit. Sed quid ſigillat imago. Nulla mechanicorum difficultatibus ſuis vacat

Reli-

Reliquæ verò, vt quiddam notæ dulcedinis, sic latentis amaritudinis multum habent, nilque eorum, etiam quæ delectant, sine lite agitur. Iámque infantum bella cum lapsibus; quæ puerorum rixa cum literis, amarissimè ferentium quod prædulciter metant? Quænam insuper adolescentium lis cum voluptatibus [dicam veriùs] imò quanta secum lis, affectuúmque collisio? Cum voluptatibus est nulla lis penitus, sed consensus est omni lite funestior. Credo expertus, nulli hominum generi, nulli ætati plus litigij esse, plus inextricabilis laborioſique negotij, nullos hominum tam lætos videri, nullos esse tam miseros aut tam mœstos. Postremò quænam fœminis puerperij difficultas, quantúmque discrimen? Quænam viris cum paupertate, atque ambitione luctamina? Quanta vitæ, plura, quam expedit, satagenis anxietas? quod denique illud senum cum ætate, ac morbis, propinquare mortẽ? quod omnium ipsa cum morte? quódque ipsa quoque est morte molestius, cum perpetuo mortis terrore certamen. Possem hunc sermonem mille rerum argumentis extendere. Sed si [vt libro superiore voluisti] sic epistolam quoque hanc prologi locum obtinere; & libri huius partem esse volueris, iam hinc video quantum hæc ipsa præfatio libri modum excedat. Itaque frenanda curiositas, & cohibendus est stilus. Ad summam ergo, omnia, sed imprimis omnis hominum vita lis quædam est. Verùm hac externa lite interim omissa, de qua paulò antè diximus, & quæ minor, vtinam, & ob id minus omnibus nota esset; Lis interior quanta est? neque enim solùm contra aliam, sed contra suam [vt dixi] speciem; neque contra aliud indiuiduum, sed

contra semetipsum; Idque & in superficie ista corporea, quæ nostri pars vilissima, atque vltima est, & in intimis animæ penetralibus quisque secum assiduè bellum habet: Nam corpus hoc quàm contrariis æstuet, ac turbetur humoribus, ab his quos physicos dicunt, quære: animus, quàm diuersis, quámque aduersis secum pugnet affectibus, vnusquisque non alium, quàm sese interroget sibíque respondeat, quàm vario, quámque reciproco mentis impulsu, modò huc rapitur, modò illuc. Nusquam totus, nusquam vnus secum ipse dissentiens, te discerpens. Nam [vt sileam reliquos motus] velle, nolle; amare, odisse? blandiri, minari; irridere, fallere, fingere, iocari, flere, misereri, parcere, irasci, placari, labi, deiici, attolli, titubare, subsistere; progredi, retroueti, inchoare desinere; dubitare, errare, falli, nescire, dicere, obliuisci, meminisse, inuidere, contemnere, mirari, fastidire despicere, simúlque suspicere, & quæ sunt eiusmodi. Quibus vtique nihil incertius fingi potest; quibusve, sine vlla requie ab ingressu, vsque ad exitum fluctuat vita mortalis. Quænam tandem illa passionum quatuor tempestas, ac rabies? Sperare, seu cupere; & gaudere, metuere, & dolere; quæ rerum inter scopulos, procul à portu, miseris alternis flatibus animum exagitant, quas alij fortasse, imò certè aliter, sub vno, ne integro quidem versiculo, & [vt Augustino placet] notissima veritate, Vergilius strinxit; de quibus ad vtramque partem, & plura quidem & pauciora dici posse scio. Verùm ego nec breuitati admodum studui, nec copiæ, sed quæ de communi vita hominum, quo se obtulerant ordine scriptis inserui; nec legentem vel inopia, vel fastidio fatigarem. Neque vero te mo-

noueat fortunæ nomen, non tantùm in ipsis inscriptionibus, sed in opere repetitum. Sæpè quidem ex me, quid de fortuna sentiam, audisti. Sed cum his maximè, qui doctrina minus fulti essent, hæc necessaria præuiderem, noto illis, & communi vocabulo vsus sum: non inscius, quid de hac re latè alij breuissimèque Hieronymus, vbi ait, nec fatum, nec fortuna: communis ergo acies suum hîc loquendi morem recognoscet. Docti autem, qui perrari sunt, quid intendam, scient; nec vulgari cognomine turbabuntur. Bipartiti sanè operis passionum, ac fortunæ, de parte altera, quæ visa sunt, diximus; de altera, quæ dehinc visa fuerint, dicemus.

De Deformitate corporis, Dialogus I. Dolor. & Ratio.

Si tibi dissimilis formam Natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

DOL.

EGisse mecum nimis illiberaliter naturam queror, quæ deformem genuit. *R.* O quot faces extinxit, quot occurrit incendiis. *D.* Deformem genuit natura. *R.* Non dedit, quod delectet. Si, quod prosit, dedit satis est. Mitte querelas. *D.* Non dedit formæ gratiã natura. *R.* Dare noluit, quod ægritudo corrumperet, quod senectus eriperet; dedit fortè quod mors ipsa contingere audeat. *D.* Formam corporis natura negauit. *RA.* Si formam animi largita est, maximi debitor exigui repulsam, illa menta despicio; & offensam speculi, conscientia solare. *D.* Inuidit, natura formam corporis. *RAT.* Non inuidit, sed erubuit dare quod quotidie minuatur, & pereat. Vera liberalitas mansuro munere noscitur. Putria,

& caduca auari etiam donant; forma fugax, & fragile naturæ donum, paucis ad vtilitatem, multis ad perniciem, nulli ad salutem verámque gloriam data est. *D.* Forma mihi corporis negata est. *R.* Rarò admodum forma insignis, honestásque, vno sub lare habitant; bene tibi accidit, si peiora excluſa, hospes melior tecum est. *D.* Nullum formæ decus obtigit. *R.* Quid hinc doles, aut quid penitus sanctum, piúmque animo voluis, in quod tibi necessariam, aut omnino vsui, & non potiùs impedimento esse corporis formam putes? Multos forma fecit adulteros, castum nullum. Multos per lubrica voluptatum duxit ad infamem mortem; qui deformes sine dedecore, periculóque vixissent. Et quid multos dixi? innumerabiles in discrimẽ, ferè omnes in crimen trahit. *D.* Cur me deformem genuit natura? *R.* Vt ipse te ornares, ac formosum faceres, ea forma, quæ tecum esset in senio, in grabatulo, in feretro, in sepulchro; essétque tua, non naturæ laus, aut parentum.

Pulchrius est pulchrum fieri, quàm nasci.

Illud enim casus, hoc studij est. *D.* Corporis multa deformitas me premit. *R.* Deformitas quidem hæc, apud quosdam infelicitatis quædam portio est. Tu crede dicentibus, non deformitate corporis fœdari animum; sed pulchritudine animi corpus ornari. Non te hoc igitur inhonestat, aut premit; sed honestandi animi materiam, assurgendíque aditum per virtutes aperit. *D.* Deformem natura parens genuit. *R. A.* Si deformem Helenam genuisset, vel [vt viros loquar] si deformem Paridem, fortasse Ilion adhuc staret.

D. De-

D. Deformis in lucem editus queror. *R.A.* Pauci boni, formam corporis amarunt, nullus optauit; quidam etiam proiecerunt; quod feciſſe laudatur ille Thuſcus adoleſcens, qui præclari vultus eximiam ſpeciem, quam ſuſpectam multis, aduerſamque famæ ſuæ ſenſerat, & pudicitiæ alienæ; illatis ſibi ſponte vulneribus deformauit; quàm tibi diſſimilis, qui id optes, quod ille ſibi abſtulit: & quo rari nunquam innocuè vſi ſint. *DOL.* Forma careo. *RAT.* Tutius eſt caruiſſe, quo in experimentum tui anceps, ac laborioſum, ſæpè venturus ſis. Multis forma nocuit, cunctos exercuit, quoſdam poſt inſultus varios, molliuit, & vinci faciles dedit, atque ab honeſtate tranſuerſos in culpam truſit. *DOL.* Deformis, & breuis nimium ſtatura eſt. *RAT.* Non eſt, vt reris, proſequendum querelis incommodum; longè conſpectior eſt ſtatura breuis, expeditior, agiliorque. *DOL.* Statura perbreuis eſt. *RAT.* Quid vetat, vt in parua domo, magnum virum, ſic in paruo corpore, magnum animum habitare? *DOL.* Corpus, exiguum eſt. *RAT.* Id ſcilicet lamentaris quòd te ipſo non es ornatus, ſed leuis, & facilis, & ad cuncta verſatilis. *DOL.* Perexiguum eſt corpus. *RAT.* Quis vnquam de exigua conqueſtus eſt ſarcina? Iuſta hercle dolendi cauſa, quod non preſſus mole corporea: ſed indutus neque ipſe tibi tædio, ſed vſui ſis. *DOL.* Contemptibili ſum ſtatura, *RA.* Vt glorioſum nihil, niſi virtus, ſic contemptile nihil, niſi vitium. Nullam virtus reſpuit ſtaturam. *D.* Exigua corporis ſtatura eſt. *R.* Non ſtaturam corporis virtus exigit, ſed animi: hæc ſi longa, ſi recta, ſi ampla, ſi magnifica, ſi decora eſt; ſit illa altera

qualiſcunque, nihil ad rem: non ſolùm domi, ſed ne militiæ quidem; niſi magis obeſſe, videretur. Noſti vt Marius, ſummus dux, non longos, ſed toroſos, & validos milites eligebat? Id quàm feliciter, quàm conſultò faceret, crebræ; & ingentes indicant victoriæ; habet corporum proceritas maieſtatis pluſculum, non vigoris. *D.* Breuis eſt ſtatura. *R.* Hæc non impedit, quin vir bonus, & magnus eſſe poſſis. Inſuper & Rex, ſi ſors tulerit, & Imperator. Etſi enim Africanus Scipio celſus corpore; Iulius Cæſar ſtatura fuerit excelſa: breui tamen Alexander Macedo, & Auguſtus Cæſar; nec eorum magnitudini breuitas obfuit, nec detraxit famæ. *D.* Vellem eſſe altior, & maior. *R.* Aſſurge animo, creſce virtutibus; maior eris, atque altior; hoc vtilius, hoc facilius incrementum. *D.* Cuperem eſſe formoſus. *R.* Diſce amare, atque optare meliora. Stultum eſt amare periculum ſuum; ſtultum optare, quod nullo ſtudio quæri poteſt. Nempe ſi contra naturam formoſus fieri ſtudeas, nil vltra profieies, quàm vt deformior videare. *DOL.* Formoſus eſſe nequicquam nitor. *RAT.* Nitere autem bonus eſſe. Id non fruſtrà enim facies. Hoc, inter multa; præcipuum virtus habet; quæri poteſt, eripi non poteſt; cùm reliqua in arbitrio ſint fortunæ; nec obſtante illa, quæri valeant, nec ſeruari. Sola virtus fortunæ legibus libera eſt, atque, illa obluctante, clariùs nitet.

In fragili quoties latet inclyta corpore virtus;
Sic aurum in vili sæpe iacebit humo.

DOL.

NAtura me genuit imbecillem. *R.* Vt in putri vagina ensis ferreus, sic fragili corpore fortis sæpe animus latet. *D.* Imbecillis natus sum. *R.* Non eris idoneus vectandis oneribus, aut auro fodiendo; sed honestis studiis, sed iustis imperiis. Sic in naui robustior quisque remum agit; at prudentior clauum regit. Vita, quasi nauis, rerum fluctibus, & mundi pelago iactata, suos remos habet suúmque gubernaculum: à vilioribus repulsus officiis, ad nobiliora conuertere. *D.* Imbecillem genuit natura. *R.A.* Quid si robustissimum genuisset? an perpetuum robur erit? an non robustior senectus, & robustior ægritudo? Vt sileam casus innumeros, qui repentè totum hominem debilitant atque eneruant. Animi robur optabile est, quod nec dies minuit, nec fortuna. *D.* Corpore imbecillis sum. *R.A.* Animum foue atque exerce suis artibus, quas meliores esse, diuturnioréque non ambigis. Laborem corporis linque, ruricolis, nautis, fabris. *D.* Nullæ mihi ab origine fuere vires. *R.A.* At id ipsum non habuisse, quàm perdidisse tolerabilius est. Nempe si fuissent, non mansissent. Nam & Milonis senuerunt vires, & Herculis senuissent: non sic Socratis, non Solonis, non Nestoris, non Catonis: melioribus vtere. Nil potest delectare magnum animum, quod non duret. *DOL.* Corpusculum imbecille est. *R.A.* Si organum inhabitanti animo sufficiens fuerit, satis est virium. Corpus nam-

que propter animi seruitium feciſſe naturam, nemo tam corporis seruus eſt, qui neſciat. Id ſi proprio munere fungitur, quid accuſas, ſeu quid amplius requiris? Nam qui ingenio fragiles; corpore præualent: hi belluis proximè accedunt, & ſæpè [quod miſerum eſt] aliis seruiunt. Sæpè verò [quod miſerrimum, atque vbi humanæ miſeriæ ſumma eſt] animum ipſi ſuum seruire corpori ſuo cogunt seruitute fœdiſſima. *D.* Corpus inualidum eſt mihi. *R.* vera, & generoſa vis hominis in animo eſt. Corpus eſt quaſi quædam domus animi; quàm robuſta; quàm fragilis, nihil ad hoſpitem, paucorum præcipuè dierum; modò ne corruat; tunc migrandi neceſſitas in aliud, ídque perpetuum domicilium, hinc excluſos, transfert. Plus dicerem, ſi plus capere poſſes, nec vulgari ſtrepitu prorſus obſurduiſſes. Corpus ipſum non animi domum eſſe, ſed carcerem; nec amicum certè, ſed domeſticum hoſtem; cuius tibi fragilitas ſit optanda, quo tu liber maturiùs ſis, ac victor. *D.* Nullæ ſunt mihi vires. *R.* Nullæ penitùs, dum valeas, non ſunt. Quod ſi non vales, alia eſt querela. Non ergò nullas vis dicere, ſed paruas vires. Non es robuſtus, vt ille coætaneus tuus; neque is, vt ille alius; neque ille, vt bos, & elephas. Suus cuique virium modus eſt; cuique, quod ſat eſſet, indulgentior natura diſtribuit, parens optima, & ſuorum fœtuum amantior, quàm quiſque ſui. Non poteſtis de defectu queri; de imparitate querimini, turbidum genus, & querulum; qua ſublata; mundi decor intereat, neceſſe eſt. Sic quod optimum eſt in rebus, id fortis ægerrimè.

De

De Aduersa Valetudine. DIAL. III.

Nonnunquam reddit validam ægretatio mentem,
Corpore, mens valido, vix generosa manet.

DOL.

AT aduersa valetudo est. *R.* Quod expectabam, audio: cognatæ etenim sunt; querelæ. At si caro spiritui hostis est, viciſſimque contra se militant; quod in se expertus ille magnus veri amicus, in omnibus verum dixit; consequens est, vt quod alteri obest, prosit alteri. Quod si spiritus carne nobilior, meliorque est, cui maximè sit fauendum, vides; ac fortassis intelligis valetudinem, quam aduersam dicis esse prosperrimã. *D.* Inualida valetudo est. *R.* At est valida hortatrix parsimonię dehortatrixque libidinum, & magistra modestiæ. *D.* Mala valetudo corporis. *R.* Si valetudo animo bona est, pone sollicitudinem; quicquid corpori euenerit, saluuses. *D.* Corpus ægrum, infirmumque est. *R.* Multis ad salutem animæ profuit corporis ægritudo. Ille vir altus, ex humili, ex aquis vectus ad sydera; cœliqúe clauiger effectus, cuius vmbra sola morbos corporum, moleſtiásque pellebat: interrogatus aliquando, cur filiam ipse suam graui morbo preſſam sineret? respondit: Sic expedit ei. Tu quid scis, an & tibi sic expediat? Diu corpore, sic affectus sum. *R. A.* Ille idem, de quo loquor, filiam mox vt tutò sanam fieri posse cognouit, & sanauit, & sanandis aliis habilem fecit. Et tu facito, vt secura tibi sanitas tua sit, fortasse sanabere. Denique [quod tuum est] animum cura, cœleſtiq; medico curandum offer. De reliquo vnum hoc intrepidè dixerim, etsi non quodiuuat, at profectò quod expedit, spera. *DOL.*

Valetudo anxia est. *R.* Est quæ obliuionem, somnúmque discutiat, & torporem abigat. *D.* Valetudo infirma est. *R.* In infirmitatibus gloriare, & virtutem perfice. Duo hæc vnius mágistri ore didicisti. *D.* Valetudo misera est. *R.* Comes iniucunda, sed fidelis, quę te crebrò vellicet, iter signet, & conditionis admoneat: optimum in periculis monitor fidus. *D.* Valetudo corporis extrema, sine remedio est. *R. A.* Sile, & gaude ruinoso carcere vinctum te: egrediere facilius, ac citius.

De ignobili patria. DIAL. IV.

Si præbet patria obscuros ignobilis ortus.
Fac virtute tuam nobilites patriam.

DOL.

IGnobilis patriæ ciuis sum. *R.* Esto tu nobilis. Nam nil vetat: nihil cum patriæ tuæ nobilitate, tua nobilitas mixtum habet. *D.* Paruæ vrbis incola sum. *R.* Et magnæ vrbes paruos ciues habent; immò ferè ex his constant; & paruæ magnos quosdam habuere. Quin in syluis abiectus; ac nutritus Romulus, omnium vrbium reginam vrbem Romam condidit, quam euertere voluit in maxima vrbe genitus Catilina. *D.* In exigua patria natus sum. *R.* Magnificare illam stude. Nihil æquè ciuitates amplificat, vt ciuium virtus, ac gloria. Qui hoc ædificiis, aut fertilitate melius, atque opibus fieri putat, fallitur: vt singulos viros, sic & vrbes & regna, & imperia, non vetustas, non turres, ac mœnia; non plateæ, non palatia, ac templa marmorea; non statuæ, non picturæ, non aurum, non gemmę, non campi legionum, & classiū pleni portus; non peregrinis referta mercibus emporia, & lucri amore

more æquor omne sulcatum ; non postremò ciuium forma, vel numerus ; non rerum copia, exundánsque cibi forum ; non purpureæ chlamydes virorum, onustæque miris cultibus : non fastus, non deliciæ, non voluptates : sed virtus sola nobilitat, gestarúmque rerum fama, quam viri pariunt, non muri. *D.* Parui municipij ciuis sum. *R.A.* Nescis Biantem Prienæum fuisse, Pythagoram Samium, Anacharsim Scytham, Democritum Abderitem, Aristotelem Stagiritem Theophrastum Lesbium, Tullium Arpinatem? Chous Ægei maris breuis insula, & poëtam non ignobilem Philitem tulit, & medicorum patrem & sculptorum, ac pictorum principes, Hyppocratem scilicet, & Phydiam, & Apellem, vt intelligi possit, ingeniorum magnitudini locorum angustias non obstare. *DOL.* Ignobilis est patria. *R.A.* Nobilitare tu illam, pro virili parte, si velis, potes: cùm te illa facere non possit ignobilem. Nec Numæ quidem Pompilio ad Romanum regnum, nec Septimio Seuero ad imperium obstitit soli natalis humilitas. Summo hominum Augusto, etsi recens Romana, quia ipse scilicet in palatio natus sit, origo tamen gentis antiquior Veliterna est. Caio Antium, Vespasiano autem vici incogniti Reatini. Contrà verò Lariseam famam vulgauit Æacides, & Pelæum à seculis fuscum nomen, atque humile, quod Philippus erexerat, Alexander ad cœlum tulit. Non satis est ciuibus obscuritatem patriæ non noscere, nisi ciuium claritas patriæ prosit. Asilum ignobile, atque opus pastorium Roma fuit, quæ non antè clarescceret, quàm res illam gestæ, & suorum virtus excellens ciuium illustrasset. *D.* Obscuræ patriæ sum addictus. *R.A.* Lumen

virtutis accende, quo inter tenebras enitescas, in quibus hoc saltem boni erit, vt vel parua luce clarissimus videare, sic vel illa te clarum faciet, vel tu illam. *D.* Humilis patriæ habitator sum. *R.* Esto & tu humilis, habitatórque tui animus humilis sit. Habes publicę matris exemplum: ne te nido latiùs extendas, nisi his tantùm quas tibi virtus alas fecerit. His enim vti licitum; vsosque feliciter complures modò diximus. Proinde mortalis hoc saltem insolentiæ frenum tene. Quidam de sola patriæ nobilitate superbiunt. Stultum genus.

De Originis obscuritate. DIAL. V.

Est melius clarum fieri, quàm tempore nasci,
Virtutem, si vis nobilis esse cole.

DOL.

OBscuris parentibus natus sum. *R. A.* Non est forsan, vt tu reris, odiosa conditio, nescio an & optabilis, ignobilem nasci; vt tranuis vitæ viam spectes. Nam seu voluptatibus obsequi, vulgíque vestigiis tritum iter sequi statuis, excusabilior fies, ducibus domesticis carens error, cessabitque improperium illud acerrimum degenerantium à parentibus claris, eò quòd nulla tibi domi sit claritas quam obscures. Sin virtutis semitam raro pede signatam eligis, eò clarior fies, quò maioribus tenebris pressus, ac circunuentus emerseris; tota claritas tua erit, rerum particeps tuarum, nullus occurret. Nullam partem gloriæ decerptura erit imitatio. Nihil tibi parentes eripient, nihil aui, proauíque. Nihil consiliarii, ac magistri. Quicquid bene gesseris, solus inde famam metes; solus inde laudaberis, solus author generis, fundatórque vocaberis,

caberis; quod non fieret, si nobilis natus esses. Vides ne igitur, quanta tibi nouæ laudis occasio data est? Nobilem per te fieri, & nobilitatem dare; non accipere. Dabis hoc posteris tuis, vt nobiles nascantur, quod parentes tibi non dederunt tui. Plus est multò nobilitatem fundare, quàm fundatam ab aliis inuenisse. *DOL.* Noua & rudis origo est. *RA.* Atqui clarior est habitus ille pastorius vrbis Romæ conditor, quòd syluis arcem posuit, & facili culmo exiguam, ac squallentem regiam texit, quàm tot postea principes, qui ingentia mœnia testudinésque marmoreas, atque aureas erexere, tanta semper nouitatis egregiæ ac magni principij laus est. *DOL.* Ignobili primordio genitus sum. *RA.* Stude vt fine sis nobili. De principiis enim labor, de fine fructus: qui si immaturus carpitur longæuus esse non potest. *DOL.* Radicem gloriæ præcidat ignobilitas. *RA.* Non præcidit quidem, sed infodit altiùs, vt validior, licet serior surgat. Cæterum non ignobiles modò, sed ignotos ex omni genere hominum dabo, qui virtute, atque industria euasere, notissimi. Et sanè, si verum nobilem virtus facit, non intelligo, quid quemque volentem fieri nobilem impediat, aut quid ita facilius nobilitate alios, quàm seipsum. *DOL.* Ex ignobilibus parentibus descendo. *RA.* Quid Socrates, Euripides, Demosthenes? quorum primus marmorarium patrem habuit, obstetricem matrem, fecundus matre, parétque, vltimus non solùm humilibus sed incertis, Vester ille Vergilius rusticanis parentibus fuit. Nec se libertino, ac præcone patre natum Flaccus erubuit. Ambo tamen ad insignem gloriam, & summi principis gratiã peruenere, vsque adeò, vt cui reges omnes col-

la ſubmiſerant, cuius è manibus magna omnia poſcebantur, atque vnde omnium fermè mortalium, præcipuæque nobilium ſpes pendebant; cuius demum familiarem promeruiſſe notitiam, ſummis licet hominibus, ſummum erat. Ipſe horum duorum ignobilium, quos Romam, ſcilicet Mantuanum, Venuſinúmque rus miſerat, amicitiam, & conuictum, ceu grande aliquid, blandis, ac dulcibus epiſtolis flagitaret; & quàm multos tunc in palatio nobiles, vt ſæpe ſunt, inutiles, atque indoctos credimus fuiſſe, quibus horum nobilis ignobilitas, atque inuidioſa [nec immeritò] videretur? *DOL.* Parentibus ſum obſcuris. *R.* Non mouent animum hæc exempla. Altioribus agam. Marcus Cicero, vt de illo ſcriptum eſt, ex ordine natus equeſtri, de radice humili, per egregias artes, pérque honeſtos gradus, ad conſulatum venit; quo neſcio an alter vnquam ſalubrior Reipub. conſulatus fuerit. *DOL.* Ruſtica & ignota parrum ſeries eſt mihi. *R.A.* Sordent hæc, vt video. Altius etiam nunc aſpiras. Certè & Marius ruſticanus vir, ſed verè vir [vt conciuis ſuus ait Cicero] diu arator apud Marſos fuerat, Romæ ſepties conſul fuit. Tanta gloria, vt bis Italiam obſidione, & metu ſeruitutis liberaſſe eum, compatriota licet idem ſuus, verè dixerit? & Marcus Cato plebeiæ vir originis, paruique oppidi diu quidem obſcurus incola, poſt in maxima vrbe clariſſimus aduena, mox ciuis eximius, & conſul, & cenſor fuit. Si ne id quidem ſatis eſt, & fortaſſe regnum cogitas, profectò neque illud ſperare ſuffragio meritorum, humilitas vetat originis. Tertium, & quintum; & ſextum Romanorum regum ad memoriam refer; Tullus Hoſtilius, vt probati perhibent authores, etſi

etsi apud alios de illo, tale nihil scriptum sit: infans in agresti tugurio educatus, in adolescentia pastor fuit. Tarquinius Priscus pante negotiatore aduena, nec Italicæ insuper originis. Seruius Tullius, serua, quamuis [vt alii volunt] captiua quidem, alioqui vero nobili matre natus, virtute regnum Romæ meruit. Nec miraberis, si Platonicum illud tenes: Neminem regem non ex seruis, neminem seruum non ex regibus descendere. Sic res hominum longa ætas, ac fortuna permiscuit. Sileo cæterarum reges gentium, è pecudum gregibus, viliſſimarúmque artium tabernis ad inopinum subitò diadema prouectos. Alexander Macedo Hortulanum in Asia regem fecit. Et fuit, ex illis actibus laudatis, iste non vltimus. Contraque alios sileo, è regni fastigio, ad seruitium vsque prolapsos. Sic suas res fortuna moderatur; tamen plurimùm potest virtus. Per illam tutò conscenditur ad supremos gradus; cuius calle deserto, sciant reges se in tremulo stare, neque descensum modò instare, sed ruinam. Quænam igitur [vt ad te redeam] ista calamitas nascendi, cui nec spes regnandi eripitur, nec successus. *D.* Obscura de radice prodeo. *RAT.* Omnis radix obscura, & squalida est; vnde tamen & floridi & frondentes rami prodeunt. Non vnde quicquam prodierit, sed quale sit, quæritur. *DOL.* Parentibus infimis natus sum. *RA.* Sentio; summum ad imperium stilum vocas. Septimius Seuerus, de quo suprà diximus, equestris & ipse ordinis, Ælius Pertinax & ipse Libertini filius, & lignorum, vilis vtique negotiator mercis, vterque Romano præfuit imperio, cui & Philippus pater, ac filius Arabes humillimi generis & Maximus & Maximinus præfuere. Obscuriſſi-

mis illeparentibus, ac barbaris, quorumque, cum arrepto imperio, impuderet. Hic ferrario an lignario patre genitus, incertum. Certè Vespasianus inter bonos principes numeratus, è non clara stirpe clarissimus, & rempub. gessit eximiè, & duos ex ordine filios successores Imperij, virtutis vnum habuit: quamquam quid minora prosequitur? Cum super ipsius Augusti Cæsaris origine ambiguitas multa sit. Summa est, humanæ cursum sortis, originem non præuerti; vndecunque licet assurgere, seu fortuna manum porrigat seu virtus. *D.* Humile nimis, atque infimum genus est. *R.A.* Quod ad humanæ potentiæ gradum spectat, exempla posuimus, quibus iam ini altiùs non possit: vnum restat, non imperio, aut regno, seu suapte alia quadam maiestate memorabile. Ventidius Bassus Asculanus matre humili, patre ignoto capta patria, iam pubes in triumpho Cnei Pompeij, trabonis, qui Pompei magni genitor fuit, inter captiuos alios ductus; idem postea, variante fortuna, dux populi Romani contra Parthorum regem, & antiqua potentia & recenti victoria insolentem, felicissimo pugnauit euentu, & filio regis interfecto: cæsisque hostium legionibus, quod ad eum diem nulli Romanorum ducum fata permiserant, insignem illam Romanorum stragem, & Crassorum mortem magnificentissimè vultus, ipsum, in quo victus, alienos currus ornauerat, ac carcerem vinctus intrauerat, victor ac triumphans Capitolium propriis curribus honestauit, & Romanum carcerem acie captiuorum hostium impleuit. Et quo gratius spectaculum esset mirabiliórque victoria, eodem ipso die parta erat, reuolutis annis, quo clades illa terribiles, apud

Curras

Carras accepta fuerat. Quis ambitiosus adeò, tamque auidus regni est, vt non hanc gloriam sine regno, quàm inglorium regnum malit? Ecquid, oro, nocuit Vētidio ad felicitatem, & ad summum decus quòd humiliter natus esset, & prima ætate fortuna humili vsus, & misera? Certè virum Asculi despectum, Roma suspexit, & claris suorum ciuium nominibus, illud peregrini fuscum nomen inseruit. Hæ sunt ad ascensum scalæ: hi virtutum gradus, quibus non ad gloriam modò, altioremque fortunam nitendo, sperando, vigilando, sed ad cœlum vsque peruenias. Proinde & tu natus humiliter, vt conscendas, enitere; primum, & vltimùm virtutis in vestigio pedem figens, nec declinans alicubi, nec subsittēs. *D.* Humile principium fuit. *R.* Illud præteriit. Quæ sequuntur cogita. Nec me latet, vt primus, & vltimus vitæ dies, quibusdam visi sunt humanæ conditionis statum maximè moderari; siue [vt ipsi dicunt] continere. De vltimo nempe consenserim, de primo autem non ita etsi enim [vt ipsi volunt] plurimùm interfit, quibus auspiciis inchoëtur. Etsi cum his sentiens Satyricus, vbi de ipso lòquitur Ventidio, ita scripserit:

Astitit enim quæ
Syderatę excipiant, modò primos incipientem,
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentem.

Nos tamen ista respuimus. Et hæc auspicia, & hanc tantam syderum vim negamus Conditorialmo syderum omnia relinquentes; à quo creatum nullum penitùs ad hoc virtutis, & felicitatis gloriæ calle secludimus. *D.* Hùmilitas generis multa est. *R. A.* Quid tu autem? multam ne superbiam essé malles? Aut quid hinc tibi nunc deesse sentis? nisi ne famosis imaginibus atrium, truncisque

statuis; bustumque familiæ, semesis plenum titulis, spectaculo prætereuntibus; tibi insaniæ sit: qua in triuiis, de his, quos non noueris, elato supercilio fabuleris. *D.* Ignobilis natus sum. *R.* Ignobilem non nasci tantùm, sed & viuere, quibusdam felicitas visa est. An in Tusculano saltem à Cicerone positum, non legisti illud potentissimi regis Anapestum, qui laudat senem, & fortunatum esse dicit, quòd inglorius sit, atque ignobilis ad supremum diem peruenturus.

De Obscura Origine. DIAL. VI.

Si nescis, quo sis terræ genitore creatus;
En tuus obsedit cœlica regna pater.

DOL.

ORigo non tantùm humilis, sed obscura est. *RA.* Vera & summa obscuritas vna est, animi. Illam, si mihi dempseris, pulchra sunt omnia. *D.* Male natus sum. *RA.* Qui bene viuit, bene nascitur, bene moritur. At qui malè vixerit, bene natus esse non potest. Nam quid refert, quàm fulgido tramite cœcus incesserit; aut quid refert, vnde venias, si in miseriam, & in culpam venis. *D.* In peccato genitus sum. *RA.* Defiet hoc quidem ille vir maximus. Et profectò, nemo non in peccato nascitur. Cauete autẽ grauiora superaddere; quamquam ne his quoque purgatio sua desit; sed prima illa deformitas in ipso sæpe vitæ limine sacris vndis abluitur, niueusque animam candor subit *D.* Malè me parentes genuere. *RA.* Quid ad te? Quisquis malè genuerit, tu bene genitus fuisti, nisi alieno flagitio tuum iungis. *D.* Fœ-

dæ

dæ pudet originis. *RA.* Iam quòd alieno tumescitis, non miror; & alieno simul erubescitis. Et omnino vbique potius, quàm in vobis, & bona & mala vestra reponitis; quæ alibi tamen, quàm in vobis esse non possunt. Quod nisi pudendum ipse aliquid, pœnitendúmve egeris; quod tuum crimen, aut quis pudor, impudicus pater? tu modò ne paterni dedecoris hæreditatem adeas, caue. Atque illi dissimillimus hac in parte, fieri stude. Qui te ignarum genuit, inuito tibi suas maculas impressisse non potuit. In te sit, & ex te prodeat necesse est, vnde obscurus, aut clarus fias. *D.* Inhonestis parentibus, in lucem veni. *RA.* Omnis parens honestus filio videri debet, sed non vt verendus, sic sequendus omni filio parens. Est vbi deseruisse consilium sit. Eia igitur in diuersum abi; si verus est parens, deseri volet, seque, non suum vitium amari optabit. Vnus hic inuentus est modus, quo parentum nomen premere, & calcare glorioſum filiis, ac decorum sit, viuendo aliter? castiùs scil. ac sanctiùs. *De* parentibus inhonestis lingua filij taceat dissimilitudo vitæ, morum, actuum, non taceat. Pulchra laus filij, cui à tergo dicitur: O quantum sene suo modestior adolescens; contraque nulla grauior senilis nota lasciuiæ, quàm admota illi pudicitia iuuenilis: equidem si parentum gloria, filiis malè viuentibus, onerosa est, quanto fasce verecundiæ filiorum laus, patrum malè viuentium premit infamiam? *DOL.* Damnata de venere procreatus sum. *RAT.* Atqui malle debes impudici patris honestus filius esse, & dici, quàm honesti, impudicus. In omni enim seu laude, seu vituperatione, illa præcipuè æstimanda sunt, quæ cuiusque sunt propria. *De* alie-

no, nemo iustè reprehenditur, seu laudatur. Etsi, vt dixi, vestrum, quicquid id est, conspectius fiat, suo contrario admotum. Cæterùm, vt cuiusque propria, laus aut infamia est; sic laudis, aut infamię propria causa sit, oportet. Neque verò vt vnius gladio alter perit, vtque vnius flammis res alterius vritur, sic vnius culpa etiam fama perit alterius; eoque animi bona solidiora sunt, quàm corporis, aut fortunæ, vt inuito nequeant possessore violari. *D.* Contra fas, contraque leges genitus sum. *R.* Nil tu contra leges, sed parentes tui egerunt, tu secundum leges, age omnia. In hoc quidem nullum penitùs tuum crimen fuit: de ortu tuo alij, tu de moribus tuis rationem reddes. Et quamuis odio vagæ libidinis, in immerentes filios vltio legum ciuiliũ extendatur, Deus tamen quemque suis finibus metitur. Nec filij iniquitatem patri imputat, nec filio patris. Ipsam quoque philosophiam iudicare aliter solitam, quàm leges, ab ipsis philosophis accepisti. Legibus ergò oppressus, diuino simul, ac philosophico iudicio releuatus, habes animum vnde soleris: neque enim tibi, vt priuati patrimonij, sic publicæ virtutis hæreditas interdicta est. Illa enim institutis hominum, hæc meritis datur, & antequam nascereris, vt nil gloriæ, sic profectò nihil infamiæ meruisti. *D.* Origo illicita, & incesta est. *R.* Quid de incestu, quidve de adulterio nasci queat, indicio sunt Romulus, & Alcides. Persès Macedoniæ, Iugurtha Numidiæ rex fuit: vterque legitimis fratribus regno exclusis; malo quidem more, pessimisque artibus; sed exclusis tamen. Alexander Macedo Philippi dictus, cuius verè sit creditus, audisti. Denique Philippum extremo vitæ, Alexandrum non suum filium prædicare solitum. Id que sibi vltrò confessam Olympiadem hanc-

hancque ob causam repudio dimissam scriptores rerum prodidere. Constantinus ipse ex concubina genitus, licet insigni, præ legitimis fratribus ad imperium venit. Adderem his Arturum regem; nisi quòd historiis miscere fabulas, nihil est aliud, quàm mendacio, veri fidem imminuere. Ad summam verò, non est, quòd te deiiciat origo. Vndecunque ortos virtus extulerit, satis est gloriæ. *D.* Malè natus sum. *R.* Bene viue, bene morere; qualiter natus sis, nec tuum est, nec meminisse quidem potes, nec magnopere inquiras, quod ad te non pertinet; nisi fortè vt humilior, mitiorque, non vt mœstior sis. *D.* Turpiter natus sum. *R.* Morum candor, & claritas vitæ, non maculas modò, sed memoriam omnem fœdæ originis delebunt. Hoc remedium, dum licet arripe. Aliud, mihi crede, nullum est. *D.* Pudet me infamiæ parentum. *R.* Pone hunc pudorem. Vnus omnium pater, Deus. Vna omnium mater, Terra.

De Seruitute. DIALOG. VII.

Si malè fers famuli te conditione grauatum,
Viue Deo, Domini sic bene liber eris.

DOL.

SEruus in hanc vitam intraui. *R.A.* Ne doleas; liber egrediere, velis modò, sicut multi, qui ex diuerso intrarunt liberi, serui exibũt. *D.* Seruiliter natus sum. *R.A.* Liberaliter viue; meliore tui parte liberum esse, nil prohibet; vna est peccati seruitus grauissima; sed quæ premere nescit inuitos. Illam excute, liber eris. *DOL.* Seruum fieri voluit fortuna. *R.A.* Potest velle contrarium; &, si moribus vtitur, scis, quid speres. No-

sti monstrum illud; nosti ludos: & præstigia; non liber modò, sed domini tui dominus fieri potes; quamquam quid velit, aut quid nolit, nihil ad rem; vt sit inexorabilis [quod interdum est] nullum illa tamen in animum ius habet. In omni autem aduersus illam certamine, ab illius hoste poscendum auxilium. Sæpè, quem fortuna seruum liberum virtus fecit. *D.* Seruitio premor graui. *R.A.* Iugum qui fert volens, leue efficit. Ostendam tibi lenimen vnicum, ac peculium immortale, dominique tui, quamuis potentis, arbitrio exemptum quod te liberum, atque ipso domino ditiorem faciet, Sapientiæ studio incumbe; illa te in libertatem asseret: dictum Catonis est, à Cicerone firmatum: Solus sapiens liber est, ea scilicet libertate, qua certior nulla est. *DO.* Sub durissimis dominis vitam traho. *R.A.* Nulla re melius, quàm fide, & obsequio mollientur, & fortassis adeò, vt [quod multis accidit] inde, tibi ventura sit libertas, vnde te seruum luges, forsan & aliunde. Hunc siquidem temporalis dominus liberat, hũc æternus. Scis quanto periculo Malchus minas heri persequentis euaserit; sed euasit tamen. Interim de domino sic cogita. Hic te nutrit, tuique curam omnem in se transtulit: cum libertate sollicitudinem amisisse, quid nisi vtile damnum voces? Multis serua libertas, multis est libera seruitus. Non tam graue iugum hominum, quàm curarum est. Qui hoc excusserit, illud ferat æquanimis. Huic tu seruus, huic vni es deditus; immò hic tibi. Hic tuus est dominus; immò procurator tuus. Non habebis honores; equidem, nec labores publicos, non simultatum studiis, non forensibus procellis, & consiliorum volubilitate rotaberis: non nauigij tarditas, non agri sterilitas, aut annonæ caritas te-

torquebit. Has moleſtias domino tuo linquens, ſæpe illo dormies vigilante. *D.* difficilis, imperioſus eſt dominus. *R.A.* Non ſine cauſa illi in ſortem obueniſſe te, in animo tuo pone. Quicquid igitur iuſtum iubet, Deum ipſum iubere credito. Sin iniuſtum aliquid; maioris domini meminiſſe conueniet, qui vt te ad honeſta, quamuis difficilia, ſeruum patitur; ſic ad inhoneſta vult liberum. Sic intelligo, quod glorioſorum terræ, veræque fidei principum alter, ſeruos dominis carnalibus obedire per omnia, alter verò ſubditos eſſe, in omni timore, dominis præcipit, illud adiiciens, vt hoc nõ tantùm bonis, & modeſtis exhibeant, ſed etiam diſcolis: neque enim de domino iudicare ſeruum decet, ſed mores eius qualeſcunque perferre. Quò enim immitior dominus, eò clarior patientia ſerui. Et hæc eſt gratia, cuius apud horum alterum fit mentio, nec tamen, vt mores pati, ſic & imperia exequi ſemper oportet. Sunt enim, quæ iuſtiſſimè recuſentur, ſi imperio domini ſuperioris aduerſa ſint: cui ſi conferatur hic tuus dominus, non dominus, ſed conſeruus habebitur. Sic ergò per omnia dominis obediant ſerui, ſi iuſta præcipiunt, non difficultas retrahat, non labor, non obſequia, vel negata præmia, vel [quod in rebus amariſſimum] irrogata ſupplicia. In omnibus obediant, modò iniuſtitia, atque inhoneſtas abſuerit; alioqui contumacia, & libertas, atque ipſum pectus, & iugulum iniquis præceptis, ac turpibus opponendum eſt; ſeruandumque memoriter, quod præmiſſorum alter ait; qui, cùm ſeruos obedire per omnia dominis præcepiſſet, addidit: non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate cordis, timentes dominum. Ex his vides, ſtatus tui, cõditio quę ſit. Non totus eſt ſeruus, qui

ad indigna imperia cogi nequit. *D.* Superbo domino seruio. *R.A.* Quid scis an ille superbiori suo domino seruiat? Forsan vxori, forsan meretriculæ, forsan his ipsis, quibus imperat. Quot suorum seruorum seruos vndique cernimus? Postremò [quæ durissima omnium est seruitus] forsan, & ipse sibi, hoc est vitiis, & passionibus, ac violentis affectibus suis seruit. Quid vis dicam? Pauci in veritate sunt liberi: &, si qui sunt, eò illis laboriosior vita est, quò altior. Multò enim citiùs multoque faciliùs fidelis serui, quàm iusti regis implentur officia. Diocletiani iam priuati, & de præterito iudicantis, & experientia edocti, dictum memorabile est: Nihil difficilius, quam bene imperare: propter quod videri potest, ipsum quidem imperium dimisisse. Tu igitur sortem tuam lætus amplectere, fuscam, fateor, atque humilem; sed facilem, ac tranquillam; nisi fortè feliciorem reris in spectaculo anhelantem, quàm in cubiculo quiescẽtem. *D.* In seruitium mea me sors impulit. *R.* Libens facito, quod oportet; & est illud quoque notissimum, ac necessitatibus humanis aptissimum consilium: Cupias quodcunque necesse est; sic vim ipsam necessitatis eluseris. Fer fortunæ sarcinam patienter, quàm quidam etiam sponte subiere: vtque alios seruitio liberarent, sibi seruitium delegere. In quibus est clarissimum Paulini nomen Nolani præsulis; cuius spontaneę seruitutis exitus felix, vt debuit, fuit. Quidam paruo se pretio vendidere, vt serui effecti, suos dominos peccati vinclis absoluerent, atque ad veram reducerent libertatem: in quibus Serapion quidam Ægyptius heremicola nobilitatus est. Hæc tibi magis exempla profuerint, quàm lamenta. Experire & tu tale aliquid, quòd vel vtilis alteri, vel facilis tibi saltem seruiseru opt Illu mi ille hoc spe fuit mœ tem mo uit ter uit los sio ha mi be ra C st ar ni in pl ti n d p te se d e u

seruitus tua sit. Non id quidem, quod non habeas optare; sed eo, quod habeas, bene vti, sapientis est. Illud omnibus contigit, hoc paucis. *D.* Mortali domino mortalis seruio. *R.* Immortali seruire incipe; ille tibi libertatẽ spõdet, & regnum: quanuis & in hoc statu, nec honestis artibus operam dare, nec sperare meliora sit vetitum. Et Terentius seruus fuit, & didicit haud seruili quidem ingenio; & comœdias scripsit, haud seruili stilo; quo & libertatem, & inter poetarum duces meruit locum: Quo modo ergò virtutem, solidum animæ bonum, seruitus impediet; quæ nec aduentitia studia, nec externam gloriam impedire potest? Plato ipse in seruitium delatus, tamen, [vt scriptum est] quia philosophus, maior emente se, fuit; generosa professio, quæ maiorem domino seruum facit. Et est haud dubiè seruus eruditus, eò maior indocto domino: fortuna qualibet maior est animus; & in libero corpore serua mens habitat, & in seruo libera. Obstare seruitus potest fori actibus, non animi. Curia seruum respuit: at non virtus, non industria, non fides. Tyro Ciceronis seruus fuit, sed his artibus libertatem adeptus, elegantem, de patroni iocis, librum posteris liquit. Non potest seruus imperator exercitus, aut Senator esse: at philosophus at orator at vir bonus potest. Aliquando etiam, discusso seruitio, Imperator, & rex quoque: neque ad regnum modò, & imperium ab hoc gradu peruenisse aliquos nouimus, sed ad cœlum ipsum. Non potest seruus militare homini: Deo potest, eiusque militiæ stipendium est, regnare. Dei seruus, Rex est omnium, socius angelorum, horror dæmonum. Dei autem seruus, & seruus hominis esse potest; atque ita cœlesti felicitati terrena seruitus nihil nocet. *D.* Seruus sum. *R.* Si semper fui-

sti, consuetudo luctum leniat; si minus, spera posse te iterum non esse, quod quandoque non fueris. *D.* Seruus sum. *R.* Si speras mali finem, minuat spes dolorem; si desperas, patientia. Neque malum malo cumules, neque te angas superuacuè sciens, volensque; quæ totius humanę dementiæ summa est. Sed certè nihil est desperandum. Si cuncta defuerint, mors aderit, quæ te, inuito domino, dissoluat, ac liberet.

De Paupertate. DIAL. VIII.

Paupertas odiosa quidem, tamen vtile donum;
Dat pacem, curis exonerans animum.

DOL.

PAupertate pressus sum; assurgere nequeo. *R.* Sæpè quidem paupertas modestiam persuasit reluctanti animo; quodque nequicquam philosophia tentauerat, hæc impleuit. *D.* Paupertas meum limen obsidet. *R.* Non obsidet, sed custodit. Neque hoc illi nouum, aut, insolitum; vt quæ vrbem Romam, multis olim sæculis, custodiuit. Inter tentoria equidem paupertatis sobriæ, aque sollicitæ, luxus iners, sopor marcidus, ac vina languida, & eneruata non subeunt. *D.* Domum meam paupertas inuasit. *R.* Vltrò illi vt occurras, consulo; venientem læto animo, bipatentibus valuis excipiens, atque amplectens; prima enim fronte, rigidula, ac subtristis; nec immeritò viatori, ac viro armato exæquanda, eò quòd celer, minaxque sit aduentus eius. At cùm in familiaritatem admissa fuerit, & minimè sumptuosa, & secura, ac facilis hospes

ſpes erit. *D.* Foribus meis paupertas inſultat. *R.* Aperi ociùs, antequam vectes ſubita vi confringat, atque oſtiis vulſis à cardine victrix introeat: vt enim reſiſtentibus permoleſta, ſic cedentibus periucunda eſt. *D.* Domum meam paupertas irrupit. *R.* Aduerſus fures, & peiores furibus voluptates, peruigil excubitrix: aduerſus vulgi morſus, & inſulſa iudicia, atque auaritiæ, ſeu prodigalitatis infamiam: quę raro alibi, quàm locupletum ſedet in limine. Ab his malis, nullo melius ingenio, cuſtodiri potuit domus tua, quàm illam cuſtodiret paupertas; vt diues etſi largus ſit, ſi quid tamen ſibi reſeruat, auarus vulgò dici ſolet; ſic pauper cupidus, quoque largus habebitur. Inuidet opibus vicinia, pauperiem miſeratur: illas cupit, ac vituperat; hanc horret, & laudat. *D.* Domum meam occupat paupertas. *R.* Iam nullus tibi ſuperbiæ locus erit, nec inuidiæ, nec damnis inſignibus, nec damnorum metui, nec ſuſpicionibus mille, nec inſidiis, nec nauſeæ, podagræ diuitum hoſpitibus. Quibus excluſis, habitatura latiùs tecum quies, & trã quillitas & virtus. Cui eò plus loci erit, quò fortunæ minus. *D.* Lares meos dura ſubiit paupertas. *R.* Quid queraris ſcio. Molliùs diuitiæ ſubiſſent, ſed paupertas tutiùs. Nullæ autem opes ſunt, quibus non ſit anteponenda ſecuritas. Cum ad felicitatem enim omnia, quæcunque agunt, cupiúntve homines, diſponantur, eſſe illa, ſine opibus quidem poteſt: ſine ſecuritate non poteſt. *D.* Paupertate importuna diu premor. *R.* Vt nihil importabile diu fertur: ſic nihil breue, difficile. Sed hoc dicis grauiùs. Excute autem illam cum diuitiis, an plus auro tribuis, quàm virtuti? An & hoc in paradoxis Stoicis non legiſti? Quod ſolus ſapiẽs diues eſt? An legiſti forſitan, ſed ſpreuiſti? quod pleri-

que faciunt;legentes,vt fabulentur ornatiùs;non vt meliùs viuant. Nihil ad honestatem,omnia ad scientiam,atque eloquentiam referentes; quo nihil est vanius.

De Damno passo. DIAL. IX.

Fac reparesstudio & cura,reparabile damnum;
Si nequeas,curasint tibi vera bona.

DOL.

OPes cunctas trux fortuna præripuit. *R.* Non tibi fecit iniuriam:suum tulit: sed vetus,& nota hæc ingratitudo est:dati immemores, meministis ablati. Itaque raræ,ac tepentes gratiæ: crebræ ac feruidæ sunt querelæ. *D.* Fortuna ferox, vitæ quoque necessaria subtrahit. *R.A.* Necessaria subtrahere potest nemo,quando quidem verè necessarium est nihil;sine quo bene viuitur. Dico autem bene,non voluptuosè,non insolenter,aut splẽdidè:sed prudenter:sed sobriè;sed honestè:in quibus nullum sibi ius esse [quanuis insolens] fortuna fatebitur. Et certè cum nec toto,quod est,vsquam auro, neque omni gemmarum pompa,atque omnigenum rerum copia, cupiditas expleatur;paucis admodum:&, si desint, leui linguæ vel manus artificio comparandis tollitur, aut lenitur necessitas naturalis. Sic virtuti modicum,vitio nil sufficit. *D.* Victum, vestitumque necessarium auara fors negat. *R.* Aliunde petendum. Virtus liberalior quàm fortuna est:nihil negat,nisi quod & permissum noceat,& negatum prosit:nihil eripit,nisi quod habuisse damnosum, amisisse vtile sit. Non differt,non imperat,non retrahit manum,non rugat frontem,non attollit supercilium,nullum de-

spi-

ſpicit, nullum deſtituit, nullum fallit, non læuit, non iraſcitur, non mutatur, vna ſemper, & vbique eſt; niſi quòd magis, magiſque deguſtata, dulcior in dies, & propius conſpecta, ſit pulchrior. Vt ſis igitur verus diues, ab hac pete, non te faſtidiet, nec repellet, quanuis exerceat, difficiles habet aditus primos, cætera prona, iucunda, facilia. Semel verò vbi ad illam perueneris, non ſenties paupertatẽ. *D.* Spoliauit me bonis meis omnibus fortuna. *R.* Fallit te opinio; malum commune mortalium. Nam profecto non bonis & [vt bona permiſerim] non tuis, ſed quæ tua forſitan, vulgi more, credideras; mirorque, ſi nondum intelligis aliena. *D.* Fortuna me nudum liquit, atque inopem. *R.* Virtus te veſtiet, ni reſpuis, ac ditabit; niſi fortè pluris aurum, & purpuram quàm decorum generoſæ mentis habitum facis. Quid ſi faceres, tunc verè inopẽ, nudumque te dicerem. *D.* Contra fortunæ impetum, & inopiæ moleſtias, nullo ſatis artificio tutus ſum. *R.* Quid miraris? artificium tuum omne, & arma, quibus te tueri cogitas in manibus hoſtis ſunt; illa capulum tenet: in te cuſpis obuerſa eſt. Si conſilium quæris, his omiſſis, age aliud: artibuſque illis ingenium applica, in quibus fortuna ius non habet. Non diuitiis virtus, ſed virtute diuitiæ quæruntur. Virtus vna contra fortunam omnem, contraque pauperiem ars optima. Legiſti, vt ad littus Rhodium naufragio eiectus Ariſtippus, & ipſe nudus, inopſque rerum omnium, quas dare poteſt fortuna, vel auferre, dum locorũ nouitate captus [vt fit] oculoſque circunferens, fortè illos in quaſdam deſcriptiones geometricas defixi eſſet, exclamans, conſolatus eſt comites; & bono animo iuſſit eſſe: neque enim deſertis locis applicuiſſe: cernere ſe hominũ veſtigia. Inde oppidum introgreſſus, ad

Gymnasium literarum, recto calle, contendit. Atque ibi philosophicis disputationibus admirationem primò: dehinc amicitias optimatum, & munera meruit: quibus non tantum sibi, sed etiam sociis victum ac vestitum, & profectioni necessaria ministraret. Cumque digressuri quærerent, quid ille nunciari domi vellet, hoc vnum iussit nunciarent:

Eas opes filiis parandas, quæ naufragio non perirent:

quas nec maritima, nec vrbana, nec bellica tempestas eriperet: præclarè. *DOL.* Rerum, atque animi inops sum. *RA.* Primum te expeditum, secundum planè inopem facit, & miserum. Sed, vt Aristippi consilium, sic & Theophrasti dictum te legisse arbitror. Quid verò lectio sola profuerit? & meminisse oportet, & in vsus tuos lecta conuertere. *D.* Domo, familia, necessariis, atque ornamentis omnibus spoliatus, quid agam, quò me vertam? *RA.* Ad eas opes, quibus spoliari nequeas, quæ te vndique comitatum diuitem & ornatum præstent. Et quoniam [vt video] excitanda memoria est: Theophrasti, quod memorabam, dictum, ad hunc se habet modum: Doctum, ex omnibus, solum, neque in alienis peregrinum, neque, amissis familiaribus & necessariis, inopem amicorum, sed in omni ciuitate esse ciuem: difficilisque fortunæ, sine timore posse despicere casus. At qui, non doctrinarum, sed felicitatis præsidiis, putaret se esse vallatum, labidis itineribus vadentem, non stabili, sed infirma conflictari vita. *D.* Patrimonium paternum habui: perdidi. Quid consilij capiam? *RA.* Patrimonium paternum duplex. Alterum ex rebus pereuntibus: quod fortuna moderatur: ex virtuti-

tutibus,& doctrinis,alterum, quod extra fortunæ regnum procul in tuto positum,lædi nequit. Hoc est illud, quod in primis amantissimi patres filiis tradunt:quod,nisi repudietur,eos in finem,& post finem,vitęque exitum,exornat:possessoribus suis, non æquæuum modò,sed viuacius, multoque perennius.Idque attendens illa nobilis morum,& eloquentiæ, & legum parens Athenarum ciuitas: cùm Græcarum omnium leges vrbium, indistinctè filios ad præstanda parentibus alimenta,compellerēt:eos solos statuit ali oportere, qui liberos erudissent;quòd hi soli patrimonium certum suis stabile relicturi essent. *D.* Multa mihi ad vitam desunt. *R.* Cui pauca sufficiunt,quomodo desint multa,non video. Sed deesse vitæ dicitis; quod auaritiæ deest. Ita fit,vt non multa tantùm, sed omnia vobis desint;& quæ habetis,& quæ cupitis; quòd & illa tangere non audetis, & hæc assequi non valetis:vtrobique par,vel miseria,vel egestas. *D.* Nimium pauper dego. *R.* Solare animum comitibus magnis,& illustribus. Valerius Publicola, vnus è Romanæ libertatis authoribus;Menenius Agrippa, Romanæ sequester pacis : vnde sepelirentur, quia de proprio nō erat,de publico habuere. Paulus Æmilius,Macedonū regum victor, finitorque regni famosissimi;& antiqui:tā diues glorię,tā pecuniæ inops fuit,vt nisi agello tāti viri vēdito,restitui cōiugi dos nō posset. Attili⁹ Regulus,Cne⁹ Scipio,Quintus Cincinnatus Romani imperij defēsores,tanta rei familiaris inopia fuere, vt primus,in Africa maximas res gerēs,secūdus in Hispania:ille propter villici mortē,hic propter filię dotē,missio nē à senatu petere cogerētur: & obtinuissēt,nisi senatus,reip.consulēs, optimorū ciuiū succurrisset inopiæ. Quintio autē quaterna agri iugera aranti,

senatus, & populi consensu, rebus in extremis, summum imperium deferretur. His accedant Curius, hortulo diues: & Fabricius paruo potens: qui ablatas contempsere diuitias: & nihil, præter ferrum, dextrasque, & animum habentes ditissimum, Græciæ regem, ac potentissimum Italiæ populum domuere. Auro, ipsi æquè, ac ferro inexpugnabiles, & inuicti. Et quid loquimur ciues? Cùm & ipse Populus Romanus, omnis eximiæ fons, atque exemplar historiæ, tam diu bonus fuerit [vt dicere cœperam] quàm diu pauper fuit. At libidinibus, probrisque Nero obrutus, opes suas metiri, ac dinumerare non poterat. At Heliogabalus effœminatissimus, turpissimusque hominum, ac vestri pudor imperij, ventris onus [dictu fœdum, & auditu] sed pro fœda cupiditate mortalium, forsitan non silendum; non nisi auro excipi dignabatur; cùm non superiorum modò talium virorum cœnas, sed Deorum sacra, fictilibus agi solere meminisset. O Vrbs misera, ad tam turpes manus satis lapsa voluentibus. Sed, O aurum auaritiæ votum ingens! O spes vltima & laborum terminus humanorum; in quos vsus, oculorum stupor, ac mentium, verteberis. Laudarem factum, aut certè non arguerem; quòd errori hominum tam obscœno, nulla aptior esset irrisio: si ab homine sanæ mentis id fieret. Nunc præclaras, optandasque diuitias, quis negare audeat? quæ si ferro, ac scelere peti velint, dum, sic spretis optimis, sic pessimis affluunt? *D.* Pauperem in laboribus vitam duco. *R. A.* Cleanthes hauriendæ aquæ, & rigandis oleribus: Plautus farcinas molæ manuariæ locare operas, vrgente inopia, coactus est. Quantus ille philosophus: hic poeta? Simulque quàm pauper ille hortulanus? Hic pistor reliquias temporum, necessa-

riæ deditas quieti [tanta animi vis erat] philoſophicis ille vigiliis dedicans, hic ſcribendis, quas venderet, comœdiis. Lactantius Firmianus, vir doctrinæ multiplicis, raríque inter ſuos eloquij, filij quoque ſummi principis magiſter: idem ſumma rerum omnium etiam communium, egeſtate vitam egit. Pauper natus eſt Flaccus. Inops vixit Pacuuius, inops Statius. Vterque victus cauſa, fabulas venditauit. Inops demum aliquando Vergilius; donec præter ſuum morem, opes ingenio acceſſere. Multa ſunt talia, quolibet hominum in ſtatu; & omitto illos, quoniam nimis multi ſunt, qui cœleſtium opum deſiderio, non inopiam modò, ſed famem, ſitim, nuditatem, & extrema omnia in terris; non æquis tantùm, ſed lætis, atque exultantibus animis elegerunt. Si his, quaſi exemplis humilibus, atque terreſtribus non moueris: ipſe cœli dominus hic pauper fuit; vt exemplo doceret, hanc inopiæ viam eſſe, qua tamen ad veras diuitias pergeretur. Ipſe, inquam, per quem reges regnant, pauper natus, pauper vixit, nudus obiit, cui cuncta interim obſequebantur elementa. Tu homuncio, domini tui ſortem fers moleſtè, nec ineptæ pudet inſolentiæ? Certè quiſquis, illum cogitans, ſe vittute vallauerit; in ipſa paupertate ditiſſimus; nulliúſque egens rei, opes regias non requiret. *DOL.* Nulla mihi opum copia eſt. *RA.* Vt animo inopi, ac deiecto nullæ ſufficiunt opes; ſic diuiti, atque erecto, nulla non ſufficit paupertas. Nempe ille alieno nititur, hic proprio fidit; ædificare in alieno iactura eſt, queſtus in proprio. *D.* Pauperrimus ſum. *RA.* Si neceſſitatibus obſequeris, pauper nunquam eſſe potes; ſi cupiditatibus nunquam diues. *DOL.* Hactenus pauper, immò mendicus ſum. *RAT.* Fortuna hominum

non ſtat; & vt ſummis ex opibus, ad inopiam extremam; ſic à paupertate vltima, ad diuitias magnas creber eſt tranſitus. Legiſti, reor, apud Quintum Curtium hiſtoricum, vt Abdolominus quidam Alexandri iuſſu, ſeu permiſſu, ex hortulano inopi Sinodis rex; & contemptu regni maior eſt habitus, quàm regno. Certè, quod non legiſſe non potes, & Romulus è paſtorali tugurio, tantæ vrbis conditor, Romanum primus diadema ſuſcepit: & regum ſextus ex humillima [vtque aliqui credidere] è ſeruili fortuna, ad ipſum regni culmen aſcendit: nec Alexandri Priamidæ; nec Cyri illius, inter Perſarum reges famoſiſſimi, inter opulentiora primordia, haud alia ferè ſunt rudimenta, quàm Romuli. Caius Marius, qui fuiſſet, & futurus ſæpè eſſet Romæ conſul, & antequam honorum gradus vllos attingeret, mercenarius orator: primos in aruis vitæ annos egerat; & deinde, poſt tot victorias, ac triumphos, intérque illos ſuos ſeptem conſulatus, præter latebras paluſtres, ac carcerem exiguum, quoque mendicauit panem. Iulius Cæſar futurus mundi dominus, & teſtamento dominos mundi relicturus, adoleſcens pauper fuit. Tu hac talium comitiua, non potes, aut ſperare opes, aut contemnere? *D.* Solito pauperior ſum. *R.* Bene habet; & ſolito eris humilior, expeditior; liberior. Vacui amant incedere, qui arduum iter agunt: carebis ſolitis opibus, ſimúlque ſolitis muribus, as furibus, & proteruis ſeruis; híſque, quibus ſolent abundare diuitiæ, fictis amicitiis: ſequacibus, atque tenacibus paraſitis: totóque illo grege domeſtico, arridentium tibi, téque ridentium, atque rodentium. Denique ſi amiſſas opes cùm amiſſis tædiis conferas, lucrum voces. Certè, vt ſecuritatem ſileam, humilitatem, ſobrietatem, requiem,

quiem modestiam, paupertatis comites; si nihil bonialiud illa secum afferret, quàm quòd & fallacium gregibus adulantium, & seruorum tyrannide superborum liberat, abundè erant causæ, vt non ferenda modò esset, sed optanda: immò etiam accersenda pauperies. Sed iam satis sit. Maior enim, quàm pro te, querela est, quam in te mirarer, nisi olim fermè in omnibus notassem, nullam grauius, nullum crebrius lamentum, adeò nihil inter homines paupertate melius, nihil odiosius. *D.* Pauperior sum in vita. *R.* Eris lætior in morte. Nemo tam pauper vixit, vt moriens nollet vixisse pauperior.

De Tenui victu. DIAL. X.

Qui multo victum quæris sudore, memento,
Hanc pœnam primum commeruisse Patrem.

DOL.

TEnuis victus est mihi. *R. A.* Et tenuis voluptas, & munda sobrietas. An tu, gulæ studio, contrarium malles? *D.* Asper est victus. *R. A.* Æquanimis fer gulæ illecebris caruisse, cum ad manum sint aliæ dulciores, & quæri faciliores, & seruari. Habet & suas virtus illecebras. Ciceronis vtor verbo; has gustare, & ruminare cum cœperis, illas magnopere non requires. *D.* Durus est victus. *R. A.* Duricies amica virtutibus, mollicies voluptati. Quot autem magni viri vltrò se voluptatibus abdicantes, hunc, quem tu refugis, victum elegere? quorum aliqui, cùm possent lautè vesci; panem, & aquam in deliciis habuere. An verò voluptati quenquam sic obnoxium opinemur, vt non illam valde oderit, si

adiunctum illi dedecus intueri oculis possit? Sed funesta suauitas, virtutum hostis acerrima, & titillatio bestiális: quam, qui sequitur, homo quidem videri potest; verè autem animal brutum est: ad hæc & familiaritas contracta conuitiis; & consuetudo rerum pessima, mortalem præstringit intuitum, vt discerni nequeat, quàm decorum sit, quod torqueat, fœdúmque quod mulceat. *DOL.* Nimis angustus est victus. *R.A.* Immo nimis ampla, nimiúmque capax gula est. Vnum visu angustum, re autem vnum omnibus, in animam irruentibus vitiis, patens iter. Hac flamma libidinum, hac torpor ingenij: hac irarum & iurgiorum feruor ingreditur; hac imperiosa cupiditas omnia pati iubet, atque facere, dum necessaria creditis, quæ damnosa sunt, & munimen vitæ dicitis, quod ruina est. Hac inuidiæ faces, & æmulatio implacata, indignantibus animis, tam gulæ alium obsequentem, quàm vos esse gloriamini. Inde laudem sperantes, vnde pudor metuendus erat. Hac postremò superbia; dum inflatus nec se capiens venter, animo suum affricat tumorem, & persuadet illi, esse se homine aliquid maius, quòd ambrosia, & nectare pastus sit. Vides, vt vitium vnum est omnibus aditus; neque hunc, si aliter nequit, inopiæ vectibus clausum cupis? O Paupertas amabilis, quæ continentiæ tibi sumis officium. Vtile est cogi ad id, quod facere tua sponte debueris. *D.* Tenuis me victus extenuat. *R.AT.* Malles ne igitur tumefieri? hæc tenuitas podagram tuis pellet è finibus, dolorem capitis auferet cerebríque vertiginem, vomitúmque, & ructum, & nauseam, & sudorem tædiúmque, & fastidium tui ipsius; pallorem alternum, & ruborem, odorem quoque, & oris, & corporis

corporis, tibi atque aliis importunum, sistet. Præterea pedes instabiles, manus tremulas, nutans caput [quodque est optimum] animum ipsum moderabitur, frenabítque. Et quid igitur tam multa corporis, atque animi bona, paruo cibi desiderio, ac momentaneo, gustus incommodo, tibi parta, conquereris, dignus, his perditis, gustui deseruire. *DOL.* Tenuis victus me fatigat. *RA.* Contrarius fatigaret, nisi fortè onus, requiem vocas. Non legisti lautioris vitæ tædia magna esse ita, vt quinque diebus continuis non possit, sine fastidio, tolerari ab hominibus temperatis, & altiora spectantibus, quàm palatum, & ventrem. *DOL.* Suprà modum victus est tenuis. *RA.* Fuit ætas quando hic fuisset; & est adhuc gens aliqua, vbi esset victus amplissimus. Verùm mundo in deterius lapso, vos deterrimi omnium esse nitimini, publicæ semper principes ruinæ, vt qui optimi omnium fuistis, versis vsquequaque vestigiis, sitis omnium pessimi; & in temporum vitiis, ac locorum, præcipuum teneatis gradum. *DOL.* Victus tenuis mihi non placet. *RA.* Victum tenuem, & virtutis, & voluptatis amatores, ac patroni laudant. Tu, quam hæresim sis amplexus, nescio. Plato Syracusias mensas damnat; nec vllo modo sibi placere ait, bis in die saturum fieri. Epicurus in oleribus suis voluptatem, ac delicias ponit, & hunc, quem tu fugis, victum rebus, ac verbis probat. Denique, vt ait Cicero: Nemo de tenui victu plura dixit. Tu duarum notissimos si viarum duces spernis, quid est reliquum, nisi vt impetu tui erroris, & virtutis hostem, nec amicam voluptatis, onerosam sequaris ingluuiem? Fœdum finem, nec tam hominis, quàm iumenti [quodque in-

diguanter,ac dolenter dixerim[iumenta multum quidem , sed pro captu suo, ventri ingerunt: soli vos animantium domini , mensuram vestram & nescitis , & frangitis; neque de nihilo est , quòd multi mirantur;quia patrum & auorum memoria,vineæ multò pauciores essent;homines autem totidem aut plures.Vina tamen viliora erant. Sic in dies creuit ebriorum sitis.*D.* De lauto victu ad tenuem sum redactus. *R.* Bene habet,quod modestia neglexit,implet inopia. Optimum est,sponte agere,quod debeas;proximum vel coactè.

De Originali inopia. DIAL. XI.

Diues inops, simili nascuntur lege, simúlque
Decedunt nudi, vita parum variat.

DOL.

IN paupertate etiam natus sum. *R.* Quis non nudus vtero matris egreditur? Nil hic præcipuum habent reges. *D.* Antequam nascerer pauper fui. *R.* Bonæ memoriæ es,si meministi:delicatissimus,si sensisti. *D.* In paupertate sum genitus. *R.* Antuę tibi querimonię parũ sunt. Hęc non tua quidem,sed parentum fuerit. *D.* In paupertate sum natus. *R.* In paupertate moriturus:similis principio finis manet:nisi fortè morientis langoribus mederi aurum censes,quod in arculæ fundo est. *D.* In paupertate vitæ mihi principium fuit. *R.* Medium falsæ sæpè diuitiæ, at principium , & finem vera paupertas tenet: nudum nasci , nudum mori,humana ferè conditio est. Nam quid quæso,purpureum cubile ? Quid funeralis lectus aureus? Et quæcunque , sub ipsum vitæ finem,mortalis ambitio meditata est ? Quid ad febrem ? Quid ad mortem ipsamque, de qua loquimur, morientiũ nudita-

nuditatem? An vt equum phalerę, sic parietem aulea delectant? Mulcere ista oculos possunt intuentium. Sensu carentibus delectabile aliquid inesse potest; delectatio autem nulla. *D.* Nudus inops natus sum. *R.* Humanas res penè omnes alterna sors variat: eadem quasdam æquat quo reliquarum solentur imparitatem. Harum prima maxima est ipsa hęc originis ac mortis ęqualitas. Multi & varij viuentium sunt amictus. Nuditas vana nascentiū, atque morientium, nisi quod illi multa reperiunt ignari, hi omnia deserunt scientes; vt exigui damni sensum debeat ipsa rerum pereuntium lenire cognitio. *D.* Nudus in hanc miseram vitam veni. *R.* Id recolens, animo æquiore abibis nudus.

De numerosæ prolis graui sarcina. DIAL. XII.

Si tibi sint plures nati, nec victus abundet,
Viuere quo possint, artibus erudias.

DOL.

NVmerosa prole prægrauatus sum. *R.* Auro etiam, atq; opibus imbecilles humeri premi possunt. Nemo tamen id queritur, sed sic premi gaudet. Atqui prima inter vestræ felicitatis dona numerantur filij? His ne te igitur prægrauatum, & non potius subleuatum dicis? *D.* Multos inter filios inops sum. *R.* Immò verò filij diuitiæ tuæ sunt. Quomodo inter diuitias sis pauper, videris. Id enim non nisi auaris, & bonorū suorum ingratis accidit. *D.* Filiorum in turba, egestate sordida laboro. *R.* Filij non labor, sed requies sunt parentum, lenimen laborum, atque omnis solatium fortunę, si boni sunt; alioqui nō de numero, sed de moribus est querela. *D.* Filiorum acie coarctatus sum. *R.* Cur non potiùs comitatus, & vallatus, & ornatus? Certè non tantùm patres, sed & matres

ornamenta sua, filios vocant. Non audisti, vt Cornelia Africani magni filia, dum prædiues mulier Campana, quæ fortè in domum eius, hospitij iure, diuerterat muliebriter gloriabunda, illi longè precioſiſſima ſua oſtentaſſet ornamenta, generoſam velut ad æmulationem prouocata, colloquium de induſtrio produxit, donec à ſcholis filij eius remearent, parui tunc pueri, qui magni poſt fuere viri. Quibus illa conſpectis verſa in hoſpitam: Ornamenta mea, inquit, hæc ſunt. Præclarè quidem, & vt tanti patris filiam decebat. Tu autem ornamenta hæc tua, vocas impedimenta. *DOL.* Quia tot paſcet filios? *RAT.* Is qui te, à iuuentute tua, paſcit in ſenium. Qui non ſolùm homines, ſed piſces, & quadrupedes paſcit, & volucres. *DOL.* Quis tot natorum corpora veſtiet? *RA.* Is, qui non tantùm animantia, ſed agros herbis, ac floribus, & frondibus ſyluas veſtit. Et quid ſcimus adhuc forſan ſi filij te, non modò paſcent, ac veſtient, ſed etiam tuebuntur, ſed etiam honeſtabunt: humanarum rerum, vt à voluptate aliæ incipiunt, in laborem, ac dolorem deſinunt; ſic è contrà aliæ amaro principio incœptæ, dulci fine clauduntur. Qualis eſt ſors virtuoſarum omnium ferè actionum, quæ ingreſſos cruciant, ac progreſſos mulcent. *DOL.* Pauper cum filiis multis ſum. *RAT.* Miraris; quaſi fœcundam virorum non legeris paupertatem. Diuerſa ſunt operum genera, & varia dona fortunæ. Nulli omnia contingunt: aliis vagæ merces, aliis rigens tellus, exangue aliis metallum, viuæ tibi diuitiæ obtigere filij; an verò boues, & pecudes, & aſini, & cameli, & profugæ apes, & columbæ, & pulli, & pauones; ſerui denique, & ancillæ in diuitiis habe-

habebuntur ; soli filij excludentur? *D.* O quàm multi mihi sunt filij. *R. A.* O quàm plures aliis. Quinquaginta fuere Priamo. Triginta Orodi Parthorum regi. Centum quindecim regi Persarum Artaxerxi. Septingenti autem Erothinio regi Arabum ; quorum fiducia, fines hostium alternis aggressus incursibus, Ægyptum, Syriámque vastauit. Et est sanè potentiæ genus quoddam, multos filios habere. Scio autem quid dicturus sis. Hi, quos memoras, magni omnes reges fuerant. Mihi longe alia sors est. Nunquid verò Rex fuit Appius Claudius? profectò ne diues quidem, prisco illo sæculo videlicet, quo probrum diuitiæ habebantur, & paupertati cœcitas accesserat, ac senectus: & tamen de eo scribens Cicero: Quatuor, inquit, robustos filios, & quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat, & cœcus, & senex: neque id mirari est, quòd priuata bene regeret, cùm tot obsessus incommodis, ipsam quoque Rempub. gubernaret. Humanorum defectuum magna pars in moribus, non in rebus est. Non erat Appio sors regia: sed nec optabat, sua sorte contentus: exiguos, non lautitiis, sed virtutibus adornabat lares ; & victu tenui amplam familiam nutriebat. Quodque multi reges mœsti faciunt, & queruli, lætus ille, & æquanimis faciebat. Non enim fortunam appetiui, sed fortunæ æquauerat appetitum. Non erat Appio sors Crœsi regis, nec conciuis quidem sui Crassi, sed felicior quædam alia, quamuis angustior sua sors ; nec ad alienam sortem, sed, sicut boni omnes faciunt, ad suam propriam se formabat, ac suos. Certè nec ego exigo, vt tu sorte alia, quàm tua in tuis vtaris, & in te. Neque vt cibo, aut amictu regio tuos

pascas, aut vestias. Vescuntur lautiùs regij iuuenes, & vestiuntur insigniùs : sed non viuunt meliùs, nec diutiùs, nec lætiùs, & [quod constat] nec securiùs, nec honestiùs: certè nec sanctiùs. Pro his omnibus, vnum habent, quo excellant; pomposiùs, hoc est stultiùs viuunt. Suus cuique viuendi modus, sua est mensura. Non iccircò melior, quò maior. Vnde fit, vt in tugurio sæpe lætos videas, mœstos in regia. Non est omnium vna capacitas, sed vnus est fons gratiæ. Vnus ille, cui dicitur: Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quid ad rem vasorum seu magnitudo, seu paruitas, vbi est par omnium plenitudo? Sed multa desunt pauperibus : quantò plura desunt regibus? cum sit illud Flacci verissimum, expertúmque: Quod

Multa petentibus, desunt multa.

D. Laboriosum negotium, multos filios genuisse. *R.A.* Quid sub cœlo mihi non laboriosum dabis? præter vnam [vt creditur] voluptatem; qua tum nihil est in fine laboriosius; nihil, quod tot in animis linquat aculeos: an non legis apud Flaccũ, vt

Nil sine magno vita labore, dedit mortalibus?

An non audis, quid poëta alius non ineleganter, hac in parte, luserit. Cum enim bona omnia gratis nobis donata esse diuinitùs pij omnes, vno ore, fateantur, non donata dicit ille, sed vendita, & prętium statuit labores. Sic enim ait:

Laboribus vendunt Dij nobis omnia bona.

D. Molesta est, tantorum sollicitudo filiorum. *R.* An non inter veras sententias illa est, non posse inueniri vitam hominis, carentem molestia? Nec minus illam ; omnem vitam esse tormentum? Quid fili ; meruere? qui si desint, curæ aliæ subibunt. Crede mihi, quocunque te vertas, quemlibet

bet fortunæ gradum arripias, & labores, & moleſtiæ, & difficultates vitæ aderunt. Quid lamentis inanibus opus eſt? *D.* Filiis multis premor. *R.* Sic dicis, quaſi felicitate deprimaris tua, & vota prima mortalium, tibi cumulatiùs obueniſſe, fers grauiter: mirum genus impatientiæ. *D.* Quid verò tot faciam filiabus? Quis tot dotes expediet? *R.* Venus eſt & fœminarum Deus, & marium. Is & filios tibi paſcet, & filias. Vtque illis ingenium, & viuendi artes, ſic iis ſuas dotes dabit. Itaque ſic ſcriptū eſt: Spera in eo, & ipſe faciet, quod in te eſt. Optimum dotis genus fuerit, ſic filias formare, vt vel abſque dote, recto iudicio placere valeant, atque amari. Dotem habuit, Romanum Imperium Fauſtina. Et, quod reris, indotatæ caſtiores, eæque feliciores fuerint? Non facit fauſtum coniugiū dos, ſed virtus. Fac, ſi potes, vt tuarum, non pecunia optabilis ſit, ſed pudor, ſed modeſtia, ſed integritas, patientia, humilitas: his ornatæ gemmis filiæ tuæ, hoc onuſtæ auro, his ancillis comitatæ, limen adeant coniugum, non diuitum, ſed proborum; vbi tutior ſæpiùs pudicitia, vitáque dulcior, quàm in thalamis, atque atriis regum fuit.

De Amiſſa pecunia. DIAL. XIII.

Cuſtodi melius, ſi non vis perdere nummos;
Amiſſis nummis, anxietate cares.

DOL.

PEcuniam amiſi. *R.A.* Et cum illa curas multas, periculumque perpetuum. *DOL.* Perdidi pecuniam. *R.A.* Et laborem cuſtodiæ, & perdendi metum. Sic perdendo pecuniam, duo bona, vnum quodque & præſtantius amiſſo; ſecuritatem, & requiem inueniſti. *DOL.* Pecuniam perdidi. *R.A.* Bene, ſi te illa non perdidit: quod

iam multis posſeſſoribus ſuis fecit. Noxia enim pecuniæ forma eſt : venenoſus fulgor, ac peſtifer. Itaque, velut ſerpens ſquamis aureis placens, mulcendo oculos animum ferit. Proinde, ſi hinc ſaluus es, gaude tibi ablatum, vnde infici poſſes: téque illæſum inter pericula tranſiuiſſe, lætus ſtupénſque recogita. Sin infectus, extirpatam mali cauſam ſcito, quo facilior ad ſalutem reditus ſit. *DOL.* Amiſi aurum, atque argentum. *R.* Quid, cœleſti animo, cum terreſtribus purgamentis: qui viriliùs philoſophantur, argentum atque aurum inter bona non numerant; qui molliùs, bona dicunt, ſed non animi: horum quicquid elegeris, ſiue non, bonum, ſiue non tuum fuit, æque nulla tibi eſt materia querelarum. Nam vt omnino bonum dici velis, quod multi, magnique negant viri, non tuum certè, ſed fortunæ bonum, vel inuitus dices. Ita nec tu de tuo aliquid, nec de ſuo illa quidem perdidit, ſed tranſtulit. *DOL.* Amiſi pecuniam. *RAT.* Vt non amiſiſſes, ſi tua eſſet, ſic ſi tua non erat, amittere nequiuiſti. verè autem non tua, ſed illius erat, quem ſequuta eſt, immò, ne illius quidem, ſed fortunæ [vt dixi] quæ eam cui viſum fuerit, breuem ad vſum magno ſub fœnore mutuat. Diſce iam tandem à propriis aliena ſecernere. *D.* Pecuniam amiſi. *RAT.* Si te adeò non tuæ quoque cruciant iacturæ, tibíque vel alienum aliquid demi doles; diſce illa conquirere, quæ tua ſint propria, atque perpetua; quorum & acquiſitio facilior, & poſſeſſio nobilior, certiórque. Virtutem ſi quæſieris, non amittes. Vos autem ſapientiæ contemptores; cultoréſque, & amatores pecuniæ facti eſt is. Obſurduiſſe videmini ſalubribus conſiliis, ac monitis, quæcunque perſanctos, atque eruditos vi-

tos viros; contra hanc præsertim humanæ partem insaniæ, dicta sunt, Audistis Satyricum vestrum protestantem: Nam diues qui fieri vult, & cito vult fieri; atque his dictis addentem:

Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?

Hanc sententiam Hebræorum Sapiens quam paucis absoluerat: Qui festinat ditari, inquit, non erit innocens. Audistis alium ex vestris, seu Satyricus sit ille, seu Lyricus, dicentem:

Non domus aut fundus, non aris aceruus, & auri,
Aegroto domini deduxit corpore febres:
Non animo curas.

Dixerat hoc externus sapiens ille breuissimè. Non proderunt diuitiæ in die vltionis; & addiderat, quod prodesset: Iustitia enim, inquit, liberabit à morte. Cùm ergo pecunia, quam amissam luges, in necessitatibus summis, nec corpori possit opem ferre, nec animos; mirum cur tantopere, vel optari absens valeat, vel amari præsens. His, atque aliis motus orator vester: Nihil est, inquit, tam angusti animi, támque parui, quàm amare diuitias. At Orator ecclesiasticus: Auaro, inquit, nihil est sceleſtius, nihil est iniquius, quàm amare pecuniam. Et quàm multorum in hoc vnum cõsentit, immò quàm nullius dissentit authoritas. Frustra quidem prævaluit Sapientium sententiis, vulgi furor. Itaque vt nullum ardentius votum, quàm pecuniæ est, vt ex qua pendere omnia, quæ optantur, persuasum sit; clamant ab aduerso doctissimorum voces hominum, clamat experientia, & veritas; clamat vetus, & recens exemplorum turba: Magnam pecuniam nulli vtilem, multis fuisse pestiferam; cum peccato ac labore quę-

rendam; cum sollicitudine, ac pauore seruandam cum querelis, ac mœrore perdendam. Dicant pecuniæ amatores, quid vel in his verbis falsi, vel in suis opibus boni sit. Et vt vera fit æstimatio tam laudatæ rei, quid de hoc quisque viderit aut legerit integrum, ac syncerum, spretis vulgi clamoribus, sepositis fulgoribus metallorum, ad memoriam reuertatur. Quia verò non omnibus videndi, experiendique sors eadem fuit, illa animum subeant; quæ famosis ab authoribus scripta, nulli vnquam docto legendi, audiendique defuit facultas. Nonne ergò pecuniam peregrinos mores intulisse, & molles diuitias turpi luxu, sæcula prius integerrima fregisse? Nonne ipsas quoque diuitias, auaritiam, & abundantes voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia inuexisse, & scriptum, & re ipsa sæpe compertum est? Nonne auarum semper egere: Nonne nocens ferrum, ferróque nocentius aurum; sacrámque auri famem: Nil non mortalia pectora cogere, pecuniæque aspectu, debilitatos spiritus? Nonne aurum per medios ire satellites, & perrumpere saxa potentius ictu fulmineo; atque hinc pudicitiæ simul, ac vitæ insidias prouenire? Imbre aureo Danaës expugnata virginitas, & vatis Amphiarai Argolici casus probat, auaraque simul coniugis; vna si quidem ruinæ duplicis causa fuit aurum fatale, quod bene spretum Argiæ, Eriphilæ malè optatum, malè partum, illius penates irrupit, scelerumque ingentia semina nouit? Nonne opes falsas, & caducas; neque præstare posse, quod spondeant; neque lenire animi sitim, sed accendere; neque curas fugare, sed arcessere; neque necessitates tollere sed augere; verissimeque & propriè dictum:

Cre-

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et illud:

Neminem pecunia diuitem facit, immò contrà:
Nulli non maiorem sui cupidinem incussit.

Neque illud minus:

Crescentem sequitur, cura pecuniam, maiorq. fames.

Atque illud:

Multa petentibus desunt multa.

Et permultis eos indigere, qui permulta possideant; deniq; quicquid sint, non esse perpetuum, nec longæuum quidem, vt quod positum sit in manibus fortunæ, sine intermissione volubilibus subiectum casibus, & saltem morte perdendum. *Diues enim cùm dormierit nihil secum auferet. Aperiet oculos suos, & nihil inueniet:* neque id ipsum suum nihil, in quem volet transferet, quia in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatus thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. His, ac mille similibus circumquaque sonantibus doctorum vocibus, hominum obstruxit aures infinita cupiditas, vt iam frustra diuitibus huius sæculi præcipiatur, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia, abundare ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis. Nam qui volunt diuites fieri harum, scilicet, quæ vulgò optantur diuitiarum, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa, & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Non magis hunc audiunt consultorem, quàm qui ait: Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: diuitiæ si affluant nolite cor apponere. Neque hunc magis, quàm ipsius filium dicentem. Qui confidit in diuitiis

ſuis, corruet: neque rurſus his omnibus magi illum, qui ſuper omnes eſt, cuius doctrina cæleſtis, niſi ab inſanis planéque furentibus contemni nequit: qui profectò diuitias & diuitiarum comites voluptates, atque ſollicitudines, ſpinas dixit, ſemen verborum ſalubrium ſuffocantes: dixit hoc, cuius in ore non eſt inuentum mendacium; viua, inquam, hoc dixit veritas. Verumtamen, putas, inuenerit fidem in terra? nullam prorſus, aut raram. Quas igitur ille ſpinas, ſuauitatem vnicam, atque dulcedinem mundus vocat. Et, quod ait quidam, gemmas; & lapides, aurum, & inutilem ſummi materiam mali, ſummi omnis materiam boni putant: certatímque omnes, vt ſummum bonum, præ omnibus appetunt. Iámque, in vrbium plateis, haud ironicè proclamatur:

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm eſt:
Virtus poſt nummos.

Atque illud alterius.

Vende animam lucro, mercare atque exeute ſoleis,
Omne latus mundi.

Sic nondum intellectum Dei munus, ſed magni Dei pauperies opprobrium, iubet quiduis facere, & pati. Verúmque quotidie cernitur, quod abalio dictum eſt.

Pars viliſſima rerum.
Certamen mouiſtis opes.

Quis enim, quæſo, non hodie ſceleris inſigni præmio, & occaſione propoſita:

Fas omne abrumpit, Phœbi ydorum obtruncat, & auro
Vi potitur.

Pone fidos fratres, pone vnanimes amicos in conſilio, in conuiuio, in chorea, dehinc modicum inter illos, non dicam pomum aureum, ſed pomi fruſtrum

frustum iacta, discordia his olim armis vti solita, gladiis feria, iocique frangentur. Sicut autem auro nil sceleſtiùs quæritur, sic, vt ad rem redeam, nil mœstius perditur. Peccatum nempe ingens animæ iactura contemnitur, proximúmque illi famæ damnum spernitur, & amissum tempus, inter leuia numeratur. Lentè flentur fratres perditi; lentiùs parentes, lentissimè coniuges; sæpe verò lætissimè. Solæ opes flentur acriter; verissimumque est illud;

Ploratur, lachrymis amissa pecunia veris.

Sed multa iam diximus, de quo nunquam satis, nunquam parum, semper minus dicitur; quia pecuniæ ad amorem obstinatis animis, nil dicendo aliud quæritur, nisi odium, aut contemptus; quicquid vulgatis obstat erroribus, vel simulatum creditur, vel insanum. *D.* Perdidi pecuniam. *R.* Experrectus es; te diuitem somniabas. *D.* Pecunia, quam amabam, periit. *R.* Pecuniæ neque amorem neque odium, sed frugalitatis studium, auaritiæque fugam laudo. Vt amare enim, pusilli animi, sic pati non posse aurum, infirmi est, parumque sibi fidentis atque auro succumbere metuentis. Magnus ille est, inquit Annæus, qui fictilibus sic vtitur quēadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento vtitur, quemadmodum fictilibus; vt intelligas, seu vitium, seu virtutem, non in rebus esse, sed in animis: nec amatorem pecuniæ, nec osorem, sed absentis contemptorem, præsentisque dispensatorem egregium, magnum putes. Hanc sententiam me dictante, scripsit Cicero. Cum amorem enim diuitiarum angusti, paruique animi dixisset, adiunxit: Et nihil, inquit, honestius magnificentiusque, quàm pecuniam contemnere, si

non habeas; & si habeas, ad beneficentiam, liberalitatemque conferre. Vtor in re certa claris testibus. Et ó vtinam mihi, simulque illis omnibus fides esset. Nusquam enim humanum genus tam incredulum, seu tam surdum esset. Inexhaustus labor hominum, quærendique ardor, terrasque, & maria versans probat auaritia; atque amore, cultuque diuitiarum, non modò virtutibus, sed vitæ odium indictum. *D.* Pecuniam magnam amisi. *R.A.* Magnum pondus, & durum, & graue simul custodis officium, vt incipiens dixi. Nempe de dominis, vos custodes imperiosa cupiditas fecit; omnia facere, atque omnia pati iubens; sola vt pecunia cumuletur, ac seruetur. Ita, quæ, in opportunitates, vsusque hominum inuenta erat; in metum, ac sollicitudinem versa est. Timere, & angi, & circumspicere, domorum incendia, furum insidias, & seruorum fugam, neque aliis prodesse, neque sibi, sed exanime tantùm, & inutile aurum incubare, hæ diuitiæ vestræ sunt. *D.* Pecuniam domi dimissam, abstulit, nescio quis. *R.A.* Vile, & caducum est, & certè non proprium, quod furto, vel vi eripi potest. *D.* Pecuniam in loculis consignatam non inuenio. *R.* Dicam tibi, non antiquam rem. Fuit nuper apud Italicos nobilis, & egregius quidam vir, possessionum antiquarum diues satis, ditior virtutum sed pecuniæ non ita, vt cuius non custos. sed dispensator, ac dominus esse diceretur. Erat illi filius primogenitus, fori negotiis apprimè industrius, qui vigili cura, & parsimonia ingenti, magnas opes, multumque auri quæsierat; & erat [mirum visu] in patre sene, iuuenilis largitas, in iuuene filio senilis tenacitas: sæpè illum pater hortabatur, ne suum ingenium fraudaret, ne pietatis obliuiscereturac famæ, néue in

ue in comparationem auri & decus, & debitum, & naturalia sibi iura vilescerent. Denique vt sibimet, & annosæ matri, & fratribus paruis, & consanguineis, & amicis, & egentibus prodesse aliquando diuitias suas vellet. In hos enim vsus, non in custodiam tantùm, ac supplicium partas esse dicebat: hoc pater; sed frustra, vel surdo canitur, vel auaro. Contigit tandem pto rep. filium abesse, & cum electis viris ad Romanum Pontificem proficisci, quo digresso, statim pater occasione arrepta, nouis thalami arculæque clauibus introgressus, thesaurum nulli vtile, e latebris eruit, seque, & coniugem & filios, familiamque omnem exquisitissimè induit, emit equos ornatissimos, vasa argentea, supellectilem speciosam. Vltimo, domum amplam, sed minimè cultam, nouis auxit ædificiis, & picturis insignibus adornauit, muniuitque rebus omnibus, quas liberalis, & lauta, & abundans vita exigit: multa ptæter ea pauperibus dedit. Sacculos verò in quibus aurum illud filij fuerat, arena, lapilliſque flumineis plenos obstructosque, & obserata omnia, quo quæ prius in statu fuerant, admisit. Quæ cuncta breuissimo tempore gesta sunt, quòd & voluntas egregij senis, & pecunia prompta esset. Redeunti de hinc filio, fratres obuij fuere. Quorum ille oc cursu hæsit, indumenta, atque habitum miratus, qualem antea non vidisset, quæsiuitque cuius essent equi, vnde illæ vestes, læti, atque omnium ignari, simplicitate puerili, domini patris esse, multosque alios domi in stabulo substitisse dixerunt: vtrumque etiam parentem, multiplici, ac regio esse vestitu. Magis ille, magisq. singula mirari Inde vbi paternæ domus limen attigit, vix parentes, vixque ipsos parietes recognoscens, nec

admiratione iam simplici, sed stupore plenus, atque extasi, thalamum, atque arculam festinus adiit, vbi cum exterius nil mutatum cerneret, parumper animo conquieuit. Et quoniam collegarũ præsentia, ac festinatio amplius non sinebant, raptim arculam aperuit, sacculisque conspectis solito more turgentibus, atque obstrusis, iam securus abiit: mox negocio publico expedito, domum rediẽs in thalamo se inclusit, arculam aperuit, sacculosque introspexit, aurumque in arenam versum reperiens exclamauit. Accurrit pater, & quid, inquit rei est fili, quid quereris, aut quid fles? Amisi inquit ille, pecuniam, quã multis quæsitã vigiliis, multisque laboribus, in his sacculis dimiserã, spoliatus tua sum in domo, pater. Ad hęc genitor: quo modo ait, spoliatus es, non ne sacculos omnes plenos video? Ille autem gemens: Arena, inquit, pater, non pecunia est. Simul hæc dicens, apertos patri sacculos ostentabat. Tum senex, fronte nihil mota: Quid hinc refert, fili, apud te arena, an pecunia pleni sint? Memorabile dictum, præclaraque sententia: siquidem apud multos ociosa pecunia est; nilque agit aliud, nisi quòd locum occupat atque animum; apud plures malè, atque improbè operosa: apud paucos demum fructuosa est. *D.* Amisi pecuniam, quam amabam. *R.* Turpi amore relaxatus es. Nam amor pecuniæ, auaritia est. Minus hanc amabis, minus hanc optabis. Nam & illud Satyricum experimento cognitum; quòd minus hãc optat, qui non habet. Optanda autem amissio est magni, & boni, cui inseparabiliter malum maius adiunctum sit. *D.* Amisi dulce vitæ præsidium. *R.* Quid scis, an amarum potiùs excidium? Plures multò propter opes, quàm propter inopiam periere.

De Vadimonio DIALOG. XIV.

Ante oculos damnum est, si fias sponsor amici,
Pro magno reputes, sospes ut ille, lucro.

DOL.

VAdimonio exagitor. *R.* Amissam modò pecuniam querebare; iam proiectam quereris. Nonne, vltrò te obligans, pecuniam proieciſti? Vulgaris insania plurimorum, qua perfacilè, & pecuniam perdideris, & amicum. *D.* Pro altero fidem obstrinxi meam. *R. A.* Pro te ipso eam solues; & nil debere, ac sine compedibus agere, quàm iucundum sit, tuo disces incommodo. *D.* Vadem pro amico dedi me. *R. A.* Da post hac amicis egentibus aurum, argentum, vinum, oleum, frumẽtum, vestes, domos, prædia, consilium, solatium; cum amicis demum omnia partire: vnam tibi, habe, nulliqúe vnquam tuam dederis libertatem. *D.* Promisi pro altero: iam soluendi dies adest. *R.* An tu affuturam ignorabas? an te victurum non sperabas? an non hæredem saltem tuum cogitabas, quẽ spontaneis vinculis inuolueres? Bene autem habet quòd in caput errantis, pœna redũdat erroris. Sentio autem, dilatio te fefellit. Medis promissionis inter, ac solutionis diem spatia, vana mente metimini: quæ, vt reliqua tempora, longa videntur, dum spectes; dum præteriere breuissima. Volant enim horæ, dies, noctes, hebdomadæ, menses, anni, lustra, secula, & quæ distantissima iudicantur, in foribus sunt. Itaque, quid in paucorum interstitio mensium nunc stupetis, si aperti essent oculi, clarè quidem multis in sæculis videretis. Sed vos, quasi tempus desiderio vestro pareat, non naturæ suæ; non venturum vo-

bis terminum, nec ituros dies fingitis; atque hac ſpe, velut oculis clauſis, præcipitium præteruecti, verbo placidi vobis eſſe videmini; & vrbani pro alio promittentes; quaſi non verba hęc, & promiſſa clandeſtina, mox in publicum eruptura tumultuſque rerum maximos allatura ſint. *D.* Deſpondi pro amico. *R.* Amicorum indigentiis, ſcis pręſenti, ſi quod adeſt, remedio ſuccurrendum. Non te illaquees, atque in craſtinum nil promittas; quod non dicerem, ſi ſuccurri aliter, quàm promittendo non poſſet. Nũc quid attinet promittere; quod, ſi implere non poſſis, ſtultè facias, at ſi poſſis, ſuperuacuè. Sed vos rerum auariſſimi eſtis, & prodigi promiſſorum; quaſi verò res ipſas, promiſſa illa non exigant. Quod ſi dicas, defuiſſe in tempore ferendę opis facultatem, fuiſſe autem de futuro ſpẽ, qua poſtmodum deſtitutus ſis: Nondum ergo didiceras, vt fallaciſſima rerum omnium ſpes eſt? Nihil inuenias, quod tam crebrò vos fallat. Nihil eſt tamen, cui tam cupidè credatis; tam ſubdola, & tã blanda eſt: ita ſe dulciter, ac latenter inſinuat; ſic inuita diuellitur. *D.* Vadimonio me addixi. *R.* Credo oblitus illud Thaletis Mileſij celebre documẽtum: Vadimonio adeſſe noxam: & quid de hoc ille vir ſapiens dixerit, quod memoraſſe non inutile crediderim, quodque in latinum verſum ab Auſonio ad hunc modum ſonat:

Sponde, inquit, noxa præſtò tibi eſt.

Per mille poſſem currere exempla, vt probem prædes, vadeſque pœnitudinis reos; ſed nolo nominatim quemquam dicere. Sibi quiſque verum dicat, & ſecum puret, ſpondere quanto damno fuerit, & malo. *D.* Memet ipſum ſponte obligans, erraui. *R.* Error hic, purgatorio igne, poſt obi-

obitum, non egebit: vbi admissus est, purgabitur; de illorum enim genere est, quę suum supplicium secum ferunt. *D.* Promissione me obstrinxi. *R.* Solutione te libera; & quem lingua vinclis innexuit, manus soluat; proderit vinctum fuisse, cùm euaseris; laqueos semper horrebis.

De Temporis amissione. DIAL. XV.

Res damnosa malis tempus consumere rebus,
Expendas melius, quod tibi nunc superest.

DOL.

TEmporis amissionem fleo. *R.* Esset hęc eò iustior, quàm superior querela, quò leuior est pecuniæ iactura, quã tẽporis; quòd, nec necessaria ad bene viuendum est pecunia, & amissa, restaurari potest. Tempus & necessarium, & prorsus irreparabile est; nisi quia nolenti pecunia, volenti autẽ tẽpus eripitur: quanuis illud fatear; grauiora damna esse, quæ culpa patientis exaggerat. Iustam tamen querelæ causam nego, vbi qui patitur, volens patitur. *D.* Nolens ego tempus amitto. *R.* Quis nolentẽ cogit, nisi cupiditas occupationũ mater? Solũ hoc vnum vitium, ait Comicus affert senectus hominibus. Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est. Senes hic quidẽ notat: omnes verò iam senes in hac attentione facti sunt: omnẽ ætatẽ, omnẽ statũ, omnẽ sexum inuasit auaritia. Hæc tẽpus miseris, & respectũ vitæ breuis hominibus eripit. In hanc vnam rem solliciti, æuum omne consumitis; vestri, & vestrarũ penè iã immemores voluptatum; quæ pestis; si nolentes inuadere posset, & nolenti tẽpus eripi, & iusta esset, super pretiosissimæ rei amissione, querimonia. *D.* Non mihi cupiditas tempus extorquet, sed necessitas. *R.* Quænam, quæso necessitas est ista quæ tibi præ-

ripiat, quod vnum ex omnib. tuum est? Ita dico, diuitias, honores, potentiam, clientelas, imperia, & quæ sunt eiusmodi, suo iure dat, atque eripit fortuna, tempus inuito non eripitur, sed ipsum per se sensim defluit, non vtenti; paulatimque consumitur. Nec ante perpenditis, quàm consumptum est; querelæ sonant seræ, & inutiles. Fletur temporis amissio, sed siletur culpa. *D.* Me necessitas sola cogit tempus amittere. *R.A.* Quæro iterum, quę nam hæc tam violenta necessitas? nisi fortè dominorum negociis implicitus, tua negligis: quasi verò non ad hæc te sola cupiditas, & inexplebilis lucri spes impellat. Pone cupiditates proprias, dominorum cupiditatibus non parebis. Sed hoc virus immedicabile venis infusum, & per errans viscera, sensum hebetat. Et non solum tempus, sed libertatem, vitamque ipsam non sentientibus eripit. Quod si fortè, nec tuis, nec alienis cupiditatibus, sed curis honestioribus, tuæ Reipub. tempus impenditur, non hæc temporis amissio, sed laudabilis est impensa; rem caram rei omnium carissimæ, quæ in terris sunt, largitus, & viri boni, & ciuis egregij functus officio es: quanuis non ignorem homines, quicquid, præter auaritiæ studium agitur, vulgò tempus perditum vocare, cum id demum maximè, vereque sit perditum, quod illi studio tribuitur. Ecquid scimus, an tu quoque populariter perditum tempus voces? quod si crederem, omissa incurabilis morbi cura, non iam tempus, sed te ipsum malè perditum faterer. Nam si tempus [quod maluerim] Deo tuo, non dicam, donas, se restituis; quod sine vera non geritur pietate; ingens, atque inæstimabile lucrum scito. Pro paruo enim temporis impendio; æternitatem quæris. Quis vnquam mercator permutatione tam pro-

spe-

spera vsus est? *D.* Prorsus alia mihi perdendi temporis causa est. *R.* Non intelligo, quam tu mihi causam dicas. Nam si propter iram, propter mœstitiã, propter amorem, seu aliam animi passionem cogi credis; falleris. Omnium eadem est ratio, quam auaritiæ diximus; omnes voluntariæ: nulla est violenta: quod & sano patet intellectui, & à Cicerone multis in locis disputatum, & creberrimè repetitum est. Si nil horum est in causa; quid aliud est, quàm torpor, & ignauia? Sic ad id reuertimur, quod ait Seneca: Turpissima est iactura, quæ per negligentiam venit. *D.* Vt amittam tempus, mœsta necessitas me cogit. *R.* Nondum capio quid rei sit. Nam si te hostis in vinculis habeat, si mors instet, possunt [fateor] actus bonos impedire, sed nõ pios, sanctosque cogitatus; qui maximè in eo statu eminent, atque effulgent. Quibus enim curis tempus certè non perditur; nescio an alibi vsquam minus. Quæ profectò & in dolium Reguli, & in taurum Phalaridis introire possunt, & in crucem Theodori Cyrenensis ascendere. Sic quocunque te verteris, in te vnum amissi temporis culpa reflectitur. At vos, ex more, naturam accusantes, quæ volubile tempus fecit; cum hic non esset æternitas, in omnibus vosmetipsos absoluitis, cum rei omnium soli sitis. Omne enim ferè tempus perditis, immò proiicitis, & quasi rem vilem, abiectamque contemnitis: quòd vtinam in virtute saltem, aut gloria poneretis, non in summa semper infamia, inexpiabilique dedecore: quanquam verè quicquid non in eos vsus vertitur, in quos datum est, perditum dici possit. Ad hoc sanè nasci hominem, ad hoc enim tempus dari constat, vt creatorem suum colat, amet, cogitet; quicquid hinc excidit, perditur haud dubiè. Videte igitur

quantum perditi temporis, quantumque non perditi.

De Aduerso ludo taxillorum. DIAL. XVI.

Alea si rapuit nummos, & labile tempus,
Fac reuocet cupidas alea nulla manus.

DOL.

TAxillorum in ludo perdidi. R. Nónne tibi dixeram, dum vinceres, fœnus id esse, non lucrum. D. Ludo exhaustus sum. R. Hic est ludo illimes, qui Medicis, perexiguo ingesto, plurimum exhaurire. Crede autem mihi, nūc potiùs gaudendum, quàm dum falso gaudio exultabas. Melior est acris castigatio, quàm blanda fallacia. Illud te lucellum ad ludi voraginem vocabat, hoc te damnum inde retrahet. Satius est turpi freno rectum iter agere, quàm habenis aureis præceps in deuium agi. D. Amisi in ludo taxillorum. R. Vicisti in ludo morum, si quid egeris, profundius attendisti: alioqui morbo insanabili frustra remedia cogerentur, si ab hoc baratro, nec te damnum reuocat, nec pudor: vbi rebus nil proficitur, nequicquam verbis aggrediare.

De Sponsa alteri adiudicata. DIAL. XVII.

Esto animo forti, tua si tibi sponsa negata est;
Nam, quæ te cruciet, semper habere potes.

DOL.

SPonsam mihi sententia iudicialis eripuit. R. Ast aliis fraus; aliis vis aperta. DOL. Iudiciali sententia sponsam amisi. R. Quidam dolis, ferro alij, quidam [quod fœdissimum genus] auro ipsas coniuges amisere. Nihil propriū est homini; hinc furta, & insidiæ, hinc rapinæ, hinc preces, hinc pretia, hinc vltima rerum mors: per

hanc

hanc rotam temporalium bonorum dominia voluuntur: quodque est vnius, fit alterius, mox ad alios transiturum: quod si in rebus vtilibus ferendum, in damnosis ac grauibus plaudendum est. Quid miri autem volui humana? homo ipse voluitur, & non stat: sed, vt scriptum est, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Tu sponsam quereris amisisse? qui fugiendo, & in horas decrescendo, assiduè te amittis. *D.* Sponsam in iudicio amisi. *R.A.* In campo alij: tutiùs est iure congredi quàm bello; legibus decertare, quàm gladiis: legisti apud Vergilium, inter illos Lauinię competitores, quanta lis, & quis belli finis? Victorem spōsa sequitur, victum mors, tibi sponsa perdita, salua est vita. *DOL.* Iudex me priuauit sponsa. *R.A.* Adulter, aut raptor forsitan te priuasset. Leuius est sponsam amisisse, quàm coniugem. In illa enim spes perditur, in hac, res. Minor est autem speratæ, quàm possessæ rei; siue vt aliter idem, leuior spei iactura, quàm rei. *D.* Amisi sponsam in iudicio. *R.A.* Non amisisti, sed tuam non esse didicisti. *DOL.* Amisi sponsam. *R.A.* Qui amittit coniugem, multiplici ægritudine liberatur; at qui sponsam, præseruatur: vtrumque bonum, sed secundum melius. Quid ni autem sit melius, nullum pati vulnus, quàm inflicto vulneri remedium inuenisse? sed vos animorum impulsu, [vt Satyricus ait] & magna, cœcaque cupidine ducti, coniugium optatis, quod adepti, perpetuis tædiis, & immortalibus agitetis querimoniis, & tum facti pœniteat, quum non factum esse, non potest, quumque inefficax pœnitentia, & inanis est. *DOL.* Sponsam, & spem prolis amisi. *R.A.* Noli lamenta miscere. Illa enim pars est altera præcipi-

tis mortalium voti: Sic enim ait: Coniugium optatis partumque vxoris. At non semper placitura, sed profutura dant superi. Tenes apud Apuleium Medaurensem, vt latronum lapsa in manus misellla illa virguncula, vnam triuij in partem, vbi periculi plurimum, loro flectit eum, cui insederat, asellum; ille in aduersum nititur, quia securum iter erat, & incautam puellam in sua damna tendētem, tacitus arguit, quibus ita luctantibus, latrones, quos euasisse videbantur, interueniunt, à quibus in captiuitatis miserias virgo, in suam perniciem studiosa, retrahitur? Haud absimilis inter diuinam prouidentiam, & humanam stultitiam, de itinere vitæ huius est quæstio. Illa futuri præscia, eò vos agit, vbi dulcia; & secura sunt omnia. Hęc obnititur cæca quidem, & miseriis suis fauens. Inter moras sæpè, quæ vitari poterant, obsequendo, & credendo, inopina vos mala corripiunt. *D.* Succubui in iudicio, & amisi sponsam. *R.* Dignus es vicisse. Nam duobus de vna muliere certantibus, qui mulierem habet, is perdidit: qui vicit, is est victus, qui vincitur, is est victor, & liber.

De Vxoris amissione. DIAL. XVIII.

Vtile Consilium Paulus dedit, excidit vxor,
Non quaras aliam, sic bene liber eris.

DOL.

VXorem heu perdidi. *R.* O præposterum ingenium, stupendumque hominem, qui vxoris in funere lugeat, saltet in nuptiis. *D.* Vxorem perdidi. *R.* O demens; hymenæum cane. Nunc est tēpus, coronatū, vinctū vidimus, dignio-

ribus

tibus iam sertis accingere. Magno prælio vicisti, & longa obsidione liberatus es. *D.* Vxorem perdidi. *R.* Sic dicis perdidi, quasi qui febrem perdidit, aut scabiem. Interdum lucri species est perdere. *D.* Vxorem perdidi. *R.* Nunquam tibi fortassis opimiorem quæstum vna lux attulit. Quantis compedibus elapsus es, quanto naufragio enatasti! *D.* Sed vxorem bonam perdidi. *R.* Solent id quidem omnes dicere, & qui contrarium sciunt. Ego autem, etsi bona vxor, vel omnino mulier bona, rarum, mirumq. animal sit in terris; vitandæ tamen altercationis causa, permiserim vxorem tibi, qualem dicis, amissam. Neque ideò respondebo, quod olim, dum hæc eadem quæstio ageretur, apud Senecam, respondi: Posse te aliam bonam; vel si feceras, facere; vel si inueneras, inuenire. Muto sententiam. Nolo te sæpiùs rem periculosissimam retentare; quòd, etsi semel bene cesserit, stultè repetitur. Citiùs centum sui similes mulier mala, quàm vnam bonam reperiet. Quamobrem, qui malam habuit, similem timeat. At qui bonam, similem ne speret: sed vterque pariter; ille aduersitatem cumulare, hic prosperitatem suam deformare caueat. Sic in omnem casum, secundo coniugio abstinendum. Tu nunc ergò: si, vt ais, bonam coniugem amisisti, præterito potiùs gratulare, quàm futuri spem concipias: neque, quòd puppe integra littus attigeris, crebrò nauiculam ventis credas. *D.* Coniugij vinculum, quo tenebar, mors dissoluit. *R.* Nolite rursus innectere: cogita, quam optabilis, quanque incomparabilis sit libertas, & consilium Ciceronis amplectere: Qui vxorem viuacissimam, & aduersus quam, frustra mortis auxilium, expectandum esset; dum repudio dimisisset; hortantibus amicis, vt aliam duceret; Non posse simul se-

vxori & sapientiæ studio dare operam, respondit. *D.* Vxorem bonam perdidi. *R.* Quid si hoc etiam non iactura sed lucrum, & magni fuga periculi est? Vt enim sit bonam reperire, constantem vbi quærimus? Notum illud summi vatis;

Varium, & mutabile semper,
Fœmina.

D. Vxorem bonam, ac iuuenili æuo floridam amisi. *R.* Parum ne igitur noti fœminei mores sunt? Quàm multas pudicissimas adolescentulas, impudicas, ac lasciuas anus vidimus. Ardor nempe libidinis, quoties vetulæ ossibus incubuit, quasi ignis in ligno arido violentiùs æstuat. Vel instantem ergò vitæ mutationem, vel vt inde periculum non esset, venturę vtique senectutis pondus, ac fastidiũ declinasti. Graue iuuenibus coniugij iugum, senibus grauissimum, durum, importabile. *D.* Amisi iuuenem vxorem. *R.* Seu proles ex coniugio quæritur, seu voluptas; quorum alterum mariti est, alterum adulteri: ad vtrum libet aptior iuuentus. Siue his autem ab vxore perceptis, siue eorum altero, eò illam peruenire optabas, vbi inhabilis ad vtrunque esset; siue ad hæc naturâ inhabilem, senio fieri posse habilem sperabas; quid, nisi votum superuacuum, spes insulsa est? *D.* Amissa dulci coniuge, solus sum. *R.* Inuidiosa verò solitudo est, malis caruisse comitibus. Vacuo nihil est mollius cubili nihil durius occupato; animis dulces somnos, & vigilias honestas amantibus, honestumque aliquid altumque versantibus. Nil egregiis cœptis infestius muliebri consortio. Nec me fugit, quod aduersus hæc dici solet ab his, quos miseriæ delectent suæ: matrimoniorum, inquiunt, expertes; matrimonia condemnant. Et, vt est in proue

bio

bro vulgari; Vxorem verberat, qui non habet. Egò contrà, nullos de coniugio queri solitos audiui, nisi qui sarcinam coniugij pertuliſſent. *D.* Couiugem amisi optimam. *R.* Et quæ optimæ, quæque virorum amantissimæ videntur, zelo, ac suspicionibus aliquantò cæteris acriùs inardescunt, quo incendio conflagrare pacem domesticam, est necesse. Quorsum igitur querelæ? Perdidisti vxorem, inuenisti libertatem, cælibatum, pacem, somnum, requiem. Iam tranquillam sine litigio noctem ages. *D.* sine vxore sum. *R.* Et sine aduersario iam tui, rerumque dominus tuarum esse incipis. Ante lucem lectulo matutinus domo egredi, vespertinus regredi, solus aut cum quibus voles, totos dies agere, nullo rationum exactore, permitteris. *D.* Vxorem perdidi. *R.* Perdita dudum, ac repudiata requies in cubiculum reuocanda erit. Illa tibi vxore qualibet vtilior comes. *D.* Vxorem bonam, ac decoram perdidi. *R.* Stultie ſt, compedes suas, quanuis aureas, amare.

De Importuna vxore. DIAL XIX.

Est mala crux, coniux mala, crux tamen illa ferenda est,
Quâ, nemo, nisi mors, te releuare potest.

DOL.

VXorem patior molestam. *R.A.* Feliciùs amisisses. Atqui modò perditam querebare. *D.* Vxorem patior inquietam. *R.* Primo labori venia forsan, aut miseratio, secundo non nisi odium debetur, & quem vna vxor non castigat, dignus est pluribus. *D.* Infestam patior vxorem. *R.A.* In aliis vtcunque fortunam culpes, in vxore autem, præsertim altera, non alium quàm te ipsum hoc tibi malum tu fecisti. *D.* V-

xorem, patior procacem. *R.* Vdas succende paleas; tegulas frange, de reliquo prouisum tibi est; ita verò cumulatæ, quæ te domo pellant, aderunt fumus, stillicidium, atque vxor. *D.* Perfidam patior vxorem. *R.* Iam periculo res non vacat. Vxor Agamemnonem, vxor Africanum morti dedit: vt Amphiaraum, vt Deiphobum, vt Sansonem fileam, alioſque, quos numerare longum est. Illi quidem prorsus innumerabiles, quos vxores, nec mori cogunt, nec viuere patiuntur. *D.* Mala mihi notissima explicas; remedium quæro. *R.* Erunt, qui suadeant, vt castiges & prauos mores ad rectum reuoces; totum te huic vni negocio impendas. Ego autem quid? castigandam vxorem, si castigando proficias, non nego: si id fruſtrà est, sola restat patientia: hanc amare; quidque inuitus faceres, volens fac. Est Varronis Satyra, Menippeam vocant, de officio mariti. Ibi de hac re illius docti viri consilium breue, sed efficax his verbis expressum leges:

Vitium vxoris aut tollendum, aut ferendum est.

Hic tollendum ponit pro, Corrigendum, & dicti ratio breuis quoque, sed elegans, hæc affertur.

Qui tollit vitium, vxorem commodiorem præstat, qui fert, sese meliorem facit.

Quod dictum scriptores alij sic interpretati sunt: eiusmodi vitium vxoris, si corrigi non possit, ferendum esse, quod fieri à viro salua possit honestate; quod vitia nempe, flagitiis leuiora sint: eamque, non aliam sententiam fuisse Varronis. *D.* Procax, & morosa est vxor. *R.* Fer mores, si immutari nequeunt, & qualiter foris viuas, domi disce cum Socrate: &, si ille duas simul pertulit, alij plures, vni tu ne succumbas sarcinæ? *D.* Molestam vxorem habeo. *R.A.* Cui verò non possit vxor mole-

molesta contingere, nisi qui se nuptiis constanter abstineat; cum & Adriano principi, & quo nil altius nil mitius Augusto, Sabina illi, huic Scribonia, vtraque coniunx dura, & peruersa moribúsque asperis, digna repudio. Et Catoni Censorio tam rigidi, támque inuicti viro animi, cum Paula quædam violenta vxor, ac superba contigerit; quod mireris, humili etiã orta progenie, ne quis hominum speret ignobilitate, vel inopia, vel omnino aliter, quàm perpetuo cælibatu, cõiugij subterfugisse molestias: sed quas fuga non euaserit, patientia perferendas sciat: nec luctando, nec calcitando se torqueat, ac iugum sponte susceptum iactabundus exasperet. *D.* Importunam prorsus, & indomitam fero vxorem. *R.* Bene ais, ferendum est enim quod deponi nequit, etsi premat. *D.* Molestissimam habeo vxorem. *R.* Habes vnde patientiæ laudem quæras, vnde discas requiem optare: vnde peregrinari ames: reditúmque oderis: vbi vocem exerceas, ac bacillum.

De Raptu coniugis, DIAL. XX.

Aufugit coniunx, gaude, tibi lerna malorum.
Fugit, nam talis nulla fidelis erat.

DOL.

VXor mihi præripitur. *R.A.* Violentum omne molestum patienti, fateor. At res ipsa, si per te illam æstimes, quàm, quæso, tantæ molestiæ causam habet? Cum profectò, si importuna est vxor, eius amissio magni oneris sit leuamen. *DOL.* Rapta est coniunx. *R.A.* Si incommodum corporis curanti, præmium debetur, quid non leuanti animi languores, ac molestias debeatur? Si quis tibi medicus tertianam febrem

abstuliſſet,& gratiam illi haberes,& pretium dares;quid nunc facias continuam auferenti? *DOL.* Rapta eſt vxor. *R.* Neſcis quid raptori debeas: cura ingens,indeciſúmque litigium,vnà cum coniuge forſitan,& graue periculum tuę domus limen exceſſerit. Multi perierunt,qui vixiſſent,ſi vel raptu,vel aliter coniugibus caruiſſent. Inter vita mala,nihil peius,quàm inteſtina diſcrimina. *D.* Rapta vxor abiit. *R.A.* Si coacta iuit,ignoſcito:at ſi volens, vno actu duplex tibi quæritur vindicta. Nam & adultera ſuum ad raptorem abiit: & ille tum virus ſuam tranſtulit in domum. Qualem enim mœcho ſperet,quæ talis fuerit marito? *DOL.* Vxor cum raptore libens abiit. *R.* Sine paululum. Alteri quidem alterius faſtidium non longa dies attulerit. Si ante flagitium cogitarent homines, non eò vſque præcipites ad peccandum eſſent. Nunc feruidos appetitus ſera damnat pœnitentia. Nil niſi poſt factum cernitis:à tergo oculos habetis:cœca frons eſt. *D.* Rapta eſt vxor mihi. *R.* Hoc genus iniuriæ,nec reges euadere potuere:& Siphaci Maſſiniſſa, & Philippo Herodes ſuam abſtulit. *D.* Rapta eſt mihi coniunx. *R.* Quod ſemel tibi,bis accidit Menelao.

De Vxore impudica. DIAL. XXI.

Purgit adulterium petulantis coniugis: aufer:
Durum diſcordes eſt habitare domos.

DOL.

IMpudica vxor domi eſt mihi. *R.AT.* Mallem rapta eſſet,aut etiam importuna, moribúſque aſperis potiùs,quàm laſciuis,ac turpibus. Ferendá tamen omnia,ingenti niſu,ingentíque animo, & rerum mortalium contemptore: innumꝰ-

merabiles sunt hominum miseriæ, quibus omnibus vna virtus obiicitur. *D.* Impudica mihi est vxor. *R.* Pudicitia insignis imperiosas efficit matronas. Nihil metuit quæ sibi nihil est conscia. Huic malo igitur hoc saltem boni ineſt: esse iam molesta minus incipiet, minúsque insolens. Læsa enim conscientia, fœmineum premit animi tumorem, & sæpè obsequentior in reliquis viro est, quæ se meminit impudicam. *D.* Lasciua est vxor. *R.* Non mirandum, si formosa: non curandum, si deformis. *DOL.* Vxor impudica est. *R.A.* Pulchra dum limen vxor subit, subire debet animum illud Satyrici:

Rara est adeò concordia formæ,
Atque pudicitia.

Nam si turpis insaniat propè gaudendum est, causam adesse diuortij. *DOL.* Adultera vxor est. *R.A.* Adulterium sæpè quidem æquè ardentius expetiti coniugij, sæpe vnum alterius adulterij pœna est, eoque iustior, si multorum. Cogita an tu vnquam aliis feceris, vnde hoc tibi fieri ab alio nunc dignum sit. Iniusta enim atque impudens est querela, pati quod feceris, indignantis. Et ab alio expectari alteri quod feceris, lex moralis iubet. Et facere aliis, quod tibi ab aliis fieri velis, sanè adeò digna est, vt illud profani etiam, cogente sententiæ grauitate atque æquitate, laudauerint. Sed mortalis petulantiæ licentia, legum salubrium abrogatrix, omne fas, nefásque confundit. Itaque passim adulteri occurſant, qui cùm thalamos vicinorum, coniugiáque fœdauerint; suas interim coniuges, vel in publico cerni nolint: &, si quis in illas oculum deflexit insaniant. Sic seuerus aliis, sic indulgens sibi, sic iniquus rerum arbiter quisque est. *DOL.* Coniugalis mi-

hi fides frangitur. *R.* Vide ne tu hanc aliis, non maritis tantùm, sed vxori tuæ fregeris. Nam sunt qui ab vxore exigant, quod non præstant, qui lasciuiã suam titulo vrbanitatis excusent, alienam, vt grauissimum scelus, seueriss imè punientes: qui cuncta sibi cùm permiserint, cuncta aliis negent, Iniquissimi iudices, qui te pudicitia iudicent: impudici impunè passim agunt omnia: & ceu soluti legibus, vaga libidine rapiuntur. Vxor oculum parumper inflexerit adulterij rea fit; quasi verò domini, non mariti ipsi quidem; illæ autem non vxores; diuinæ, atque humanæ domus sociæ; sed captæ ex hostibus, aut emptæ pretio sint ancillæ. Cũ etsi obsequi plusculum, fidei nihil plus tua tibi coniunx debeat, quàm tu sibi. Par debitum, æquus amor, mutua coniugij fides est. Non excuso vxores; viros arguo, primámque illis culpæ partem tribuo. Persæpè enim vxori dux, atque exemplum lasciuiæ vir fuit; & inde mali processit initium, vnde remedium debebatur: quamuis autem pudor fœminæ proprius, viro certè prudentia, atque constantia sua esse debet. Itaque omnis in viro, quàm in muliere dementia, & animi leuitas eò est fœdior, quò viro debita magis est grauitas. *D.* Coniugis adulterio mœstus sum. *R.* Vsitatus dolor, vetus iniuria, nec minus crebra: vix crebrior cõiugij quàm adulterij vsus est. Denique hoc est, quod [vt ait quidam] nec permitti, nec prohiberi potest; quia scilicet alterum honestas, libido alterum fieri vetat. Tu ne tibi ergò fœminam vnam tuam totam, atque integram voluisses, quod nec ferocissimis tyrannorum nec regum maximis potuit, tua ætate, contingere, nec priore potuerat? Mitto recentia, ne quos fortè præsentium offendam. Tutius est Herculem ferire,

ferire, quàm villicũ. Nec verò cuncta veterum attingã. Formidatissimorum summorumq; hominũ famæ parcam: nosti autẽ; hisque vel in silentio gemitum tuum frena; alioqui vrbem lustra, scrutare viciniam; dextra lævaque aderunt, qui vel neglectum genium, calcatamque thori fidem lugeant, vel ignari soli, vulgò noti decoris rideantur. Crebriora illa quidem nunquam non auribus modò, sed oculis, quocunque terrarum perrexeris, defutura. At maioribus, maior inest consolatio. Reges cogita quos vidisti, ac terrarum dominos: dehinc scriptis fameque cognitos recordare. Respice & Arthuri fabulam, & historias reliquorum. In mentem redeat Olympias Philippi? Cleopatra Ptolomæi: Agamemnonis Clitemnestra: Menelai Helena: Phasiphaë Minois: Phedra Thesei. Neve ipsam vrbem Romam olim quoque, dum quoddam quasi pudicitiæ templum esset, mali huius expertem credas, redeat ad memoriam Metella vxor Syllæ illius, qui, si eius nosset adulteria non tantùm Romæ, perque omnem Italiam vulgata sed quæ Athenis etiam, per Græciam cantabantur, minimè [vt arbitror] felicis nomen, sibi prorsus indebitum, vsurpasset. Post hanc Iulia Agrippæ, quàm hinc à flagitio viri virtus, hinc maiestas patris abstterruisse debuerat: simulque huius filia, & nomine, & lasciuia matri par: harumque seu vitæ, seu fortunæ vestigiis hærens Iulia Senecæ, non sat pudicitiæ faustum nomen. Quid Domitiani coniugem Domitiam? Quid Herculanillam Claudij: seu quando hic adulteraruin fortunatus coniugum princeps fuit: eiusdem Messalinam summum imperij probrum, loquar: quæ secordem virum, ac Cæsareum deserens cubile, noctu lupanaria circuibat illa faciens

quæ referre pudor prohibet. Quid has ego? Quidve alias ſtringam? Seu quis fornix Auguſtis meretricibus non anguſtus ſit? quarum commemoratio, fateor, nec honeſta eſt, nec vlla ex parte adulterii crimen leuat, quin potiùs grauat. Habet tamen haud ſpernendam conſolationis efficaciã, ſimilitudo conſpecta miſeriæ, ac paritas ærumnarum: non quòd alieno quiſquam, niſi maleuolus delectetur malo: ſed quòd humilioris fortunæ hominem indignanter pati, quæ toties mundi dominos paſſos nouit, vel non ferenda mollicies, vel ſuperbia videatur. Toleranda cuique ſua fors; illa æquiùs, quam communem paruis conſtat ac maximis, inuidioſiſſimiſque mortalium. Proinde non hominibus tantùm nuptas, ſed Deo etiam diſpenſatas, in hæc flagitia labi ſolitas, vides; ac [proh pudor] nec tanti ſponſi reuerentia, infelicem præcipitémque animam frenat. Cui autem parcet effrenis ac rabida libido, quæ nec cœlo parcit, nec cœleſtem metuit vindictam? ſeu quibus abſtineat, quæ nec Deo ſacris corporibus abſtinendum cenſet? Nec verò tantùm hęc ætate monſtra hæc tam fœda libidinum cernuntur; quãuis nulla vnquam, recto iudicio, fœdiora eſſe potuerint; læſiq; maioribus irã merita: ſed æuo illo, quo ita prodigium ſcelus erat, vt nunc virtus viſa equidem, ac impunita noſcũtur. Virgines ipſæ Veſtales, quarum exactiſſimæ caſtitati Tribunitiam, ac Cenſoriam poteſtatem ceſſiſſe non puduit; quas ſuorum triumphantium Curribus inſediſſe, ne à quoquã fortè triumphus impediretur: quas poſtremò noxios, caſu obuios, à ſupplicio retraxiſſe, legúmque, & capitalis ſententiæ vim fregiſſe, ſola virginitatis maieſtate comperimus: quærum præterea, ex diuerſo, non fa-

facinus tantùm turpe, sed habitus, aut sermo libe rior, pœna graui, atque infamia non carebit: & honoris tamen, & decoris immemores; & erroris, incesti ve; damnatæque, & defossę sub terram viuæ, per historias occursabunt. I nunc, tot exemplis, & tam claris, & tam sacris obrutus, in tanta pudicitiæ ruina, tot probris illustrium concussam, paululum humilioris cubiculi fidem desie. *DOL.* Vxor adultera est. *RA.* Id nonnullis mutandæ in melius vitæ causa fuit: qui maritali compede liberati, reiectóque graui fasce, ire altiùs cœperunt. Quid te vetat, coniugis fœditatem, primum quoque tibi gradum facere, ad vitæ liberioris ascensum? Sæpè & pondus, sæpè & comes pedes expeditissimos retardauit. Ibis ociùs quocunque decreueris, solus ac vacuus. *D.* Turpitudine vxoris infamor. *RAT.* Ex alieno peccato damnum, dolórque nasci potest, non infamia; sicut ex aliena virtute, gaudium, non gloria. Tua te virtus, aut vitium glorioſum efficiet, aut infamem. *DOL.* Coniugis vror infamia. *RAT.* Vel sile, vel fuge, vel vlciscere. Medium fecit ille vir sanctus, nactus de simplicitate cognomen: & profecto primùm, molle nimis, tertium prædurum: medium honesti, humaníque consilij videatur, his præsertim, quorum media itidem est fortuna. Nam superbis potentibus frustra lex ponitur. Voluntas, Libido, Ira, Impetus; hæ potentis insolentię leges sunt. Omne vulnus ferro rescindendum putant. Multa sunt tamen, quæ non ferro egeant, sed fomentis. *DOL.* Impudica est vxor. *RA.* Si pati eligis, ætas fortassis illam franget, & labor, & filij & morbi, & rei familiaris angustia. Quibusdam frenum vtile pudor fuit. *DOL.* Vxor infamis abiit. *RAT.* Opta ne redeat, ne abierit se-

sum votum. *D.* Vxor adulterium est sequuta. *R.* Malles ne tuum in cubiculum adulterum induxisset? hic saltem pudor impudicæ fuit, turpem vitam procul agere; pepercit oculis, erubuitque præsentiam tuam. Impudicitiam potes accusare, non fugam. *D.* Fœda vxor abiit. *R.* Si de hoc doles, dignus es, vt manserit, dignus vt redeat.

De Vxore sterili. DIAL. XXII.

Cùm nati luctum pariant persæpe parenti,
Vxorem sterilem præstat habere domi.

DOL.

STerilis vxor est mihi. *R.* Vnum coniugalis incommodi remedium. Sterilitas obsequiosas facit, atque humiles: quæ plurimos parit, iam non vxor creditur esse, sed domina. Sterilis autem flet, & tacet: & an non Helcanæ meminisli? *D.* Vxor mihi sterilis obtigit. *R.* Modò de coniugis impudicitia querebaris, nunc de sterilitate conquereris. Atqui si ea querimonia iusta fuit, hæc iniusta est. Expedit impudico viro, vt sterilis vxor sit: non pascet filios alienos, quod est in omni vxoris iniuria, ac fœditate durissimum: si miserum vxor adultera miserrimum & fœcunda. *D.* Vxor est sterilis. *R.* Quid ergò tu puerperam eiulantem audire, & nutrices litigantes, & vagientes infantulos maluisses? Sterilitas omnia tædia hæc submouit. *D.* Sterilis vxor est. *R.* Vide ne [quod multi faciũt] vitium tuum alteri obiicias. Multæ vni viro nuptæ visæ steriles, nuptę post aliis, peperêre. *D.* Sterilis est vxor. *R.* Quid scis, qualem tibi filiũ pareret si fœcunda esset. Quarundã partus, fœcunditatem odiosam, & sterilitatem fecit optabilem. Non tulisset Imperium Romanum portenta illa feralia, Caium,

Caium Caligulam, Neronem, Commodum, Bassianum, si Germanicus, si Domitius, si Marcus Antoninus, si Septimius Seuerus, aut nullas vxores, aut steriles habuissent.

De Filia impudica. DIAL. XXIII.

Filia si quando lasciuiat, excute mentem;
Fac agat assiduè, quo tentatur, opus.

DOL.

DElicata nimis est filia. *R.* Duas se habere filias delicatas, sed ferendas tamen. Rempu. scil. & Iuliam, dicere solitus fertur Augustus Cæsar: Iuliæque animum lætum quidem, vsq; ad speciem procacitatis, sed (reatu liberum. In vtraque tamen, ita sentiens princeps sapiētissimus, fallebatur. Nam & Respublica iam pridem ab illa. sua prisca virtute fornicari cœperat; & filia non tā delicata, quam probri solum patrem latentibus, deformata erat; quæ tandem [sero licet] erupere: secundum tamen hanc sententiam, delicata potest esse filia, sed pudica. Quod vt permiserim, negari illud certè non potest: Pronum, & breue iter ad impudicitiam, esse delicias. *D.* Filia lasciuire incipit. *RA.* Occurre principiis: dura ferro, tenera digitis conuelluntur. Qui sibi, vel alteri habitum quærit, à teneris annis incipiat. Facilè & tractantur mollia, & flectuntur. *DOL.* Lasciuire incipit filia. *RAT.* Lautas dapes, & vestes illi molles, ac fulgidas: annulósque, & armillas detrahe, & quicquid est aliud, quo & ipsa sibi placeat, & placere aliis studeat: obiice illi domesticas curas, pensa, acus & colos, & si quid est operis, quod suaues, ac molles manus in callum duret. Seduc eam à spectaculis, à concursu populi. Festis etiam diebus

illam domi contine. Nullum vagis, ac discolis cogitatibus tempus linque. Occupatio, & labor, & incultior habitus, & victus asperior, & secessus, ínque vnum aliquid iugis intentio: ad hæc, testis carus, & verendus, frequens admonitio, dulces minæ, &, si quando res exigat, asperæ. Hæ sunt castitatis, aduersus impudicitiam, seræ ac vectes, qui & insultantes ocioso animo passiones arceãt, & ingressas eiiciant. *DOL.* Filia impudica est. *RA.* Ecclesiasticum consilium: Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire. Etsi autem nihil penè tristius pati possis, modò tamen paterni officij nihil omiseris, est vnde mœstum te soleris. Tuus enim potest esse dolor, sed non pudor, nec crimen. Nam præcipitem in libidines animum frenare, difficile est valde: &, nisi Deus ipse manum adhibeat, impossibile homini. Tantus est enim impetus, támque effrenis, vt contra eum frustrà sæpenumerò parentes, frustrà & fratres, frustrà etiam ipse vir laboret: neque id mirum, cùm sit scriptum: Aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Néve hinc pudicitiæ excusatio vlla sit, dat hoc Deus pia fide poscentibus, quódque in se est, annitentibus, ac scientibus, cuius sit hoc donum: ritéque & ipsum æstimantibus, & authorem. *D.* Filia adultera est. *RA.* Si nupta habes participem generum doloris: habes & ipsum Cæsarem Augustum, & iniuriæ comitem, & vltionis exemplum,

Di

De Aduentitio dedecore. DIAL. XXIV.

Immeritò si quid pateris, perferre memento,
Immeritus laudem, crimen habet meritus.

DOL.

ALieno crimine infamor. *R.* Dicebam modò, & sic est: Alieni te criminis dolor attingere potest, non infamia: verum loquor: Falsa enim vt sit dura; durabilis non erit: & infamiam, & gloriam, vt longæua sit, tuo tu quidem ex agello animi, propria vitem falce messueris. *D.* Alieno crimine mœstus sum. *R.* Credo hercle. Esto autem tua lætus innocentia: nisi magis alieno tangeris, quàm tuo: non vt patrimonij hæreditas, sic & famæ est: &, si esset, repudiari posset. Onerosam, & infamem hæreditatẽ adire, nemo cogitur, Nunc [vt dixi] nominum successio nulla, nulli agnationum, aut cognationum gradus: hac in re, seu tu clarum tibi, seu tu fuscum nomen optaueris, à te illud, non ab alio petendum erit: tuis est opus meritis, quando quidem alienis nec fœdari potes, nec ornari. Quid tabellionem aspicis? Quid testantem? Quid amantissimo clarissimóque seni tuo fidis? seu quid horres obscurum? nec verum decus inde, nec dedecus. Non legatur fama, sed queritur. *D.* Meorum grauor infamia. *R. A.* Immò quidem tua te premit opinio, humanæ miseriæ radix ingens. Pone illam, falso fasce leuaberis. *DOL.* Meorum criminibus infamor. *R. AT.* Nego id quidem fieri posse: sed vt fatear: præstat tamen alienis te flagitiis infamẽ esse, quàm alios tuis. Multò est enim grauius peccati pondus, quàm infamiæ: vbi peccatum, illic miseria vera est. Contra autem, falsa infamia, veræ miseriæ nihil habet:

falsa vero gloria plurimum : plebeios licet animos illa pungat, hæc mulceat. *D.* Meorum infamia non tangi nequeo. *R.A.* Tangi pium: sterni miserum. Proinde, dum reliquiæ spei sunt, summo studio, tuorum famæ, atque inde susceptæ perturbationi tuæ, consule. Si spes omnis abierit, illis omissis, sollicitudinem, atque angores deponendos censeo. Nam & in cassum niti, & tristitiæ materiam aucupari, par dementia est. *D.* Seruilibus probris notor. *R.A.* Materiam patientiæ pœnam luis: cum diluere notam possis, scelerum pulsis authoribus. *D.L.* At meorum, qui tam facilè pelli nequeunt, vror probris. *R.A.* Quorum, quæso? Iam parentum castigatio filiis, nullo iure, permissa est. Inde t biigitur nihil infamiæ: quin potius, recto iudicio, quasi quidam fulgor ex tenebris nasci potest. Nam cum virtutis proprium difficultas sit; multo difficilius est obscuris. quàm claris ducibus rectum iter tenuisse. Sin vxoris, quid hic verò te agere oporteat, & quorum pro remedio meminisse, paulò supra monui. Si natorum, respice qui viri, quos filios habuere. Fabius Maximus, ac Scipio Africanus, & Pompeius Magnus [Non enim imperij, atque opum, sed ætatis, & gloriæ sequor ordinem] quem aut Vespasianus vltimum, aut Aurelius Antoninus vnicum, aut Seuerus primum: quos in genere alio, Hortensius, ac Cicero. Quam postremò filiam Augustus Cæsar. Aut quem filium Germanicus; magna de luce, magnas tenebras videbis, & intelliges, hoc prolis infortunium, nescio quidem vnde, sed in maximam quamque familiam suo iure, familiariùs scandere; & cuique suas vomicas domi esse, vel ignotas viciniæ, vel neglectas; nec fratrum, nepotumque deerant exem-

pla.

pla. Illa posui, quorum, quò propior, eò grauior videri pudor solet. Omnium vna est regula. Alterius, quisquis ille sit, maculas, inuito alteri, nec affigi posse, nec hærere.

De infamia. DIAL. XXV.

Peccatis propriis, quando tua fama laborat.
Enitere, probo nomine restituas.

DOL.

MEa premor infamia. R. Timui, tua ne conscientia premereris. D. Infamia premor graui. R. Si iustam, non infamiam, sed infamiæ causam defle, Sic iniustã, errores hominum alto animo proculcans, tua te conscientia solare. D. Graui infamia laboro. R. Vētoso fasce suspiras; sic suapte natura leuẽ sarcinam, ferentis imbecillitas grauẽ facit. D. Grauis in meum nomen surgit infumia. R. Refert, quibus orta radicib. si veris, viuet, augebitur; alioqui mox arescet ac defluet. D. Magna mihi infamia conflata est. R. Bene ais, flatus est enim fama. Sæpe etiam impulsoris, qui vos adeò quatit ac territat. Atqui magna infamia, magnæ famæ principium multis fuit. Puduit vulgus, & vt iure suo errori adderet errorem, rebúsq; modum cunctis excluderet, modicam infamiam, immodicis laudib. tandẽ vicit. D. Multa vndiq; pulsor infamia R. Circumflantib. ventis in portũ redi, & ab aurium procellis, in cubiculum cordis ingredere: cui, si tranquillitas sua est, habes vbi iurgiorũ fessus, requiescas & [vt dici solet] in sinu gaudeas. D. Fusca fama, cõscientia clara sum. R. Tu ne igitur fama esse clarissima, cõscientia turpi cupieres, atque obscura? Ita ne penitus verum est illud Flacci:

Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret.

O rem vanam: vera quidem & iuuare possunt, & terrere: vmbras metuere non est viri. *D.* Infamiæ sarcina ingens est. *R.A.* Si flagitio collecta, grauis, fateor; si casu facilis; si honesti studio, glorioſa. Si quidem bonis artibus quæsita infamia, laus est. Insultent fatui; & tu exulta lucro nobili; virtutem nempe, rarissimam mercem, magnum licet, & quo nullum maius, famæ pretio comparasti. Is virtutis cultor verus est, qui in nihil penitùs, præter illam cogitat: sed cum reliquorum clarus, tum clarissimus est contemptus famę, virtutis studio susceptus; cum profectò fama viris fortibus, non auro tantùm, sed vna etiam sit carior. Qui amore virtutis hanc spreuerit, is spreturus omnia credi debet; quod præclarum, sed perrarum scitò: quandoquidem magna pars eorum, qui videri volunt virtuti operam dare, fama eius apprehensa, sic confestim in actione lentescant, vt intelligi dent, vnum hoc illos, quod apprehenderint, intendisse. *DOL.* Multi grauiter me infamant. *R.AT.* Plures olim Fabium, & grauiùs; plures etiam Africanum: quæ res illis eximiam in gloriam versa est. Communem cum talibus sortem, queri desine: pauciſſimis accidit omni semper infamia caruisse. Delicatissima res est fama homini: & quæ sæpè rubiginem, leuibus contrahit ex causis: & ad summam, vt nil clarius fama est, sic nil obscurari pronius. Nílque peregrinarum [vt sic dixerim] capacius impressionum. *DOL.* Graui vror infamia. *R.A.* Pestis hæc verendis maximè infesta nominibus, viris, quoque sanctissimis, non pepercit: quorum princeps, omnis expers culpæ, & ipse tamen ab impiis infamatus, ostendit, mali huius immunitatem, quæ nec Deo

obti-

obtigisset, hominibus non sperandam. *D.* Dura atterór infamia. *R. AI.* Virtutem inuidia non tentari, vix possibile dixerim: sufficiat non conuelli: siue gloriàm cum obtrectatione collidi: si pura, si solida est, splendescet attritu. *DOL.* Acri vexor infamia. *R. A.* Vulgaris aura cœcis ignorantiæ pulsa turbidinibus, summa rerum cacumina verberat, sed non quatit: vel si quatiat, non euertit. Excellentiæ tibi cuiuspiam signum sit, in vulgi linguas, quasi scopulos incidisse. Humilia enim, & circa terram depressa nomina, nec præclaræ laudis lamen excipiunt, nec magnæ infamiæ tempestatem. Sæpè quod spernitur, & quiescit. *D.* Malè de me vulgus loquitur. *R.* Bene, quòd in linguas, non in calamos incurristi. Vehemens sermo vulgi est, at minimè diuturnus. Leuibus, aut falsis orta causis, breuia sint oportet: tacebunt, cum multa latrauerint. Fatigari citiùs solent, qui cœpere feruentiùs. *D.* Vulgi linguis exagitor. *R.* Quid si in oratoris, aut Poëtæ insignis stilum impegisses? vt multi olim, quos infames posteritati traditos, inimici eloquentia, videmus: vt, sicut nobile mihi suspiriũ Alexandri regis, Homerum Æacidæ inuidentis; sic metus nobilis Alexandri principis; videatur, literatos, disertósque viros, ne quid de se asperum scriberent, formidantis; quanquam nec literatis obtrectatoribus succumbendum; sed vel pari stilo refellenda calumnia; quod Tullius Crispo, quod Demosthenes Æschini, quod innumerabilibus fecit Cato; vel insigni fiducia, & omne theatrum superante animi testimonio, resistendum esset: dicendúmque, quod Caluo Vatinius perorante; Non quia iste disertus, iccircò ego damnandus sum. At nunc periculi nihil est: siquidem vulgus, vt multùm strepat; quàm diu tamen id fa-

ciet, citò vel volens, vel coactum desinet. Veniet dies, quæ strepidulis his cicadis, loquacibúsque silentium picis ponat. *DOL.* Malam famam apud vulgus habeo. *RA.* Vt apud te ipsum, vtque apud bonos, bonam, ac perpetuam, verámque habeas, enitere. Nempe ista, quam quæris, euanescet. Inane genus, ac trepidum, mortales: quid ad vos, vel adulantium, vel detrahentium breue istud, & obscurum murmur? Venient qui liberiùs iudicent atque æquiùs. Et qui sunt, inquies, hi iudicent? Nosse illos non potestis, sed ab illis nosci. Illos dico, qui post vos nascentur, quos nec vestri odium, nec liuor; sed nec amor, nec spes torserit, aut metus. Si vestrarum æstimationem rerum, ac sententiam incorruptam vultis, hos iudices exspectate; breuis est mora. Properant ecce, móxque aderunt. *DOL.* Infamiam factis egregiis, & virtute contraxi. *RAT.* Est vbi amor damnis alitur, crescítque laboribus, ínque amaro [dictu mirum] & maligno solo, radices agit altiùs? vnde fit, vt factionum amantissimos, sæpè illos videas, qui multa, & grauia pro factionibus passi sunt. Nota quidem, & nimium trita res, vestris in vrbibus, Proinde nemo, vel iustitiæ, vel veritatis amantior, quàm qui pro hac flagellis sese obtulit, ac morti. Et tu igitur virtutem ama, magísque ac magis illam cole, pro qua famam, rem pulcherrimam, atque clarissimam, amisisti: pro qua, non leue supplicium fers, infamiam; perditísque, & spretis omnibus, eam ipsam, quam tibi nemo vnquam eripiet, virtutem solam, solus amplectere, atque illi dicito: Hæc quidem ô regina, pro te volens patior; tu me in integrum restitues, aut certè vna mihi pro omnibus satis es. Tu me sola sinu pio refoue, sic non famæ tantum,

tùm, sed vitæ quoque damna non sentiam. *D.* Vulgò passim in triuiis laceror. *R.* Boni consule. Notum te vulgus faciet, clarum virtus, conscientia securum.

De Quæsito ex indignis laudibus pudore.

DIAL. XXVI.

Parcè laudato, nam cum laudaris inique
Si rursus damnes, pars leuitatis eris.

DOL.

LAudasse arguor indignum. *R. A.* Malum quidem quod est, bona sæpè oritur radice. Boni enim, & innocui, quales ipsi sunt, tales alios opinantur. Hinc ad laudandum, æ quo etiam proniores sunt : & quamuis indignum laudare malum, fatear; vituperare tamen immeritum multò est peius. *D.* Laudaui indignum. *R.* Si id sciens, reprehensibilis; at si ignorans, excusabilis. Minus est malum falli, quàm fallere. Falli enim alienum; fallere autem, proprium fallentis est crimen. *D.* Aliena laus in meam vergit infamiam. *R.* Immo quidem tua, vel culpa vel ignorantia. Ex alieno enim, vt laus, sic infamia nulla est. *D.* Laudasse indignum, valde doleo. *R.* Vide ergò ne id ipsum sæpè doleas. Caue ne temere ad laudandum, vituperandumque prosilias. Est enim vtriusque rei libido: & [vt dicam propriè] morbus, ac pruritus quidam linguæ mobilis & quietis insciæ : cuius frenum, ac custodia inter opera perfectionis eximiæ numerantur, dicente scriptura : Si quis in verbo non offendit, hic est perfectus vir. Qua in re nimis sæpè fallimini. Et, heu nimis illud eiusdem Apostoli verum fit quòd linguam nullus hominum domare potest, inquietũ malũ. Ad mentiendum ergò

cotidie vos illa præcipitat, quos hinc suus vrget impetus; inde falsa rerum species trahit. Sunt enim qui aspectu, vel eloquio vitia morum tegunt. Quod de Alcibiade accepimus, de multis vidimus. Sunt qui virtutes velo occultant contrario: seu id natura vultus scilicet, aut sermonis austeritate insita, seu etiam arte quadam, studioque aduersus id, quod vulgò concupiscitur, adhibito. Nam vt multi, qui se bonos, sic aliqui, qui se malos fingerent, sunt reperti, quo vel humani fauoris pestilentem auram, vel inuisam honorum temporalium sarcinam declinarent. Quod de Ambrosio lectum est. Accedit amor, atq. odium. Accedit ira, & inuidia. Spes & metus, affectusque animi varij, & occulti: hisque ipsis interdum quorum sunt incogniti, semper autem iudicij veri hostes. Accedit quòd viuentis laus, diuino eloquio, propter vitæ mortalis inconstantiam, prohibetur: quantò igitur magis vituperatio? Deinceps itaque ad laudandum tardus, ad vituperandum tardior veni: cum vtetque enim [vt dixi] malus error sit, peior est vltimus. *D.* Laudando immeritum, erraui. *R.* Errando dicitur. & sæpè error vnus multis obstat erroribus: dumque errasse semel pudet, ne similis iterum error obrepat, occurritur. Laudasti incautè; linguam frena, hoc boni saltem illi insit malo. *D.* Indignum laudasse pudet, ac pœnitet. *R.* Pudor, & præsentia, & dolor scalæ sunt, & gradus quidam ad resipiscentiam, & salutem. Pauci sunt, qui ad rectum iter, nisi per deuia multa, cespitando perueniant: multosque ideò voluptatis seruos in Iuuentute vidimus, qui virtutis amici in senio euaserunt.

De

De Amicis infidelibus. DIAL. XXVII.

Qui non est fidus, non est tibi verus amicus,
Nonte, fortunam respicit ille tuam.

DOL.

DE amicis queror. *R.* Quid hic hostibus faciat, qui de amicis querimoniam instituit. *D.* Amicos experior infideles. *R.* Impossibilem rem narras. Ne fortè autem amicos credideris, qui non erant; nempe id non modò possibile, sed commune est. *D.* Infideles sunt amici. *R.* His querelis plenus est orbis terræ. Verùm amicitia, infidelitasque non coëunt. Qui infidelis esse incipit, desinit esse amicus; seu [quod potiùs crediderim] nunquam fuit. Cumque omnis virtus immortalis sit, omnis fictio æui breuis. Non fides est sublata, sed fictio. *D.* Infidos experior amicos. *R.* Amici falsò habiti, si nunc primùm infidelis animi latebras pandunt, erroris tui finem lætus aspice, & caueto interim ne morbi contagia in te serpant, sed quicumque illi fuerint, tu amicitiæ fidem serua, etsi non propter immeritos at propter te, meritum aliena peste nõ inficiquod libentiùs facies, si quantum tibi displiceat illorum præsidia, ipse tecum acriter excusseris. Sæpè vitij odium, calcar ad virtutem fuit. *D.* Immeritus amicorum odia contraxi. *R.* Odiosi ciues, odiosi socij, odiosi cognati, odiosi coniuges, odiosi fratres, odiosus demum patri filius, & filio pater. Et ad summã nulla necessitudo est, quæ non odiis esse possit infecta. Sola quidem amicitia sincera, mali huius ignara est. Interque hanc, & reliquas hoc interesse diffiniunt, quod illæ omnes adiuncto odio durant;

nomenque suum retinent. Huic vni non modò, si odium accesserit, sed si amor abscesserit, amicitia iam non est, neque verò magis odiosus amicus esse potest, quàm amor etiam odiosus. *D.* Perfidos patior amicos. *R.* Si quid spei reliquum, perfer, dum in fidem redeant, & ardenter ama. Multi enim tepido amore amicitias excinxerunt; aut parum fidendo, perfidiam docuere. Si nec ita proficis, spesque omnis interiit, vtere consilio Catonis, qui amicitias, quæ non placent, sensim dissuendas censuit, non subitò discindendas, ne geminum graue damnum simulque & amici perditi videantur, & quæsiti hostes; nisi fortè acrior casus, ac moræ impatiens, maturo consilio vti vetet; qui, si incidat, inter ærumnas amicitiarum vltimas numerandus erit, ferendus tamen alto animo, vt reliqua; cedendumque necessitati, & parendum tempori; sed hic casus veræ vix amicitiæ tunc notus est.

De Ingratis. DIAL. XXVIII.

Qui bene factorum non vult memor esse tuorum,
Dignus est certe, cui bene non facias.

DOL.

MVltos experior ingratos; grauè vitium. *RA.* Ingratitudinem vituperare superuacuum; omnium nempe mortalium, hanc sermo condemnat. Non est laborandum, vt suadeas, quod omnibus persuasum est, & in extirpabiliter insitum. Est qui summum; est, qui solum in virtute bonum locet; est, qui neutrum, sed in voluptate, virtutis hoste, ponat omnia. Sunt, qui castitatem pulcherrimum ornamentum vitæ dicant; sunt qui hanc ipsam in se spernant: in aliis

liis verò vel ridiculam, vel difficilem certè, longeque laborioſam putent; quod Auguſtinus tantus vir futurus, in ſe ſenſit, vbi Ambroſij cælibatum laborioſum ſibi viſum ait: qui aliis non laborioſus modò, ſed damnabilis vitæ ſtatus viſus erat. Vnde illud Platonis: Qui, cum cælibem, caſtamque vitam diu tenuiſſet, ad extremum ſacrificaſſe legitur naturæ, vt ſibi illam placaret; quam ſic viuendo, violaſſe, & in quam grauiter peccaſſe videretur. Mirum, id iam docto homini, videri potuiſſe; ſed viſum eſſe, non eſt dubium. Erunt quoque, qui fortitudinem eminentiſſimam, clariſſimamque virtutem ducant: vulnera aduerſis excepiſſe pectoribus, campum rutilo ſanguine cruentaſſe, intrepidiſque demum animis mortem oppetiiſſe. Erunt qui hæc omnia ſummæ tribuant inſaniæ, & nil melius ſecuro, atque imbecilli ducant ocio. Venient denique, qui iuſtitiam gubernatricem rerum humanarum, & virtutum matrem cenſeant: qui religionem iter ad æternam vitam credant, & ad cœlum ſcalam. Venient contra, qui iuſtitiam ignauiæ; Religionem amentiæ, ac ſuperſtitioni aſcribant. Hi ſunt, de quibus ſcriptum eſt; Quiduis habent in viribus, qui omnia virorum fortium eſſe confirment. Neque ſolùm ex hoc genere violentorum hominum, raptorumque; ſed ex ipſa doctorum acie, quantos oppugnatores habeat iuſtitia, facilè eſt in libris reipubl. Ciceronis aduertere. Sunt qui fidem, & promiſſorum obſeruantiam magnis, & meritis laudibus efferant: ſunt, qui fidem frangere, non fallere, dicant eſſe, ſed plus ſcire, & eſſe ingenij melioris. Quæ licet vulgò multorum hodie ſit opinio, & multorum vox; apud Lactantium nominatim Mercurio tri-

buitur, dicenti; sicut ille ait: Non fraudis esse decipere, sed astutiæ. Pulcher enim ingenij Deus, & eloquij. Et ad summam: nulla virtus tam laudata est, quin vituperatores inueniat. Gratitudinem, nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas non laudabit: nemo vsquam non vituperabit ingratitudinem; sit fur, sit sicarius, sit proditor, sit ingratus, vitium suum excusare non audebit, sed negare. Quæ quamuis ita sint, nihilominus tamen innumerabiles sunt ingrati. Nec est ferè vitium aliud, quod tam multis verbo damnatum, tam multi rebus ipsis amplectantur, ac teneant. Quid concludam? damnandum vtique non solùm verbo, sed animo maximè, atque iudicio; & in se, cuique bono fugiendum, ac vitandum; in altero tolerandum, sicut cætera, quibus humanum scatet genus; quibus mali abundant, boni exercentur. Perfer igitur, & gaude potiùs ingratum ferre, quàm ingratus fieri. *D.* Ingratos multos inuenio. *R. A.* Vide, ne quid in te culpæ sit. Multi enim dum benefici dici volunt, iactatores sunt, atque exprobratores. Onerosum genus, quorum beneficia plus offensæ præferunt, quàm gratiæ. Idque nihil est aliud, quam pretio odium parere: Mercimonium insanum. *D.* Bene meritus, multos male memores, & ingratos patior. *R.* Tu ne hoc illis inuides, tuamque cum illorum sorte commutatam cupis? Noli, obsecro; cuiuscunq. sit vitium, virtus tua veniat in partem. *D.* Multos habeo ingratos. *R. A.* Quid expectas audire? benefacere vt desinas, deque alterius culpa, tuum ipse damnum facias? Quin tu potius contrarium fac, & qui multos habes, cura nunc etiam, vt habeas plures. Habebis autẽ, si multis benefeceris: multi enim semper ingrati. Sed plures hodie,

hodie, vexeorque, ne confestim gratum esse, portentum sit. Ita in dies retro eunt omnia; ea perentium improbitas, & ea debentium obliuio, atque superbia est. Neque ideò desistendum: neque, cœcorum æmulatione, eruendi oculi, quos potiùs facere debet aliena cœcitas cariores. *D.* Mihi multi sunt ingrati. *R.* An tu multis idem fueris, recordare. Vna enim ingratitudo aliam punit, sicut in reliquis. Vnum sæpè peccatum alterius pœna est. *D.* Multis ingratis profui. *R.* Multis indignis profuisse satiùs, quàm vni digno defuisse. Proinde perge, neu malorum odio, bonos mores exuas; nec prodesse aliis cesses, quòd ab aliis male sit cognitum. Cognoscent hi fortasse melius; sine quidem, nosse Deum, nosse te, satis est. Non est vera virtus, cui conscientiæ præmium non sufficit. *D.* Profuisse multis, infeliciter cessit. *R.* Caue ne vnius crimen obsit alteri, quodque est grauius, tibi. Experire alios, cedet fortè feliciùs. Quidam præterea dum ingrati virgente animum pudore, tandem fuere gratissimi; magnoque cum fœnore spes amissa rediit. Ad hæc sæpè, quod requisitus nebitor negauit, vltio non debitor obtulit. Nullum bonum opus vnquam periit. Qui bene agit, ante alios se cogitet. Vna quidem virtus multis prodest, sed prima, & maxima pars virtutis in agentem redit. Itaque vt mali omnes, & ingrati sint, non iccirco vir bonus beneficio cessabit. Nam quæ in multos spargit, in se cumulat; sibi ipse beneficus, vni saltem non ingrato. *D.* Proiecti beneficia in ingratos. *R.* Atqui gratis dare, nec auarus metuant. Eò autem liberalitas maior, quò spes præmij minor est.

De Seruis malis. DIAL. XXIX.

Si fuerit seruus nugax, animique superbi,
Longe abeat, frugi non erit is famulus.

DOL.

MAlis seruis obsideor. *R.* Nunc rectè ais, obsideor: olim tibi circũfultus videbare, sed obsessus eras, non familiari solùm exercitu, sed hostili. *D.* Indomitis seruis premor. *R. AT.* Tuæ acies contra te militans: insuaue negocium. *D.* Superbis seruis obsessus sum. *R.* Eosque, qui te obsident, pascere cogeris: inamœna necessitas. *D.* Seruis obsideor pessimis, voracibus, furibus, mendacibus, impudicis. *R.* Quid seruorum epithetis affluere est opus? Seruos dic, omnia dixeris. *D.* Seruis obsideor, quid consulis? *R.* Quid consulam, seu quid dicam, nisi Terentianum illud:

Quæ res in se neque modum, neque consilium habet vllum,
Eam consilio regere non potes.

Nota sunt tamen hac in re Senecæ consilia: Viuendum cum seruis familiariter, comiter, clementer: familiarem esse iubet, at quibus? nempe his, quorum familiaritas contemptus est genitrix, Addit; Non verberum, sed verborum castigatione vtendum, erga surdos scilicet; torpentesque; dominicã que mansuetudinem duro pede calcantes. Admittendos præterea in sermonem, in consilium, in cõuictum. Et quos quæso? vtique procaces, stultos, ebrios, perfidos, insolentes; qui neque sermonẽ teneant, neque consilium habeant, & conuictum fœdent, salutis, vitæq. domini, & patrimonij, & famæ segnes; gulæ autem propriæ, atque libidinis vigilãtissi-

tissimi curatores. Verùm ille ideò fortassis, hoc consuluit; quia in seruo verum opinatur, quòd iam ante de amico dixerat. Fidelem si credideris, facies. Credo non cogitas ex optimo genere hominum amicos esse solitos, seruos ex pessimo. Equidem non, si mille annis lupum, agnum credideris, agnus fiet. *D.* Obsideor seruis: quid consilij affers? *R.* Nunquam aliunde quæsieris, quod in te est; non obsideberis, nisi dum voles: neque verò nunc obsiderent, nisi quòd in vrbib. male pacatis accidit, vna pars animi, quasi factio seditiosorum ciuium, obsidentibus faueret. Vis hoc malo liberari, purga animi tui statum. Seruos enim castigare, neque his Senecæ consiliis, neque aliis potes. Te si velis componere, nemo vetuerit. Pompas abiice, pelle superbiam. Ita enim vel fugabis seruorum inimicam aciem, vel imminues. *D.* Multis seruis obsideor. *R.* Bene, si strepitus, vel inanis quæritur iactantia; sin obsequium, aut iucunditas, nil peius. Serui, etsi boni sint, quod inter prodigia numerem, nunquam tamen multi benè seruiunt. Inter se enim dissident murmurant, altercantur. Alter ad alterius respiciens manus, ipse interim ociosus; complosisque suis sedens manibus, domini habitum induisse, suum decus existimat; & nil censet honestius, quàm nihil agere; cuncta pollicitus; de his namque nunc loquimur, qui falsa professione ventris ignaui negotium agentes, seruitio humili, non tantùm voluntariè, sed importunè sese offerunt; innumerabilis turba, sed vilis, qui, cum tot pateant artes, abiectissima elegerunt. Nempe illorum, quos non voluntas propria, sed aliena vis, & sua sors, ad seruitium traxit, vt numerus rarior, ita crebior virtus, & notior fides. Nimirum aliud est seruí-

re velle, aliud cogi. Hi ergò fortunæ memores, vt eodem se in omni statu, præbeant: neu virtutem cum libertate perdiderint, quod inuiti faciunt, aliquando feliciter faciunt: cum id nequeant, quos volentes somnus, venter, gula, cupiditas, mali duces, in seruitium perduxere: in quo mirum non est, si ducibus suis studeant, atque id agunt, quod sequuti falsum simul, atque humilem titulum seruitutis, assumpserant. Contrà hi, qui tale nihil, quod sequerentur, habuere, naturam sequuti, ac fortunam, sæpè quod liberi fuerant, serui ostendunt. Et, si fortasse de talibus intellexit, possum inoffensis auribus Senecam audire. *D.* Multi domum serui occupant. *R.A.* Multæ igitur lites, multa bella, de re qualibet pugna erit. Noua cotidie crimina proferantur, ac purgentur; & tu medius inter partes sedeas, oportet. Iudex factus, ex domino, non potes litigium domo expellere; litigantes potes. *D O.* Obsideor famulis, sine quibus viuere nequeo: quid agam? *R.A.* Sicò vsque peruentum est: vt sine hostibus tuis esse non audeas: paucitate illorum, ac virilitate tibi consule. Pelle formosos, pelle comptos ac callidos: pelle vel facie sibi placentes, vel ingenio, vel genere. Inter paucos, eosque hebetes, atque incultos tutiùs ages; non quia meliores, sed quia minùs ausuri: quos, velut hyeme serpentes coacta vis veneni, atque vilis inertiæ torpor obstrinxerit. Denique hæc summa est, vt in seruo sola quidem, aut certè prima fides æstimanda sit. Si quid hac in parte prætuleris, crede mihi, magno cum fœnore vitiorum, qualiscunque illa breuis tibi veniet voluptas, quia sanè perrara est fides: proximum remedij genus, ipsa, quàm dixi, paucitas, vilitasque: non plus habens boni,

sed

sed minùs audaciæ.

De Seruo fugitiuo. DIAL. XXX.

Au fugit seruus nebulo, sine currere pestem;
Namque lucrum magnum est perdere perniciem.

DOL.

DIscesserunt serui. *R.* Quorum molesta præsentia erat, gratus debet esse discessus. Nihil fermè displicet, cuius contrarium non delectet. *D.* Abierunt serui. *R.* O si redeant. videasque oculis, quod animo iam vidisti, quot illos vitia circunstent, quot nequitiæ, quot doli, quot mendaciorum artes, quot scelerum species, quot furtorum? Quid ni horreas comitatum, limenque redeuntibus obstruas, meritoque gaudeas, tuam domum malis exhaustam, leuatamque ponderibus. *D.* Serui simul omnes abiere. *R. A.* Simulque cum illis curæ graues, molestæque sollicitudines, metusque perpetui. Cogita, quot implendi ventres, quot tegendi humeri, quot armandi, stringendique pedes vagi, quot acuti vngues obseruandi: duro te negocio liberatum dices. *D.* Fugerunt serui. *R.* Et cum his odia in dominum, & contemptus, & murmura, & querelæ, quin & execrationes, tacitæq. deuotiones immeriti capitis: quibus immerito seruitio caruisse, quis tam ambitiosus, vt nesciat ascribendum lucro. *D.* Diffugerunt serui. *R.* Quis vnquam de fuga hostium questus est. Iulio Cæsari tribuitur superbiæ, quòd hostem, quem intercipere cogitabat, fugientem mœstus aspexerit. At modestis victoribus terga hostium vidisse, satis est: quin & idem ipse alibi fugientibus parci iubet, sola hostium contētus fuga: idem

facito. Et, si tui hostes grauiore supplicio digni essent, fugisse sufficiat; atque illorum fuga tuam metire victoriam; ablatamque tibi necessitatem vindictæ seuerioris, intellige. *D.* Serui fugere. *R.* Sponte igitur fecere quod cogendi erant: gratiam habeto; depellendi immanes belluas tibi demptus est labor: hinc quereris, fugerunt, qui nisi fugissent, tu fugere debuisses. Fugerunt, qui aut fugiendi erant, aut fugandi. Nunc tu liber, nunc securus, nunc domus tuę dominus remansisti. *D.* Fugerunt serui. *R.* Fugitiuos iudicandi ius est domino, tu te dominum dissimula, nevê hoc iure vtere, Si boni essent, non fugissent, malos amisisse, non iactura, sed quæstus est. Venenosa animalia tutius est vitare, quàm capere. *D.* Serui me solum reliquerunt. *R.* Vere solum, veteque inopem, si ne solus sis, seruili egeas comitatu, ita nec animum habes, nec te ipsum. Quid autem? serui ne igitur tui sine te esse cupiunt, tu sine illis esse non potes? Vide ne hoc ipso seruis tuis ipse miserior sis. Quòd si fortè non seruos cogitas, sed pretium, non desiderium inane, sed turpis auaritia castiganda est, de quo satis est dictum, dum de amissa pecunia loqueremur.

De Vicinis importunis. DIAL. XXXI.

Res mala vicinus malus est, tamen ille ferendus,
Æquo animo cedens, aut procul hinc fugias.

DOL.

VIcini importuni sunt mihi. *R. A.* Vide, ne tu illis importunior. *D.* Graues vicinos perfero. *R. A.* Multum, cunctis in rebus, valet opinio, leues finge animo, leues erunt. *D.* Vicinos

cinos malos habeo. *R.A.* Multi suam culpam proximis imputant. Acutiùs aliena cernuntur, discutiuntur exactiùs, seueriùs iudicantur: suarum rerum nemo non & mitis arbiter, & pius est iudex. *D.* Acres amarosque patior vicinos. *R.A.* Ne fortassis in gustu sit vitium, non in re: fastidiosis etiã dulcia amarescunt. *D.* Vicinos duros, ac superbos queror. *R.A.* Multum sibi quisque permittit, nihil alteri: hinc in iudicio rerum multiplex obliquitas, & iuges offensionum causæ. Et sæpè vnde culpa est, inde primum oritur querela. Quî nunc scimus, an tu illis; qui tam duri tibi videntur, durus, & terricus, & intractabilis videare? *D.* Asperos patior vicinos. *R.A.* Duplex est remedium: Patientia, & fuga. Primum probo, ferendi: artificio omnis miteſcit asperitas. *D.* Vicinos pessimos ferre non valeo. *R.A.* Si nec ita proficis, quis te tenet? migra illico: non vt procaces, ita & sequaces erunt: quod ferre non potes, pondus excute, & quem pugnando hostem pati nequis, fugiendo euade: quid refert, quo te tramite in tutum eripias? Nullum iter ad tranquillitatem animi difficilè iudicandum est: quòd si sæpè idem feceris, nec profeceris, scito culpam tuam esse, nec minus forsitan alienam. Magna pars litium vulgarium duos sontes, & si fortè nocentiorem alterum, nullum habet innoxiũ: quamuis nempe politicum, & sociabile animal dicatur homo: si verum tamen inspicitur, nullum minus. Verumq; est illud Satyricum: Maiorem esse serpentum, ferarumq; concordiam, quam hominum. Si quidem vrsi, apri, tigres, ac leones, denique viperæ, aspides, crocodili, & ad summam, omne animal, præter hominem vtcunque in sua specie quieſcit interdum, homo autem nunquam. Homo hominem premit sem-

per, atque atterit: perpetuis bellis ac litibus, inquietam vitã sibi præstat, ac proximo. Sic enim se res habet, vt vbi maior est locorum vicinitas, ibi videas maiorem distantiam animorum. Rara sine iurgiis ac rancore vicinia est. Nemo vestrum [ni fallor] Arabum, aut Indorum regibus inuidet: lippus est liuor longinqua non aspicit. *D.* Vicinis obsideor infestis. *R.* Si penitus ab hac peste vis absolui, in solitudine te reconde.

De Inimicitiis. DIALOG. XXXII.

Ne quemquam lædas, & honestis moribus este.
Vlciscì aduersum non melius poteris.

DOL.

INimicitias habeo. *R.* Fac, vt iustitiæ fis amicus; nullum certius præsidium. Vera virtus fortunæ minas calcat ac despicit. *D.* Inimicitiæ mihi sunt. *R.* Et cautior eris, & notior. Multos inimicitiæ illustrarunt, qui obscuri mansissent, si hostibus caruissent. *D.* Hostes vndique mihi sunt. *R.A.* Obstabunt, ne inuisibiles animorum hostes subeant voluptates. Non tam hostes tibi sors obtulit, quàm custodes: malo malum maius arcebitur. *D.* Hinc illinc hostibus premor. *R.A.* Illi quoque suis premuntur affectibus; estque apud illos vltor tuus, isque non vnus: pro te partes faciunt, ira, metus, odium, inquietudo; nec dum peracti pœnam criminis exigunt: sic interdum vltio præit offensam, & fortasse non sequuturam. Armabuntur, laborabũt, sudabunt, æstuabunt, anhelabunt, trepidabunt, & fortassis horum nihil ad te. Multi sæpè, grauibus odiis sibi non aliis nocuere. *D.* Est mihi pugna cum hostibus. *R.A.* Et illis secum; & tutiùs a i-

aliquantò cum hostibus, quàm cum vitiis pugnatur. Quisquis alium odit, primum animæ suæ vulnus infligit; proximum nonnunquam suo corpori. Nimia nempe cupiditas ferendi, nocendique, multos incautos nudatosque dedit hostibus: sic semper prima pars malorum in suum authorem vertitur, interdumque nouissima; cum sæpè interim sit illæsus, in quem pernicies parabatur. *D.* Vndique mihi bella consurgunt. *R.A.* Nunquam clarior, sanctiorque fuit Populus Romanus, quàm dum multis ac grauibus bellis occupabatur. Pax initiũ mali fuit; secum namque subiit libido blanda hostis, ac pestilens. *D.* Graues inimicitiæ mihi sunt. *R.A.* Magnæ inimicitiæ plerumque magnarum amicitiarum fuere principium. *D.* Habeo inimicos. *R.A.* Habeto fidem, simul & clementiam; de reliquo quicquid euenerit, cura saltem, vt humanitate sis, ac virtute superior. Sunt & sua iura cum hostibus, cum quibus ita rem gere, vt amicos fieri posse non dubites. Atque hoc sanius consilium scito, quam Biantis; qui sic amicos diligi iubet, vt inimicos fieri posse memineris: quod dictum, quamuis ab aliis laudatum, nec mihi certè, nec Tullio probatur. Est enim verum amicitiæ venenum. In odio ergò cogitandus amor, non odium in amore; longeque Aristotelicum illud in Rhetoricis. Bianteo consilio præferendum. Non oportet [vt aiunt] amare, tanquam oditurum, sed magis odisse, tanquam amaturum: quòd profectò scribens Aristoteles, Biantem ipsum, callidamque eius, & maleuolam sententiam notabat. *D.* Inimicitias habeo. *R.A.* Sed inuitus habe, & armato semper in pectore cor amicum pacis habitet, at-

que ita bellum exerceas, vt coactus videare; neu fortè odio succumbat humanitas, neu tam vindictæ studeas, quàm gloriæ, aut saluti. Scis, vt Romanis inuisior est Hannibal, quàm Pyrrhus? cum vterque hostis, & prior Pyrrhus Italiam inuaserit, at non delendi animo, vt Hannibal, sed vincendi. Omnibus enitendum modis, vt in actu quolibet vera virtus emineat; sic, vt nihil bello quæri aliud, quàm pax honesta videatur.

De Prærepta facultate Vindictæ.
DIALOG. XXXIII.

Optima vindictæ ratio, si lædere possis,
Ignoscas, solet hac sola placere Deo.

DOL.

OPtatæ facultas eripitur vltionis. *R.* Cui peccatum eripitur: nihil eripitur, multumque tribuitur: quædam habentibus eripi, lucrũ est: ea, ne habeantur obstare, lucrum maius. *D.* Facultatem vltionis perdidi. *R.* Felix iactura, quod noceat, amisisse. *D.* Ab optata, & sperata vltione prohibeor. *R.* Primum erat, nolle male agere, proximum prohiberi. *D.* Necesse est occasionem vltionis omittere. *R.* Si pulcherrimum vindictæ genus est, nolle vlcisci, pulcherrima necessitas, non sini. Vltrò virtutem amplecti optimum, proximum est compelli. *DO.* Ereptam mihi vindictam doleo. *R.A.* Veniet tempus [citò fortè] quo gaudeas: neque aliter accidisse, vllo velis modo. Quidam ad quæ coacti veniunt, velle incipiunt, & amare: & de necessitate consensus oritur: dumque voluntas fieri incipit, desinit esse necessitas. *D.* Videbar vlcisci posse, nec potui. *R.A.* Non posse malum agere, potentia magna est:

est: nempéque omnipotentis est propria. *DOL.* Vindicta mihi præsens excidit. *RAT.* Colubrum tibi è manibus excidisse credito: vide ne iterum surrepat. Nihil homini tam contrarium, quàm inhumanitas. Per hanc enim homo esse desinit, idque sic esse, ipsum nomen indicio est. Nullus morbus tam contrarius, nec mors quidem: illa, secundum naturam accidit, hæc autem contra. Sæuire in hominem inhumanum est, quamuis meritum. non oportet exulcerati animi motum sequi, & priuati memoria doloris, naturæ communis obliuiisci. *D.* Me vlcisci vetitum, in perpetuum dolebo. *RA.* Forsan in perpetuum gaudebis: quoties putas, post inimicitias depositas, & in gratiam reditum, corruisse aliquos amicorum in amplexibus; cogitantes, hunc ego perditum volui, & interdum à successu impio parum abfui. O sors optima, in quam piam partem consilium crudele vertisti? *D.* Iustam iram exequi non sinor. *RA.* Iustam iram vix inuenias; cum sit scriptum: Ira viri iustitiam Dei non operatur: & rursus ab altero: Ira furor breuis est. Optimum igitur non irasci, proximum non vlcisci: sed frenare iram, ne animum rapiat, quò non decet; tertium est vlcisci non posse, etiam si velis. *D.* Pulchra mihi præcipitur vindicta. *R.* Pulchrior venia relinquitur, & pulcherrima omnium obliuio. Hæc inter omnes principes; Iulium Cæsarem illustrauit. Innumeræ & ingentes viri huius victoriæ, gloriosissimi sunt triumphi, incomparabilis rei militaris excellentia, altissimum ingenium, præclara eloquentia, nobilitas generis, forma corporis, & inuicti animi magnitudo. Cum cuncta collegeris, nil in eo clarius clementia, & offensarum obliuione reperies:

quę quamquam ſibi materiam mortis attulerit; vt iure Pacuuianum illud in funere caneretur.

Me miſerum eſſe, vt eſſent, qui me perderent!

Ex quo tamen neceſſariò moriendum erat, poteſt quodammodo, tali ex cauſa optabilis mors videri.

De Odio populari. DIAL. XXXIV.

Ne cures, ſi te mundus non diligit, vnquam,
Et mundo, atque Deo nemo placere poteſt.

DOL.

POpulus me odit. *RA.* Habes, quem prædixeram popularis finem gratiæ: pro dilectione odium. *D.* Populus gratis odit me. *R.* Miraris, quòd ſine cauſa odit, qui ſine diſcretione dilexerat, conſequens hoc illius; vnde modeſtia exulat, ibi regnare impetum eſt neceſſe. *D.* Odit me populus. *R.* Hæc bellua iniuriæ prompta eſt, ſegnis officio. Vulgi amor leuis, odium graue. *D.* Populus mihi ſuccenſet. *R.* Ab amante plauſus, ab irato populo pernicies; impar periculum, ac ſpes. *D.* Populo odioſus ſum. *R.* Nihil impetuoſius ſtultorum turbis, vbi inſaniam ſingulorum publicus furor, & furorem publicum ſingulorum rabies impellit; altérque alterum trudit. Nihílque periculoſius, quam incidere in illorum manus, quibus pro iuſtitia ſit voluntas, pro maturitate præcipitatio. *DOL.* Odit me populus. *RA.* Non amaſſet vtinam, ne nouiſſet quidem. Amor malorum, odio finitur. Vtrumque anceps; ſola ignorantia tuta eſt. *D.* Populo ſum inuiſus. *RA.* Populus odioſus, leniendus, aut linquendus.

De

De Inuidia. DIAL. XXXV.

Inuidiam quicunque voles vitare nocentem,
Infelix fias, non odiosus eris.

DOL.

INuidetur mihi à multis. R. Præstat inuisum esse, quàm miserabilem. D. Inuidia exerceor æmulorum. R. Et quis vnquam virtutis amicus, exercitio hoc caruit? Percurrere animo omnes terras omnia sæcula cunctas historias euolue, vix insignem virum hâc immunē poste reperies. Nolo nunc narrationem ingredi, quæ nos longè nimis à proposito distrahat; sed si aliquid meministi, omniū, quę legisti, non possunt ignoti tibi esse quāplurimi, quorū comitatu non tantū consoleris sed etiā glorieris. D. Inuidetur mihi. R. Linque honores, & officia publica, desine incessu elato, & superbo comitatu per ora ciuium volitare. Sequestra te ipsum; quantū potes, ab oculis multorū inuidorum, nec vultu, nec verbo, nec habitu digito te notandū præbeas. Vulgus, & liuor in plateis habitant. sic & mala fermè omnia. Quidā hostes nullo melius modo quàm fuga vincūtur, ac latebris. D. Et profugum, & latentem liuor insequitur. R. Tolle mali materiam, malum omne sustuleris. nimiis opibus modum pone: quicquid eximia specie inflammare animos potest, vel abiice, vel absconde: Si quid est quo carere nolis, aut nequeas, modestè vtere; inuidiam, quam insolentia exasperat, humilitas lenit. Sunt, quæ illam extinguant, efficacia quidem, sed morbo ipso peiora remedia; miseria scilicet, & infamis vita: de quorum altero dictum est miseriam solam inuidia carere: de altero Socraticum illud: interroganti enim

Alcibiadi, quibus modis inuidiam declinaret, respondit Socrates: Et vine, inquit, vt Therſites: cuius vitam ſi neſcires, in Homerica leges Iliade: ito nicum, planéque Socraticum reſponſum. Non enim eſt conſiliũ, vt inuidiã vites, vitare, virtutẽ; ſatiúſque eſt Achillem eſſe cum inuidia, quàm Therſitem, ſine: quanuis illud conſtet, magnos interdũ viros, vt ſecuri viuerent, & virtutem ad tempus, & ingenium occultaſſe. *D.* Inuident mihi multi. *R.* Inuidiam, niſi vel ignauia, vel miſeria vix euades; quam, ſi ſic euaſeris, in contemptum incides; vtroque caruiſſe difficillimum. *D.* Inuidia multorum premor. *R.* Eſt, vt perhibent, calcandæ aliud iter inuidiæ, per excellentem gloriam, ſed perraro veſtigio ſignatum; ita, vt plures hoc calle gradentium in id, quod fugiunt relabantur.

De Contemptu. DIAL. XXXVI.

Si te contemnunt homines, & friuola dicunt,
Diſſimula, riſus deſinit in gremium.

DOL.

SEd contemnor. *R.A.* Sí iniuſtè quidem, eſt [non inficior] quod doleas, feras tamen; alioqui eſt, quod rideas. Nihil eſtenim ridiculoſius, ſed nihil crebrius, quàm contemni Sapientem ab inſanis. *D.* Spernor. *R.A.* Circa hoc verbum vnum, quatuor bona eſſe dixere aliqui. Spernere mundum: Spernere nullum: Spernere ſeſe: Se ſperni: hoc tibi vltimo opus. *D.* Spernor à multis. *R.A.* Si à maioribus, fer; ſi à paribus, patere. Illi ſuo iure vtuntur. Ferè namque contemptui ſunt minora maioribus. Hi ſe contemptui offerunt, & maiores fieri, quando aliter non poſſunt, hac tentant via. Sine minoribus, ſine illos

illos insanire; neque magnifacias contemptum, qui illis infamiæ sit, tibi gloriæ. Spreuit Achillem Therſites, de quibus modò diximus; Homerum Zoilus: Augustum Antonius; Vergilium Euangelus; Ciceronẽ Caluus. Et [quod ex Euangelio didicimus, quodque est maximum] Herodes pessimus, miserrimúsque hominum, Christum spreuit. Quid vel contemptis hoc nocuit vel contemptoribus profuit? *D.* Spernor, & irrideor. *R.* Irrisuum nescio quid, & histrionicum etiam esse animis solet, eóque magis; quo minoribus, quid minus est opus alter alterum ridet. *D.* Spernor ab aliis. *R.* Recordare an tu alios aut spernas, aut spreueris. Hic est mos humanus, spernere, & sperni mutuo vos vicissim odio; mutuóque premitis contemptu, & vultis alios esse venerabiles, neminem venerantes; placere vultis Deo, cuius operum nullum vobis placet, eo, quo placere debet modo; in quo præclare quidem noster Cicero; si præclarum aliquid sub Deorum nomine dici posset: Minimè, inquit, conueniet, cum ipsi inter nos viles, neglectíque simus, postulare, vt Diis immortalibus cari simus; & ab his diligamur. Illud ergò præclarius, Malachiæ prophetæ: Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non vnus Deus creauit nos? Quare ergò despicit vnusquisque vestrum, fratrem suum. *D.* Sperni grauiter fero. *R.A.* Etsi nemo sperni velit, multi cupiant timeri, multò tamen est sperni securius, quàm metui. Itaque quod ait Annæus in epistola quadam: Non minus contemni, quàm suspici nocet; non admitto; illud ab eodem alibi dici rectiùs æstimo: periculosius timeri esse, quàm despici. Proinde cum veteri Sapientum edicto, tria hæc vitanda didiceris; de

quibus totidem continuis tractatibus egimus, & sint mala omnia, haud dubiè tamen malum minus hoc vltimum, quanuis ignobilius, nec deest suum cuique remedium. Odium obsequio lenitur, liuor modestia, contemptus amicitiis illustrium, & honestis artibus, ac virtute. Nemo primum Bruto contemptior Romæ fuit, nemo minus postea. Age & tu bonum, magnúmque aliquid, quo contemni nequeas.

De Promissi muneris tarditate.

DIAL. XXXVII.

Fers grauiter non seruari promissa, memento,
Te quoque consuetam fallere sæpe fidem.

DOL.

SErò promissa complentur. *R.* Quid singulariter de hoc quereris, quod omnibus est commune? Nulla quidem res magis munus inquinat, quàm dura frons, & lenta dilatio; sed hic est mos, citò vultis accipere, tardè autem dare: ad illud alacres, ad hoc mœsti, ad illud præcipites, ad hoc segnes. Ingratitudinis duplex radix, duplex materia querelarum, dum & illos mora, & celeritas hos constringat. *D.* Multa mihi promissa sunt, nihil impletur. *R. A.* Magnis promissoribus minimum fidei esse debet. Nota vanitas, notæ blanditiæ, nota hominum mendacia. Multa tibi vnus aliquis promisit, sufficit promisisse, quære aliũ, qui promissum impleat. Non potest vnus omnia facere, fecit hoc promissor, vt eũ interim diligeres. *D.* Quod mihi promittitur, nõ fit. *R.* Duarũ cupiditatũ potentior est, quę tenet, quàm quę poscit. *D.* O quot ille pollicitis abundabat. *R.* Aut irridebat, aut ad tẽpus diligi volebat [vt dictum est] & fortè dum

dum tibi multa promitteret, vnum aliquid à te poscebat, quod, vel magni pretio mendacij bene partum æstimaret, sæpe autem, qui diuites sunt verborum esse inopes rerum, nosse debueras. *D.* O quàm multa mihi promissa sant. *R.A.* Si mihi credideris, multa promittentibus nihil credes.

De Repulsis. DIAL. XXXVIII.

Ira si noli, pateris si forte repulsam,
Sæpe datur, quod pòst obtinuisse deles.

DOL.

REpulsam passus indignor. *R.* Vis ne igitur, quæcunque poposcerís, adipisci, ita vt negari tibi nihil possit? ne intolerandę superbiæ sit, hoc velle. Meminisse magni Pompeij decuisset; quo nescio, an maior vnquã fuit, de quo tamen scriptum est: Quæque dari voluit, voluit sibi posse negari; quàm multa Cęsaribus supra humanam magnitudinẽ, summo etiam imperio gloriosis, negata cognouimus; & tu grauiter vnã, aut alteram fers repulsam? Deniq; quàm multa quotidie Deus poscit ab homine, nullius rei indigens, nec impetrat? *D.* Non possum æquo animo repulsam pati. *R.* Cur petendi tibi arrogas licentiã, & negandi aliis carpis libertatẽ? Quid quòd sæpè indigna petitio, dignam repulsæ præbuit materiam. Quid quòd sæpe etiam petendi repulsa vtilis fuit; cui, quod petierat, impetrasse damnosum erat. *D.* Iniustam patior repulsam. *R.* Si iniusta est repulsa, iusta ergò petitio: gaude, cuiuscunque potiùs culpã esse, quam tuam. *D.* Vnde non merui, repulsam tuli. *R.* Multi se magna meritos putant, vnde penitùs nil merentur. Hinc repulsæ dolor, hinc que-

relæ istæ, quibus orbis terræ, & omnis vita hominum plena est. *D.* Pudendam patior repulsam. *RA.* Pudendum nihil, præter culpam: quem pudorem tibi inferre potuit, quod tui non erat arbitrij. *D.* Repulsam patior, vnde non credidi, *RA.* Credulitas incerta est, certa autem res; non posse quod petitur, negare, non est liberi, sed serui. Non posse repulsam pati, non est ciuis, sed tyranni. *D.* Optatæ, speratæque rei passus sum repulsam. *RA.* Si quicquid sperant, cupiuntque homines, assequerentur. Dij essent omnes. Tu verò, vt indignationes multas, ac dolorem fugias repulsarum; disce optare possibilia, & honesta: nõ assequi velle, quicquid inconsultus, & inexplebilis appetitus optauerit, quicquid spes vana suggesserit. *DO.* Non tantùm repulsus ego, sed indignus mihi antepositus fuit. *RA.* Et quoties indigni dignissimis præferuntur, & quoties indignos indignissimi iudicant; alienarum seuerior, suarum quisque fauoralibus rerum iudex. Multi se indignos dicunt, pauci credunt. *D.* Paruæ rei patior repulsam. *RA.* Multis parua negata, magna vltrò oblata vidimus. Si repulsis compensentur munera, fortunæ lances æquabuntur: sed vos illas indignatione augetis; hæc obliuione, atque dissimulatione minuitis. *DO.* Dignus eram [vt arbitror] non repelli. *RA.* Vt si ita, an tu omnia, pro dignitate hominum, dari existimas, ac negari? Vtinam ita esset, vt & plures bonos, spes præmij & pauciores malos faceret metus pœnæ: sed non ita est: amor, odium, spes, cupiditas, affectus inconditi, cuncta permiscuere. In te vno fortunæ stilum publicum vis mutari, & non te potius ad communem cursum humani mortis inflecti? *D.* Quanto indignior mihi anteponi-

tur.

tur competitor. R. Et Lucius Flaminius, mox ob indignum facinus iudicandus, & ordine senatorio amouendus; Scipioni Nasicæ prælatus fuit, viro omnium optimo, senatus, & populi sententiis iudicato. Et Vatinius Catoni, illaudatus laudatissimo, non solum populi amicorum, simulque hostium iudicio; sed toto etiam Ciceroniano volumine; quid hic dicis, vt sint grauia, non sunt noua, quæ pateris. D. Multum sperabam, modicum non mereor. R. Vt multum quoque merearis, dixi iam, non omnia pro meritis dari. Quid, quod semel negatum, eidem id ipsum mox concessum vidimus? Quod in ipso, de quo loquor Scipione, accidit; repulsarum duriciem sæpè pertinax virtus infregit. Testes sunt Æmylius Paulus: Metellus Macedonicus: Lucius Mumius, qui consulatus repulsam passi omnes, iidem speciosissimis consulatibus, ac triumphis postmodum honestati, suis ciuibus, quibus contemptui fuerant, spectaculo fuere; nunquam ad id peruenturi, si repulsas populi lamentis potius acerbare, quam virtutibus superare voluissent. Lucius Sylla, quamuis in finem ciuilibus discordiis irritatus, famam suam nota crudelitas infecerit: nobilitate tamen, & gloria insignis ciuis, non consulatus, sed præturæ tantò mnoris rei repulsam cum tulisset, summam reipub. post adeptus, & præturas, & consulatus, & imperia non tantùm consequi potuit, sed donare. Non debet repulsa spē auferre, sed afferre sollicitudinem, ac virtutem acuere; quæ nil tam asperum, quod non leniat, idque etiam, si quando non fecerit, non tamen ideò deferenda est; ne propter se ipsam suumque proprium finem, culta videatur. Denique hi repulsas suas forti animo tulere. At Publius Rutilius repulsa fratris au-

dita, quam erat passus, in petitione consulatus. sta tim morte obiit repentina. Elige vtrum sequi malis.

De Iniusto Domino. DIAL. XXXXI.

Imperium quodcunque feras, nam vulgus iniquum
Sæpe magistratus commeruere malos.

DOL.

INiustum dominum patitur Resp. *R.A.* Sed fortassis id merita, & id sceleri scelus est debitũ: non solùm apud inferos, sed vbique fieri iudices, vbique iustitia suum opus exercet; & si sæpiùs cunctetur, interdum properat: verúmque re ipsa sit, quòd scribitur, Vtique est Deus iudicans eos in terra. Dæmones ex hominibus fieri quidam opinati sunt, perpetua criminũ licentia peccandique libidine: quod, vt fortè tolerabiliter dictũ sit, malarum voluntatum similitudo effecit, qua homo malus, atq; in malis obstinatus, penè dæmonẽ æquat. Cui sententiæ, si recipitur illud, fortasse non dissonum fuerit, vt permissu diuinæ iustitiæ, dæmonem dæmon premat; qua in re illud duntaxat [vt videtur] & miserum, quòd nonnunquam sceleratorũ suppliciis miscentur innoxij; & nimis verum, crebrúmque comprehenditur illud Flacci.

Sæpe dies pariter neglectus,
Incepto addidit integrum:

Quod ipsum nõ sine certa, licet vobis occulta, iustitia Dei fieri, indubitata fide creditur. *D.* Crudelem dominũ perpetimur. *R.* Crudelitas mala quidẽ, & naturæ hominũ aduersa, sed vtile vitiis, & lasciuiẽti populo frenũ, pauor, vndecunque oriens. Amare insciis, expedit timere: quicquid id quidẽ sit, Nemo tam trux dominus, vt non truculẽtior sit voluptas, prosperitatis comes, ac filia. Male agentibus

gentibus nihil peius, quàm securitas, ac libertas. Qui nihil metuit proximus est ruinæ. *D.* Iniquum dominum infausta plebs patitur. *R.A.* Nullus mihi crede, misera in plebe miserior, quàm tyrannus; quod si dubitas, Dionysium contemplare. Ille vir improbus, nec indoctus, de se ipso, suaque tyrannide quid sentiret apertissimè, pendentis supra amici verticem gladii cuspide declarauit. Nota est historia. Timet plebs tyrannum, & tyrannus plebem; sic reciproco pauore se cruciant. Hoc refert. quod miseria plebis apparet, ac tyranni latet; non minus tamen affligit purpureo velamine tectum vulnus, deque minus aureæ grauant compedes, quàm ferreæ. Est & sua, vt in sordibus, vtque in fumo, sic lautitiis ac splẽdore miseria. Aurea quidem tyranni vestis extrinsecus; obuerte illam ardentibus intus aculeis plena est. Ita, vt vides, non penitus, aut impunè sæuiunt tyranni, aut inulta plebs premitur. *D.* Inclementissimus nobis est dominus. *R.A.* Non tot passim essent domini, nec tam latè furerent, nisi populi insanirent; & cuique ciuium pro se carior foret res priuata, quàm publica; voluptas, quàm gloria; pecunia quàm libertas; vita quàm virtus. *D.* Vnum dominum, serua fert patria. *R.* At non vnum, sed triginta simul illa nobilis legum mater, Græciæque lumen alterum, Athenæ, *D.* Patria dominum vnum fert. *R.A.T.* multos autem Roma: quis Caligulas nesciat ac Nerones, & Domitianos, ac Commodos, & Helogiabalos, & Bassianos: & Galienos, ac ne singula imperij probra exequar, Maximinos, & pietatis hostes Iulianos, ac Decios? Sardanapalum Assyria pertulit; Cyrum Persis; Alexandrum Græcia; atque Asia reges dictos. Verè autem tyrannos acerrimos,

& immites tulit; & Dionysios Sicilia, Phalaridem, Agathoclem', Lacedæmon, Cleomenem, Nanidémque; quem Agri quoque perpessi, fœmineámque vxoris auaritiam; quæ viro ipso rapacior in sexu suo tyrannidem, miris modis, exercuit: sed quo feror? quis autem veteres, aut nouos numeret tyrannos? qui tam multi hodie, támque altè, hinc suis opibus, ac potentia populorum; illinc moribus, atque dementia radicati sunt, vt nec numerari iam valeant, nec conuelli: neque minus apud vos, quàm apud, Ægyptios, aut Medos libertate pessundata, ac sepulta, versa seruitus in naturam sit; sic vt pars maior populorum, tyrannum si non habeat, quæsitura precariò, seu precio emptura videatur, vsque adeò patres vestros esse, quod nati erant, puduit: vos enim penè omnes in seruitio nati, atque educati, vt doloris antiquam, sic nouam querelæ materiam non habetis. *D.* Potentis domini graui præmimur iugo. *R.* Aristophanis poetæ vtilis fabella, quæ monet, non nutriendum in vrbibus leonem: tamen si nutritus fuerit, obsequendum illi esse; nec tyrannidis naturale malum impatientia cumulandum, quamque ipse feceris potentiam detractandam. Rarò equidem tyrannus, absque culpa ciuium, surrexit in populo. Verus est autem verbum: Ede, quod nutristi. *D.* Dominum importunum patimur. *R.A.* Si omnis potestas à Deo est, seu ad bonorum exercitium, seu ad malorum pœnam; par est, vt diuino imperio te subiectum sentias, non humano. Cuius si minister immitior videtur, patientia fortassis efficiet, vt miteſcat. Vix est vllum tam ferox ingenium, vt non obedientia, & obsequio leniatur, vel ferendum denique, ponendum omne,

omne, quod premit. Nempe nihil est tertium præter impatientiam, quæ [vt dixi] molesta non minuit, sed aceruat. *D.* Malus nobis est dominus. *R.* Omnes vos vnum habetis notum hostem: vnus ille multos habet incognitos: periculosior status. *D.* Dominus nobis est pessimus. *R.* Sed non erit diu, si bene philosophis visum est: violentum nil esse diuturnum. Et sanè, si vel vnum patria ciuem bonum habeat, malum dominum diutiùs non habebit.

De indocto præceptore. DIAL. XL.

Forsan ab indocto si tu do eare magistro,
Fac alium quæras, sedulus esto tamen.

DOL.

EST mihi præceptor indoctus. *R.A.* Etsi doctum facere non possit indoctus, verúmque sit commune illud signum; Scientis est posse docere: sub indocto tamen præceptore, doctus aliquis fieri potest, vel per seipsum, vel [quod est verius] influentia cælesti, atque inspiratione. Et vt Ciceronis vtar verbo: Aliquo afflatu diuino, sine quo nec doctum certè, nec bonum virum fieri posse, credendum est. Hoc enim non solum vera religio sentit, sed gentilis quoque philosophiæ consentit authoritas. *D.* Indoctum præceptorem nolens audio. *R.A.* At cælestem præceptorem audi libens, qui fecit aures tibi, non has tantùm, quas videmus, sed inuisibiles, alias intus in anima. Illum audi, qui docet hominem scientiam, sicut scriptum est: quo insuper tacente, frustra præceptor quicunque mortalis, quanuis doctissimus, laboraret. *D.* Præceptorem indoctum ægrè fero. *R.A.* Vel ab illo fugiens, alium quære; vel ad teipsum redi. Et me-

mento Epicurum sæpè à Cicerone, licet irrisum, visum tamen Senecæ magnum virum, non indoctum modò præceptorem habuisse, sed nullum: vt gloriabundus idem ipse commemorat. Augustinum verò, quod de se ipso testatur, cui non omnia credere nefas est; & Aristotelicas categorias, quæ inter difficillima numerantur, & artes liberales, quas singulas à præceptoribus didicisse magnum, dicitur, nullo hominum tradente, vt idem ait omnes intellexisse. Nouissimúmque Bernardum, virum doctrina, & sanctitate clarissimũ, omnes suas literas quarum inter cunctos sui temporis abundantissimus fuit, in siluis & in agris didicisse, non hominum magisterio, sed meditando, & orando, nec vllos vnquam alios, vt de se etiam ipse ait, præceptores habuisse, quàm quercus, & fagos. Hæc si facta sunt, cur non iterum fieri possint? Quod nisi sic esset, quid fecissent primi hominum, quib. nec præceptor vllus erat, nec reperti aliqui: mirando ergò, cogitando, assurgendo, & ingenium acuendo, ea ipsa, quæ vos, cum omnibus præceptoribus vestris, vix intelligitis inuenere. Aude & tu aliquid, téque magnis inserere ne diffidas. Si mortalis defuerit, æternus aderit præceptor, à quo sunt omnes, & omnia ille fecit ingenia, & scientias, & magistros.

De Discipulo indocili, ac superbo. DIAL. XLI.

Instruere indocilem puerum, quicunque laboras,
Littus aras, & erit gratia nulla tibi.

DOL.

DIscipulum habeo indocilem. *RAT.* Perdis operam, littus aras semina proiicis; natura non vincitur. *D.* Discipulum indocilem sors dedit. *RA.* Terræ aridæ colonus, solue boues

ues; quid te torques? Illi parce, & tibi; cum tot sint labores necessarij; ineuitabiles; superuacuos quærere, stultitia est. *D.* Discipulum habeo literarum indocilem. *R.A.* Si docilis est virtutum, illic insta; melioribus illum artibus ornaueris. Quod si neutrum capit, vacuum sine; néve quid in pertusum vas effuderis, quod neque ibi subsideat; téque iugi tædio exhauriat. Sic habeto etiam. Omnes qui sunt, quíque erunt, aut fuerunt virtutibus, aut doctrinis clari, non posse vnum ingenium accendere, nisi aliquæ intus in animo scintillæ sint; quæ præceptoris spiritu excitatæ, & adiutæ generosum disciplinæ fomitem arripiant. Alioqui algidum in cinerem nequicquam flabis *D.* Intractabilem discipulum ac superbum habeo. *R.A.* Superbia hostis ingenij est, dúmque subesse dedignatur, & discere negligit discipulus, insolens ægrè manum ferulæ subiiciet, doctrinæ animum, reprehensionibus autem, collum iugo. *D.* Habeo prosperitate tumidum discipulum. *R.A.* Sicut tumor oculorum visui, ita tumor animi ingenio nocet; vt disciplinis aditus fiat, comprimenda est omnis elatio. Scis, vt Alexander Macedo, cum aliquando mathematicis animum applicasset, & Geometrica sibi quædam obscuriuscula traderentur, difficultatibus offensus, præceptori imperat, vt id ipsum clariùs tradat, & quid ille respondeat: Hæc, inquit, æquè omnibus difficilia sunt; vt scilicet omnem illi spem regij fastus excuteret: sic est enim hercle. Nullæ sunt fortunæ partes in ingenij rebus; quisquis doctus, ac sapiens fieri vult, obliuiscatur interim se potentem. *D.* Discipulum rudem elatúmque habeo. *R.* Contra ventum aduerso flumine nauigas; contrahe carba-

sa, terram pete. *D.* Contumacem habeo discipulum, propteruúmque. *R.* Non arenam tantum fodis, sed serpentem nutris, Aconitum excolis, hostem doces. *D.* Duræ discipulum ceruicis instruo. *R.* Surdo canis, sed sic est? hos clamor, hos silentiũ delectat. Potentissima semper in rebus omnibus consuetudo est. Vide vt piscator tacitus, ac clamosus venator, ac clamosior aliquantò scolæ arbiter quam siluæ. *D.* Duricordem discipulum nactus sum. *R.* Sæpè faciliùs vrsi caput mollias, quàm hominis, quid vis autem? Est in fabulis, lupum ac vulpeculam literas didicisse. Nam elephantis studiosi non anilis fabula est, sed naturalis historia. Et hic tuus forsitan studio naturam leniet. Apud me autem vna ferè pastoris, ac præceptoris vita est, Mirum, nisi vterque tandem à conuictu mores traxerit. Ille belluas tegit, hic pueros.

De Nouerca. DIAL. XLII.

Rara auis est, natus clemens, & iusta nouerca,
Hanc opus est magno vincier obsequio.

DOL.

NOuercam habeo. *R.* Ergò & patrem: sic sunt fermè res humanæ, vt tristia lætis, & amara dulcibus temperentur; atque vtinam ex æquo: impermixtũ hic dulce non habitat; *D.* Iniusta mihi est nouerca. *R.* Nõ ineptè Vergiliano epitheto vteris; quãtò autẽ illa iniustior tibi, tantò in illã vt sis iustior, enitere. *D.* Nouerca mihi superbissima est. *R.* Et fœminæ propriũ superbia, & nouercę est; sic geminæ causæ vnum pariunt effectum: non est, quod stupeas; est quod feras, téque priuignum simul, & filium bonum probes. *D.* Superbissima est

ma est nouerca. R. Nulla re meliùs, quàm humilitate vincitur superbia. D. Nouercam ferre nequeo. R. At fer patrem: si hunc valde diligis, facilè illam feres. D. Nouerca impia, atque importuna est mihi. R. Esto illi pius, ac patiens: pietatem patri debes, patientiam fœminæ, reuerentiam nouercæ. D. Insolens est nouerca. R. Noli pati, vt potentior sit illius insolentia, quàm pietas tua. Nihil durum, nihil arduum est pietati; hæc ad Deum homines erigit, Deumque ad homines inclinat: quoties nouerca sæuierit, non tu illam, sed patrem cogita. D. Iniuriosa est nouerca. R. Muliebres iniuriæ, contemptu meliùs, quàm vltione plectuntur. D. Grauem patior nouercam. R. Bene ais, patior. Succumbere enim, & mulierculam pati non posse, non est viri. D. Odit me nouerca. R. Ipsam ama. Nam & inimicos diligere diuinum est præceptum: & amare, vt ameris philosophicum est consilium. D. Nouerca me odit. R. Si patrem tuum amat, satis est tibi: odisse patris amatricem filio non licet: sin & illum odit, quem non oderit? Nam etsi alterum, plusquam virum, amat, tu ille ne fueris. D. Nimis odit me nouerca. R. Minus malum forsitan nouercæ odium, quàm nimius amor. Phędram nosti, & Hippolytum. Certè odium, quod vlcisci nefas, lenien dum, aut fugiendum, aut ferendum est. Nihil est quartum: querelæ sæpè odium exaggerant.

De Duricie Paterna. DIAL. XLIII.

Fer patris imperium, quamuis videatur iniquum,
Est pater, & natum non cupit esse malum.

DOL.

DVrum patior parentem. R. Duricies patris sæpè filio salubris: semper damnosa mol-

licies; non linguæ tantùm, sed nec virgæ parcendum, docti consulunt: his duobus animorum iuuenilium constat in primis cura, quæ si frustra sint, grauioribus morbis grauiora remedia adhibentur, abdicatio, & carcer: quin & more veteri Romano, ad extremum, supplicia, & mors: quod non consules modò, & duces, quibus imperium in omnes, publici consilij præstaret authoritas, sed priuatos illos priscos ac seueros patres, quibus sola patria potestas ius in filios daret, sæpè acerrimè obseruasse legimus, in quibus maximè Cassij Fuluij nobilitata seueritas. I tu nimis blandum patrem, dic durum. *D.* Patrem patior durum. *R.* Qualem, putas, ille te passus est puerum? qualémve deinceps adolescentem. Difficile id quidem persuadere his sibi valde placentibus: sed crede mihi, nihil durius quàm ætatis illius inconditos mores pati. *D.* Patior durum patrem. *R.* Quid si durus es filius? Dura duris efficaciùs leniuntur, & sæpè medici mollioris deformior est cicatrix. *D.* Patrem durum habeo. *R.* Si pater verus est diligit: & si diligit, non quæ mulceant, sed quæ prosint, cogitat. *D.* Durissimus pater est mihi. *R.* Quæ ibi durissima, illi forsan vtilia videntur: cui & certius iudicium & incorruptior est affectus. Adolescentia non nisi quæ sub oculis sunt, metitur: ætas matutior multa circunspicit. *D.* Pater est mihi durissimus. *R.* Vide ne tu illi durior: vt dum ille dedecori tuo obstat, tu illius vitam perditis moribus, inquietes. *D.* Perdurus pater est mihi. *R.* Qui salutem filij negligit, ille demum durus est pater, etsi fronte mitissimus. At qui filium ad rectum iter trahit, ope, consilióque adiuuans, & sæpè verborum, sæpè rerum stimulis impellens,

sæpè

sæpè vel tardum increpitans, vel inuitum cogens, quamuis seuerior sit aspectu, durus est minimè. Fructuosior filio seueritas patris solet esse, quàm comitas. *D.* Durus est pater. *RA.* Supercilium paternum, zelus, dolor, metus, ætas excusant. *D.* Durum patrem ægrè fero. *RA.* Quid si [quod multis sic affectis iure accidit] ferre duriciem cogaris alterius? Quid si ipse contumacis filij pater esse incipias? tunc intelliges, quàm suaue patris iugum, & quàm iustum sit imperium. Nunc non nisi vnum intelligis, quod delectat, inque hoc vno iudicium tuum habes non delectatione animi, sed titillatione sensuum circumuentum. *D.* Durus mihi pater est. *RA.* Vt sit durus, illum tibi, non te sibi iudicem dat natura, quam sequuta lex ciuilis, castigatores parentum filios erubescit. Pudeat te audere, quod vlli filio licere legem puduit: siue de te iudicet, qui te genuit, aluitque. Tu de illo iudicium linque aliis, patremque, si veræ laudis non est capax, decoro saltem silentio venerare. *D.* Durus pater est moribus. *RA.* Non arguendi mores patrum, sed ferendi sunt. Nihil turpius in Alexandro sonat, quàm quòd, non dicam patrem conuitiis attentasse, sed paternis laudibus inuidisse visus est: de patre vel gloriosè loquendum, vel tacendum. *D.* Habeo durum patrem. *RA.* Habes vbi amorem, vbi pudorem, vbi patientiam vbi obedientiam tuam probes. Nullum in terris imperium iustius, quàm patris: nulla honestior seruitus, quàm filij. Nil tam suum cuique est, quàm filius patri; nil cuique indigniùs eripitur. Sed vos præcipiti, atque intempestiuo desiderio, subesse nati contēnitis: præesse concupiscitis; sic & patrib. vos aufertis, & patrum antè vobis imperium vsur-

patis. Duplex indignitas: ita fit, vt insolentia iuuenilis, vndique rerum turbet officia. Hinc fortè prohibiti, de patrum asperitate querimini, vestro digni iudicio, quibus omnia liceant, ob id vnum, quòd nati estis; & placere vobis ad speculum didicistis, tum demum, cùm præesse cœperitis, sensuri, quid vobis turpiter ante tempus optatum esset. *D.* Rigidus pater est mihi. *R.* Quid si pius est rigor? pater filio rigidam pietatem, patri filius obsequium reuerens, obedientiamque humilem debet. De Manlio Torquato in historiis, & apud Marcũ Tullium legisti, vt perindulgens in patrem, idem acerbè seuerus in filium fuit: vulgi fortè iudicio reprehensus in altero; ab incorruptis æstimatoribus, in vtroque laudatissimus, tanta diuersitas rerum est. *D.* Pater durus est mihi. *R.* Serò bona vestra cognoscitis, O mortales. At cùm nosse cœpiscs nimis agnoscitis, hinc & præsentia fastiditis, & amissa lugetis. Alterum superbè nimis, alterum nimis humiliter: & vbi agendæ grates, & vbi habenda patienria, vtrobique querimoniæ, nusquam æquanimitas, sic in Deum, atque homines grati estis. *D.* Durus est pater mihi. *R. A.* Veniet tempus, quando hunc ipsum patrem suspires, nec responsurum voces. Et qui tibi nunc videtur saxis durior, plumis mollior videatur. *D.* Durum patrem habeo. *R.* Patrem dum habueris, non agnosces.

De filio contumace. DIAL. XLIV.

Corrige, dum tener est, puerum, nec parcito Virgæ:
Dum tener est ramus, flectitur obsequio.

DOL.

HAbeo filium contumacem. *R. A.* Æquum est, vt qui patrem ferre non poteras, filium feras;

feras ; vtique sarcinam grauiorem : magis animum premit, pungitque acriùs, superbi filii verbum vnum irreuerenter prolatum, quàm seueri patris quæcunque duricies. Ille enim iniuriam facit, hic iure suo vtitur. *D.* Filium habeo rebellantem. *R.A.* Impudenter de minorum rebellione conqueritur, qui maiorum iusta contempserit imperia. *D.* Filius contumax est mihi. *R.A.* Tandem fortassis intelligis, quid tuus ille tam durus pater visus est tibi. *D.* Filium patior insolentem. *R.A.* Si ætatis est vitium, cùm ætate transibit. Multorum ferox adolescentia, progressu temporis, ad virtutem, mirificis proue-ctibus flexa est. *DO.* Rebellem filium habeo. *R.A.* Non solus. Et Dauid, & Mithridates Ponti rex, & Seuerus imperator Romanus, rebellantes filios habuere, & multis pòst seculis, Britannici pacem regni [vt fama loquitur] turbauit regii adolescentis in patrem concitata rebellio ; sed quisque sua deflet incommoda, nullus aliena vel publica. *D.* Impius, ac rebellis est filius. *R.A.* Magna tibi portio paternæ molestiæ dempta est; mortem filii timere. *DO.* Habeo ignauum, & inertem filium. *R.A.* Nescis, vt Africanus ille vir magnus dissimillimum filium sibi, longeque degenerem amauit vnicè. Et profectò maior non dicam amor, sed miseratio debetur ei, quem minus adiuuat natura. Nullius rei eget, qui virtutum diues est; quarum indigentia verè miseros, ac proinde misericordiæ egentissimos facit, tu in filio, etsi non virtutem, ama quod filius, si ne id quidem, at quòd homo est. Postrem si nihil est, quod ames, miserere. Proprium patris, vt seueritas, sic misericordia est. *D.* Proprium ætatis filius est vitæ. *R.A.* Pondus infaustum, eoque gra-

uius, quod dum ferri non potest, nequit abiici: per fer & qua datur, corrige. Si enim aut filium curaueris, aut certe patrem egeris; hoc tibi debitum, illud optabile. *D.* Impius, inhumanus, intractabilis est filius. *R.* Siquidem mollicies, ac voluptas in perfidiam, ac scelus eruperint, venenosum animal exigendum est domo; neque vbi; se quid natum æstimandum: & in syluis ortas auiculas pascitis, & domi natos sciorpiones occiditis. *D.* Impius, filius est mihi. *R.* Periculosa seponere, ante quam noceant, Sapientis est. Non te pietatis vmbra decipiat. Nulla impio debetur pietas. Est vbi sit crudelitatis species, pium esse: sed dum aliquid, vel minimum spei est, semper ad misericordiam inclina; mentoque te patrem esse, non iudicem; neque hic tibi Terentianum illud excidat:

Propeccato magno paululum supplicij satis est patri.

De Discordi fratre. DIAL. XLV.

Quos odium separat fratres, concordia iungat;
Mansueto fratrem pectore vincet vnum.

DOL.

HAbeo discordem fratrem. *R.* Quid autem? ille ne igitur te concordem habet? vnanimitas fraterna, quæ vnum ex duobus facere debuit, in duo non iam diuersa, sed contraria, penitusque pugnantia, scissa est. Graue, sed antiquum malum; quod & mundus, & mundi caput ab initio habuere. Siquidem vetus vrbis Romæ, sed vetustior orbis infamia est, fraterno sanguine maduisse: tu quod in singulis paribus fratrum vides, & altero, quin etiam adhuc solo, in vno tot millium quid stupeas, non habes. *D.* Est mihi

mihi discors domi frater. *R.A.* An & hoc miraris esse magna in domo, quod in ipsis materni veteri fuit angustiis; vbi olim etsi maioris mysterij velamentum esset, certè non discordes tantum fratres legimus, sed bellantes. Est ne igitur nouum, si armati faciunt, quod non nati solent? *D.* Nulla mihi apud fratrem gratia est. *R.A.* Multo prius hoc in scholis edoctus, quàm domi expertus esse debueras; prouisa verò nec querimur nec miramur. *D.* Odiosum fratrem habeo, ac discordem. *R.A.* Vt fermè nullus amor æquior fraterno, sic nullum, vbi incœperit, iniquius odium, nulla acrior inuidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cùm cedendi pudor; & amor excellentiæ eò ardentior, quò incunabulorum recordatio, & quæcunque beneuolentiam paritura viderentur, vbi semel à recto calle deflexum est, odium, & contemptum pariunt? hic natura rebellantis ardor animi optimè quidem obsequio, atque humanitate placabitur. Vix est enim tam immite vllum, tamque asperum ingenium, quod non tandem molliat vera, ac iugis humilitas verborum, & rerum omnium leuis, & non ficta retractatio. Sin id ferum, atque inualidum deprehendas, seu fortè huc tu cogere tuum ipse animum non potes, quò honestè quidem, atque vtiliter cogeretur; tunc antequam in perniciem res erumpat, vltimo remedio vtendum erit. Extirpanda mali radix, & discordiarum mater propellenda, communio. In quo ita te facilem præbebis, vt quantum iuri tuo demptum, tantum virtuti, famæque additum inuenias. Impiæ, ac superbæ cupiditatis aculei nulla re melius, quàm pia & miti liberalitate franguntur. Bonum aurum, quo pax domus, & caritas fraterna redimitur,

Vetus valde, nec verum minus est verbum: Magnam discordiarum, bellorumque materiam duo hæc esse pronomina, Meum, & Tuum: quæ, si de vita hominum tollerentur, haud dubiè tranquillius viueretur.

De Amisso Patre. DIAL. XLVI.

Stulte, patrem lachrymis nunquam reuocabis ab vmbris;
Te prior ipse fuit, te prior ipse abijt.

DOL.

PAtrem amisi. *R.* Iustum est, vt quem præsentem querebaris, absentem quæras, nec inuenias. Nihil æquius, quàm fastidita imperia frustra optari. *D.* Pium patrem amisi. *R.* Pium ille filium dimiserit. Gratulare autem seni tuo: illud tandem illi accidit, quod semper optauerat: te incolumi, rebus humanis abiit. *D.* Pium patrem perdidi. *R.* Pius filius, nullam magis ob causam fortuitos casus timet, quàm, ne qua sibi incidens calamitas, patris animum mœrore conficiat: tuo iam tantùm periculo securior viues: non erit, quem rumores de te impugnent; quem tua frangat aduersitas, quem tua debilitet ægritudo, quem tua mors perimat. *D.* Patrem amantissimum amisi. *R.* Incipias de aliis curare, qui de te curet amplius, non erit. Pietatem ab altero tibi exhibitam repende alteri; rarò illi rependitur, cui debetur. *D.* Pium patrem miser perdidi. *R.* Si pietatis ratio tibi constat, solare fortunam tuam recordatione præteriti temporis. Coluisti parentem, &, dum licuit, pia semper in illum officia congessisti. Pater obiit; Pietas viuit: alioqui est, fateor, vnde perpetuò mœstus sis. *D.* Pater me moriens destituit. *R.* Fer naturæ ordi-

ordinem; prior exiit, qui prior intrauerat; nec te ille destituit, sed præcessit. *D.* Amisi p[a]t[r]em. *R.* Nescis quid sit patrem amittere, nisi filium habuisti.

De Amissa Matre. DIAL. XLVII.

Quid earnis matrem luges? tibi terra parens est;
Quæ quoque te certo tempore corripiet.

DOL.

MAtrem perdidi. *R.* Altera tibi supereſt mater, quam non perdes, etsi velis: ex illa veniens, in hanc pergis. Illa tibi paucorum mensium domum dedit, hæc multorum dabit annorum. Illa tibi dedit corpus, hęc aufert. *D.* Mater obiit mitissima. *R.* Mater substitit durissima, quæ te, & matrem, quam requiris, in vno gremio seruabit; cuius in vtero tecum erit; te, & illam, vt credimus, die vltimo paritura. *D.* Pia me deseruit mater. *R.* Deseri metuens festinauit, gratamque illi suam mortem fuisse credibile est; tuam non visura amplius, atq; vnde maximè me tuebat, securitate parta. *D.* Defuncta est mater optima. *R.* Feliciter hæc excessit; te superstite; quo præmisso, vt fœminei sũt affectus, flebiliter abiisset. *D.* Obiit mater. *R.* Obeundum erat; idque ambobus; nec de morte queri potes, nec ordine.

De Amisso Filio. DIAL. XLVIII.

Qui malè transmisit vitam Puer, exeat orbe;
Felix, sed Cælo, qui bene vixit, eri.

DOL.

SEd amisi filium. *R.* Melius dic præmisi, securus citò quidem, & fortassis hodie, & quid

scimus, an hac ipsa hora. Nulla fides vitæ est; quum tanta sit fides morti; secuturus, dixi, sequens dicere debui; continuè sequeris: nusquam in vita pedem figere permissum homini, vno semper gradu it ad mortem [mirum dictu] seu ille vinctus, seu solutus, seu stans, seu ambulans, seu sedens, seu sanus, seu æger, seu vigilans, seu sopitus, ad metam fertur, atque illorum more, qui vehuntur nauibus, vel quiescens properat. *D.* Amissi filij desiderio excrucior. *R.A.* Compesce animum: quem cupis, inuenies: nulla est mora: non posse pati desiderium parui temporis, puerile, seu fœmineum est. Viro enim nihil breue, difficile. Nosti credo, quibus verbis desideria huiusmodi apud Platonem Socrates, apud Ciceronem Cato, & Lælius consolentur: Virtute quãuis, & gloria supremi viri; hac spe tamen longè impares. Nosti præterea quid animi Æmilius Paulus, quid Cato ipse, quid Pericles, quid Xenophon ille Socraticus, condiscipulus Platonis, atque æmulus: quid innumerabiles alij, natorum in mortibus habuere: nec te præterit, vt propheta idem, & rex filium, quem languentem fleuerat, non fleuit extinctum: cogitans, quòd irrecuperabilia lugere superuacuæ dementiæ verius, quàm pietatis est. Quibus se virilibus exemplis interserit Spartana illa mulier, apud scriptores quidem innominata: sed non pariter illaudata: quæ audito, quòd filius in prælio excidisset; ideò, ait, illum genui, vt esset, qui mori pro patria non timeret. Par Liuiæ virtus, maioriſque Corneliæ; sed clariora sunt nomina, quarum prior ingentis nati, & ad summũ spectantis imperium, vt terræ traditus fuit, luctum mox deposuit, nunquam verò memoriam intermisit: altera filiis multis, immo omnibus amissis,

missis, quorum aliquos à populo interfectos, inhumatosque conspexerat, commiserantibus, & illius sortem, fœmineo more, deplorantibus, miseramque vocantibus non se miseram, sed felicem esse respondit, quæ tales filios genuisset. Insignis mulier nec præsenti misera, nec præterito etiam infelix; quæ contra publicam opinionem, & consuetudinem miserorum, se felicitate præterita, & læti temporis memoria solaretur, grata quòd habuisset, quòd amisisset æquanimis; ob hoc vnum digna vti prosperiore successu. Et illa quidem mulier tota grauibus fortunæ vulneribus inconcussa permansit: tu vir, vnico deiectus, luges? *D.* Amisi filium. *R.A.* Amisisti simul, & metus multos, infinitamque materiam sollicitudinum, & curarum; quibus vt careres, vel tibi, vel filio moriendum fuit. Securum patrem sola mors facit. *D.* Filium amisi. *R.A.* Si pium, nil est, quòd illi metuas; in tuto est. At si impium, tuorum numeratorem annorum, tuæ stimulum senectutis extulisti. *D.* Filium perdidi. *R.A.* Si virtute præditum, gaude, quòd habueris. At si vitio perditum, gaude saltem quòd amiseris: vtrobique naturæ beneficium agnosce, seu quòd talem dedit, seu quòd talem abstulit. *DO.* Ante tempus filium mihi mors rapuit. *R.A.* Non fit ante tempus, quod in omni tempore fieri potest. In omnem ætatem multi sunt aditus morti, in adolescentia infiniti. *D.* Sine filio remansi. *R.A.* Et sine angoribus, & sine pauoribus. Iam non erit, cui noctes insomnes, cui sollicitos dies agas, cui spes longas, atque inextricabiles ordiare: qui canos tuos, rugasque consideret, hereditatem æstimet, sumptus arguat, moram mortis incuset. Vndique tibi securitas, & quies, geminum bonum ingens: titulo licet

mortis asperius. *D.* Acerba filij morte deiectus sum. *R.* An non Anaxagoram audieras? an oblitus eras te genuisse mortalem? an id potius forsan luges, quòd, qui sequi debuerat, anteceſſit? Equidem cùm in multis inordinata hominum vita sit, nullum penitus mors habet, & senes decrepiti cũctantur, & festinant iuuenes, & præcipitant pueri, & infantes primo vitæ de limine retrahuntur. Hic tardius licet, ille ocius; hic maturus, ille acerbus, nemo non moritur; hæc summa est: vbicunque verò hoc; qualibet ætatis parte quis obiierit, etsi acerbus fuerat, morte maturuit. *D.* Extinctum fleo filium. *R. A.* Si fleturus eras morientem, & nascentem flesses: tunc mori cœperat, nunc desiit. Noli autem tuam, & illius sortem optimam lugere: ille iter ambiguum à tergo habet, tu securum ante oculos, non iam amplius, aut caro oneri timens, vt Maro ait, aut alteri. *D.* Cum filio vitę dulcedo omnis extincta est. *R.* Magnum fateor, ac dulce solatium, patri filius bonus; sed sollicitum, ac graue. Et sæpè dulciſſima offendunt, & cariſſima impediunt, & pretioſiſſima rerum premunt. Et fortaſſis hic filius obstabat, altiora animo voluenti. Iam mœstior licet, ac liberior factus, exurge: bona de malis elicere, sapientis est. *D.* Mors me filij mœstum fecit. *R.* At, quod restat, alacer exige, illi vixeras, viue iam tibi.

De Infantis filij casu misero. DIAL. XLIX.

Credendum viuis, quocunque modo perit Infans,
Decedens, turmis iungitur Angelicis.

DOL.

INfantis filij miserabilem casum fleo. *R. A.* Humanum nihil flendum; homini præmeditata omnia

omnia esse debent: si non sunt, non casum filij, sed inscitiam tuam defle, & conditionis obliuionem. *D.* Filij infantis miseram mortem queror. *R.* Nulla mors misera, quam mors animæ non sequitur: à quo periculo infans tuus immunis. *D.* Infans meus præcipitio periit. *R.* Qualiter quis pereat, quid refert? modò ne turpiter pereat; & perire turpiter non potest, qui sine peccatis periit. *D.* Præcipitio periit infans meus. *R.* At Archemorus serpente, alij grauidæ lacte nutricis, alij morbis, qui pene plures illam in ætatem, quàm in senectutem incidunt. *D.* Periit infans meus præcipitio. *R.* Repentina mors innocentibus optanda, nocentibus metuenda est. *D.* Infans meus ex alto præceps periit. *R.* Languidè pereuntibus mors durior sæpè, & angustiæ longiores: dolor omnis, eò tolerabilior, quò breuior. *D.* Periit præcipitio infans meus. *R.* Præcipitari, & ruere illius ætatis est proprium. Fecit infans tuus, quod faciunt omnes, etsi non omnes casu pereant. At tu sine illum periisse, pereundum erat: & feliciter secum agitur, prius pereundo, quã vitæ malis implicaretur: quæ, quàm multa sint, sciunt experti, & intenti. Nemo enim non expertus est: non intenti autem multi, qui quasi somnũ vitam agunt cuius reminisci nequeant experrecti. Periit innocens infans tuus, qui fortasse, si viueret, nocentissimus periisset. Noli illũ in tuto positum, deflere; fortunæ minas omnes euasit, & præoccupauit mortem, quæ illum dilata præoccupasset. *D.* Lupus meum deuorauit infantem. *R. A.* Ista iam vermium est querela. *D.* Infantis miseri corpusculum lupus rapuit in cauernam suam. *R.* Felicis animam infantis in cœlum Angeli rapuere.

De Filio, qui alienus inuentus est.

DIAL. L.

Si dabitur soboles alieno semine nata,
Fac foueas etiam, cùm sit imago Dei.

D. O L.

ET [quod morte grauius] qui meus credebatur, alienus est filius. *R.* Si ad communem spectaretis patrem [Comici consilio] humani nihil à vobis alienum putaretis. *D.* Diu alienum filium, vt meum paui. *R.* Suum filium pauisse, natura fuerit, alienum charitas; modò post factum non pœniteat, sed delectet. *D.* Filius ille meus dictus, alienus apparuit. *R.* Aperta tibi ad magnum, & singulare meritum via est, si hunc ipsum, vt hactenus, sic deinceps quasi tuum paueris. Id illi quidem longè gratius, atque acceptius Deo est. Solēt enim ingrati filij, ceu sibi naturali quodam iure debita, patrum alimenta contemnere; & præterea scelus est amare filium, qui ex te genitus sit, & à Deo creatum hominem non amare. Ita vndique apud Deum, atque homines pietatem eximiam tibi quæsieris, ex alieno flagitio. *D.* Paui pro filio qui non erat filius. *R.* Pauisti vt filium, pasce iam si non vt filium, at vt fratrem: omnium, qui sunt, qui que erunt fueruntve, vnus est parens, vnus rector. Nolite per insolentiam, dissimulare, aut per inuidiam, atque odium, sacrum naturæ vinculum rescindere. Omnes inuicem fratres estis. *D.* Filium, quem putabam meum, non esse audio. *R.A.* Vide à quo audias, & cui credas. Multi enim malis stimulis impulsi, falsos rumores, studio confingunt, Alij linguæ fluxu quodam, effrenique impetu, & quæ sciunt, & quæ nesciunt pari loquuntur auda-

audacia. Difficilis est autem de filiatione sententia. *DO.* Filium, qui meus dicebatur, alienum esse audio. *RA.* Cur hoc aliis potiùs, quam vxori credis, qua hoc vnum saltem, nemo certiùs nouit? Illa tibi certè filium dedit, quem nunc alij nituntur eripere. Audisti credo, vt patrum memoria vir illustris fuit, cui forma, & genere par vxor obuenerat, sed fama pudicitiæ ambigua. Ex hac vnicus infans pulcherrimus natus erat, quem cum die quodam in gremio habens mater, grauem curis, & suspirantem virum animaduertisset, quæsiuit, quæ tanti causa suspirij. Rursus ille suspirans: Vellem, inquit, dimidia dominij mei parte paciſci, vt ita mihi constaret, hunc puerum meum, sicut tibi constat esse tuum. Ad hæc illa nihil fronte mota, vel animo: Enimuerò, inquit, nequaquam tanto pretio est opus: da mihi centum prati iugera, vbi greges meos pascam, & de hoc ipso certum ego te faciam. Cumque ille impossibile prorsus id diceret: Conuocatis, qui probè aderant, proceribus, & sponsione interposita, natum illa vlnis extulit, & Est ne, inquit, hic verè meus. Cumque vir annuisset; illa brachiis portentis, ei puerum porrexit, & accipe, ait, dono eum tibi: iam haud dubiè tuus est. Risu astantium oborto, pro vxore diffinitum, & vir omnium sententiis condemnatus est. Crebræ nimis inter homines huius generis lites, ac lamenta sunt. Proni in nuptias, immò lubrici, ac ruentes: vix videre diem creditis quo mariti, hoc est viri sitis, quasi aliter non possitis. De hinc perfusi in gaudia, seu veriùs in furores coniugij, dies primos in strepitu, inter epulas, & choreas, agitis, inter epithalamia, & iocos, & cantus, & tympana, reliquam vitam omnem inter suspicio-

nes,& iurgia;vtrobiq; reprehensibiles. Nam rem neque adeò ancipitem sic amare;neque tam inseparabilem, sic horrere, neque tam amabilem, sic odisse decuerat, coniecturisque fallacibus apud hominem,sanctissima diuinæ,atque humanæ domus iura confundere, atque arctissima vitæ huius vincula dissoluere. *D.* Quid,quòd meum vxor nõ esse ipsa confessa est. *R.* Singulare, velut aliquid narras:quotidiana sunt hæc. Aliæ viuentes hoc fatentur,aliæ morientes:quarum aliquæ nunciandũ viris,post obitum,reliquerunt. *D.* Non esse meum filium,ipsa mihi fassa est coniunx. *R.* Fassa est idem Olympias Philippo,magno viro;magni filij iacturam,nec fletum,nec suspirium, nec querelam legimus. Nunc fabellam accipe ridiculam,sed materiæ non ineptam. Circa littus oceani,quod Britanniam ab aduerso conspicit, ante non multos annos fama est fuisse mulierculam inopem, sed forma appetibili, & insigni lasciuia: hæc duodecim paruos filios, totidem ex viris genitos habebat, annuis ætatum interstitiis inter se distantes. Instante autem mortis hora, vocari propè virum iubet; & non est,inquit amplius ludi tempus,nullus horũ puerorũ ad te spectat,præter maiorẽ solum:primo enim anno nostri connubij,casta fui. Sedebant tunc forte pueri omnes humi, circa ignem, more gentis,aliquid manducantes. Stupente igitur viro, atque illis rei nouitate suspensis: illa singulorum patres ordine nominat:quod audiens omniũ minimus,qui triennis erat,panem quem dextera, & rapam,quam habebat in manu altera,in terram posuit: ac tremens desiderio, & ambabus manib. in altum erectis,adorantis in morem; Da, inquit, quæso, mihi genitrix, aliquem bonum patrem. Cumque illa in fine verborum patrem paruuli nomi-

nominasset, & famosum quendam, diuitémque hominem, reassumpto in manibus cibo; Bene habet, inquit; Bonus est pater.

De Amisso Fratre. DIAL. LI.

Quid quereris? fratris probitas itura per orbem;
Si nulla est, melius permanet ille foris.

DOL.

FRatrem perdidi. R. Nondum audio propter quod valde lugeas; fieri potest enim; vt & fratrem, & domesticum simul hostem amiseris. En iactura, rem malam boni nominis perdidisse. D. Fratrem perdidi. R. A. Perdidisti forsitan, qui te perditum optabat, quíque rebus obstabat tuis, multis quidem magnæ laudis aditum fraternus obstruxit liuor. D. Amisi fratrem. R. Filiorum fortassis ætatulæ [quod sæpè vidimus] graue iugum, vitæ tuæ æmulum, gloriæ obicem, id quod constat patrimonij participem amisisti. Fratre impio nullus hostis infestior. D. At amisi pium, & beneuolum. R. Sed mortalem. Non tutela corporis est virtus; verùm animi ornamentum. illi gloriam immortalem præstat; corpusculum mortis imperio non eximit; immò quidem sæpè illud tempus in mortem trudit: quod si naturæ suæ linquitur, æquè boni pereunt, malíque; quin & vulgo imbecilles, bonos; & viuaces, malos cernimus, immortalem nullum. D. Bonum, & glorioſum fratrẽ perdidi. R. Si frater periit, superstes est gloria virtus, anima, præter quas, humana omnia parî mors turbine propellit. ac dissipat. Has tu igitur, ceu totidẽ filios fratris, amplectere, atque his bonis immor-

talibus mortalia damna compensa; quod si filij superstant alij, vere illos tuos pietas facit. *D.* Amisi germanum optimum. *R.* Auidè illo vti debueras; id si lentius egisti, non mortis iniuria, sed segnities tua est. Illa ius suum exercuit, tuum tu neglexisti. *D.* Mors me lusit, non putabam tam citò morituram. *R.* Omnia, quæ nolentibus accidunt, citò fieri videntur, quæ optantibus autem serò. *D.* Vix illum mori posse credebam. *R.* Cuncta sibi vehementissimus amor indulget; nilque sibi non spondet, amarosque cogitatus, & quicquid est gustui aduersum, vitat, ac refugit; vnde & qui amant, penè sibi æternas delitias fingunt; tu, si fratrem natum noueras. & mortalem nosse debueras: & iccircò si prouisam mortem, inopinum velut aliquid, doles, longè erras; si improuisa autem fuit, errasti. *D.* Sciebam mortalem, sed de morte non cogitabam. *R.* Inconsultè; sed hæc dissimulatio vestra est. Vix vnquam mori creditis mortales, cum & contingens mori semper, & aliquando etiam sit necesse: immo verò cùm non mori, nunquam; mori autem semper vestræ lex immobilis sit naturæ. Sed vos assiduè morientes, sensum à præsentibus, animum à fine diuertitis, vulgare malum: quod quid est aliud, quàm vltrò oculos claudere, ne radios solis aspiciant, tanquam luci, vt oculis damnum sit illam non videre, nec minus clarum, quod non videas, nec minus verum esse, quod nescias. Quis tam cœcus, vt non videat? quis tam hebes, vt nesciat? veritati rerum dihil detrahit sensuum, aut intellectus infirmitas. Vos equidem neque infirmi, neque obtusi, sed quod excusatione careat, dissimulatores eximij, & ad fallendum vosmetipsos, ingeniosissimi; qui tanto

studio

studio inutilia discitis, necessaria nescire nitimini; nequicquam tamen; clausis namque sese oculis ingerunt & nesciendi auidum ingenium irrumpunt, & obliuiscendi cupidam memoriam interpellant, & multa in dies fert vitâ hominum, quæ nos cogitare adigant, quod nolletis; quæve dissimulationes vestras aut propriis, aut externis excitent argumentis; sed ad plenum fateor; Figmenta mortalium sola mors discutit. *D.* Et mortalem, & morturum fratrem sciui, mortuum tamē fleo. *R.A.* Magna pars humanorum actuum superfluit; quid fles mortuum? aut quid illi, quid tibi, quid vel alij, tuus hic fletus proderit? vt sit malum mors, quod docti negant, quod nemo negauerit, mali irreparabilis est fletus inutilis. Et certè si quid, præter animi vitium, dici miserum decet, si quid penitus in rebus est flebile, flendum potiùs, dum impendet, quam dum transit; quod regem profectò illum non latebat, cuius paulò ante meminimus. *D.* Optimi fratris morte afficior. *R.A.* Nullus affectus intensior, quàm paternus? quamobrem quæ in morte filij dicta sunt, fratris ad interitum transfer & quæ vtrobique dici solent, amicorum etiam in morte profuerint; quæ iactura par summis est ferenda, tamen, vt reliqua, vno animi robore toleranda sunt omnia, quæ videntur grauia, & si creditur oppressura sunt. *D.* Amantissimum fratrem amisi. *R.* Inuisum amisisse peius fuerat, illius enim amor, huius autem ipsa quoque memoria, dulcis est. *D.* Gratissimum ipsis ab incunabulis vitæ comitem perdidi; solus sum. *R.* Non est solus, cum quo virtus, & honestas habitant; inter quas affixam præcordiis fratris imaginem esse nec mors ipsa vetuerit. Sic nec frater tuus perditus, nec tu solus.

De Morte Amici. DIAL. LII.

Aurum ingens perdis, fidum si perdis amicum;
Quid facies, nam sic cuncta perire solent.

DOL.

AMisi amicum. *R.A.* Si [vt debet] in amico virtutem amasti, illa certè non perditur, nec moritur; ideò veras amicitias immortales dicunt, quòd nullo vnquam dissidio amicorum, nec ipsa demum morte soluuntur, sic discordiam, vitiúmque omne vincit virtus, ipsa verò nulla re vincitur. *D.* Amicum amisi. *R.* Cætera cùm amiseris, non habes; amicos; caróve omnes, tum maximè habeas, dum videantur amissi: præsentia enim delicata, ne dicam fastidiosa, itidem ac superba, minimis reb. offenditur: amicorum recordatio, iucunda, & suauis est; nil amarum retinens, nil dulce non retinens. *D.* Amicum optimum morte amisi. *R.A.* Si commoditates perditas quereris, vtilitatis mihi tu calculum, non amicitiæ quidem ponis. Si conuictum, cogita, quàm parua pars temporis viuentiũ quoque præsentiam exhibet amicorum, quantum curæ, quantum morbi occupant, quantum sopor ac voluptas; quantum quoque peregrinantium discursus, sollicitudinúmque diuersoria, & secessus, quantum denique studia, quantũ otia, quantúmque negotia, nunc aliena, nunc propria, & illa rerum multiformium iugis, atque inuicta necessitas, cui nulla prosperitas eximitur, conuictui detrahunt exoptato, quot congressus rari, quàm breues sollicitæque moræ, quàm duri digressus, quàm reditus seri, qui obices, quænam impedimenta, qui laquei; his, ac similibus vitæ difficultati-

tatibus, amicitiæque compedibus ad memoriam reductis intelliges, quantulum est, quod tibi mors abstulerit. Nam si id in amicitia solum libras, quod vnum illi perpetuum, ac stabile fundamentum est, prorsus nihil ibi mors potuit auferre. Audisti apud Tullium, se solantem Lælium, vt illi Scipio suus viuit, vt in memoria eius, nec extincti amici fama, nec virtus extinguitur. Quid Scipionem tuum tibi nunc viuere prohibet? Sed vos, quoniam Scipiones, & Lælij non potestis esse, nec viri quidem esse vultis; & quia summa non prehenditis, media desperatis, aut spernitis; quasi vt poëssim', sic virtutem mediocrem, nec Dij, nec homines sint laturi. *D.* Amicum mihi mors eripuit. *R.* Amici corpus eripere mors potest, non amicitiam, nec amicum. Sunt enim ex illorum genere, quæ nec morti, nec fortunæ subiacent, sed virtuti; quæ vna humanis in rebus libera, & quæcunque illi subsunt, libertate donare potens est; non esset tanti pretij amicus, si tam facilè perdi posset. *D.* Sine amico remansi. *R.* Si ritè colis amicitias, nec tibi veteres desunt, nec noui vnquam defuerint amici: quin ex hostibus tibi amicos, ea quidem reddet opinio. Nihil magis Augustum Cæsarem conciliauit Herodi, quàm quòd is hosti suo amicissimum, séque per illum, inimicissimum fuisse professus est; sua dignum amicitia iudicauit eum, qui tanta fide, sui licet hostis amicitiam coluisset. Tanta est virtutis, & amicitiæ pulchritudo, vt etiam in hoste delectet, cogátque illum quoque amare, qui se oderit. *D.* Amicus mihi fidissimus obiit. *R. A.* In memoria tibi sepeliendus est tua, vbi clam sæpè tecum sit, & nunquam totus obierit: qui, si tibi fortè aliter, quàm morte perierit, non tu amicum,

sed opinionem falsam amicitiæ perdidisti.

De Absentia Amicorum. DIAL. LIII.

Captus amicorum desiderio, memor esto,
Te totus mundus tam cito destituet.

DOL.

AMicorum torqueor absentia. *R.* Solet id quidem euenire; sed qui amici mortem ferre didicerit, aliquanto faciliùs feret absentiam; nec franget abitus, quem non fregerit obitus. *D.* Abest mihi optatissimus amicus; dextra manus; dextérque oculus meus abest. *RA.* Et si irredituri abessent, nihil tamen non ferendum viro dicerem: nunc redibunt, & tua tibi restituetur integritas. *D.* Abest amicus dimidia mei pars. *R.* Dimidium animæ suæ Vergilium vocat Horatius; quod à multis postea vsurpatum, iampridem in prouerbium venit. Sed si amicus non naturaliter tantùm, sed ciuiliter possidetur; quid amicitiæ nocet absentia, quominùs tecum, vbicunque sit amicus, sedeat, ambulet, colloquatur, vel iocosa, vel seria; & quod præsens fortunè non faceres, absens facias. Nam si nil aliud videretis, nisi quæ sunt ante oculos, & sola vos præsentia delectaret, breuis admodum visio, & angusta delectatio vestra foret. *D.* Amici absentis dulci desiderio laboro. *RA.* Atqui amaris soliti estis laborare, non dulcibus. Accipe verò nunc, quod vulgi aures vix capiant. Dici nequit, quàm tenera, quãque fastidiens præsentia sit interdum, etiam amicorum; sæpè paruis offenditur, vt quos valdè dilexeris, quorúmve præsentiam vehementer optaueris, non amicos modò, sed fratres, aut filios, quòd forte sollicitudinis studio, vel occupationibus tuis obstent, abesse nonnunquam malis.

In

In absentia nil amarum, nil quod pungat, præter desiderium, quod dulce tamen, ne tu ipse quidem negas. *D.* dilecti absentia me affligit. *R.* Est id fateor, commune mulierum, atque omnium muliebriter amantium, quorum delectatio omnis in sensibus est. Nihilominus de his ipsis Poëta loquebatur, vbi ait:

Illum absens absentem audit que videtque.

Id si ita est cur non amicus absentem quoque amicum audiet, & videbit? nisi fortè purgatiores, ad huiusmodi visionem, lasciuiæ sunt oculi, quàm virtutis; aut plus aliquid dignitatis in sano, quã casto tribuitur amori, cui præter honestos ac volucres cogitatus, quos pro libito vagari, & esse vbi velint, nulla distantia, nulla vis prohibet; epistolari quoq. remedio consultum est. quo nescio an præsentia vlla sit gratior. Romę quidem erat Marcus Cicero, dum ad Quintum Ciceronẽ fratrem suum proconsulatum Asiæ administrantem, scribens: Cùm tua inquit lego, te audire cùm ad te scribo, tecum loqui videor; & mox eum ad gloriæ excellentiam exhortans, efficacissimum id dicit in dictis factisque suis omnibus, fraternam sibi animo finxisse præsentiam. Nescio an Athenis, an vbi esset Epicurus, dum amico scribens: Sic fac, inquit, omnia tanquam spectet Epicurus. Certè in Campania erat Annæus, dum Lucilium suum in Sicilia degentem, literis alloquens, vt secum studeat, secum cœnet, secum ambulet hortatur; quæ facere ille non posset: nisi animo fierent, & non oculorum, neque aurium, non manuum, neq. pedum ministerio indigerent. *D.* Oculi mei absentem amicũ anxiè requirunt. *R.* Non possum negare quin oculis aliquid per absentiam detrahatur; animo autem nihil, immò nec oculis quo-

dammodo [vt prędixi] si tamen amicitia vera est; vnde & illud apud eundem Poëtam, & legimus, & laudamus: vbi de Euandro, ac Pallante eius filio agit; quē senex Æneę, comitē belli contra Turnum adiunxerat, atq. abeuntem dimittens, Poëta inquit:

Stant pauidæ in muris matres, oculisque sequuntur:
Pulueream nubem.

quasi in ipsis omnia sunt oculis. Et Cicero ipse in epistola quadam, Balbum amicum suum, in Gallijs sub Cæsare militantem, non solùm in animo habere, sed in oculis ferre se, dicit. *D.* Amicus abest meus. *R.* Interdum non cognoscitur amicus, nisi abesse cœperit. Sicut cūctis in reb. sic in amicitia, copia ingēs gustū hebetat, penuria acuit. Quod si magister amorū, intermissionē amantib. vtilem dicit quib. omnibus in præsentia est voluptas; cur non eadem vtilis sit amicis? quorum in virtute iucunditas tota est, quæ absentię nullum sentit incō modum, cum vbilibet præsens sit. Noli ergò desiderio succumbere, sed amicum mente complectere, quem tibi nec discessus eripiat, nec mors ipsa. *D.* Amici dulcis absentiam amarè fero. *R. A.* Perfer modò, & molliores partes animi, præsenti virtute consolida. Amariuscula enim hęc, quam defles, absentia, forsan in tēpore cariorem tibi amicum, & amici præsentiam effecerit dulciorem.

De Graui Naufragio. DIAL. LIV.

Naufragio si res perijt, sed te superante,
Sperandum facilè est, quod reparare potes.

DOL.

GRaui naufragio iactatus sum. *R. A.* Maris tu mihi memoras naufragium, animi autē si-

les,

les: quasi verò vel grauius, vel crebrius vllum sit. Ibi est tempestas illa cupidinum, & affectuũ, ceu ventorum repugnantia, quæ vos, tensis concupiscentiæ, spesque velis, gubernaculo mentis excusso, constantiæque anchoris in alto perditis, per omnes littorum fluxus, pérque omnia maria circũuolauit. Illud te naufragium in hoc traxit: tolle cupiditatem, nauigationem ipsam, aut certè periculum nauigandi, magna ex parte, sustuleris; illa non in naues solùm, sed in scopulos, & in mortem cogit miseros. Itaque ferè omnes, qui suis auspiciis in mari pereunt, priùs in animo perire, priusque illos auaritiæ demerserit vnda, quàm pelagi. Rara est quidem sine præcipitatione cupiditas: quicquid enim vult, confestim vult, moráque omnes, & illarum comites, sumptus odit; ea breuis in exitium via, & crebri prima naufragij causa est. *D.* Magno naufragio vexatus sum. *R.* Didicisti Deum orare, votáque facere, & pacisci multa: quorum, etsi metus causa fuit, tu tamen agnosce fidem, terræ redditus. Non impunè Deus luditur; odit ille fidefragos. *D.* Fœdum naufragium passus sum. *R.* De naufragio nõ queritur, nisi qui euasit. Gaude igitur saluus, & doctior. Transacti periculi grata solet esse memoria: sicut ex diuerso finitæ prosperitatis amara recordatio. Quanti verò olim faceres, vidisse Tritones æquor eos, & spumeos aquarũ, atque assurgentes fluctus in nubila, & pelagi monstra natantia. Habes vnde brumali nocte, ante focum, fabellas horrificas narres attonitis, trepidulámque familiam admiratione suspendas: iam quid sit poëtica tempestas intelligis, & qui malè credulus stupor fuit, iam notitia certa est, quam bene vel metu mortis, vel iactu mercium sis adeptus. *D.* Duro naufragio labora-

ui. R. Sine labore nihil discitur hoc si sapis perpetuum documentum tibi erit, nequando amplius credere vitam ventis, in animum inducas. D. Passus sum triste naufragium. R. Si primum caue ne secundum adeas; si secundum, sile. Scitum est illud Pub. Mimographi:

Improbè Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit

D. Terribili naufragio vix euasi. R. A. Nescio quid terribilius adeò sit in aquis mori, quàm in terris; quando quidem in alterutro moriendum est: seu quid optabilius vermium cibum esse, quàm piscium. Post quàm tamen enatasti, cura ne iterum fracto vitam remo, aut laceræ credas tabellæ. Disce terrenum animal, terram pati, & cœlum potiùs ambire, quàm pelagus.

De Incendio. DIAL. LV.

Situa flamma vorax rapuit bona, fer patienter,
Namque animi multò flamma nocentior est.

DOL.

EX incendio vix abij. R. A. An ne igitur euasisse fortunæ trahis ad iniuriam? sine queri, Alcibiadem, qui hostili ex incendio non euasit: quanquam, vt terrestre præuideris, cælestibus quis iam obstet incendiis? Romanus mihi rex Tullus Hostilius, & Romanus respondeat Imperator Carus, quorum primus Romæ in regia altet in castris ad tygrim amnem. si communibus historiis est fides igne arsit æthereo. D. Bonis meis omnibus amissis, nudus ex incendio euasi. R. A. Quando, precor, hoc diceret seu Bias [vt omnes volunt] seu Stilbon, vt vult Seneca; qui incensa patria admonitus, seu increpitus, quòd nihil suorum

rum bonorum ex incendio efferret, vt cæteri: Bona, inquit, mea omnia mecum porto? Præclarè, siue horum alter, id dixerit, siue vterque; quamuis hæ voces ex ore primi semper authoris, clariùs sonent; sed omisso authore, dicti veritas vtique nota est. Hærent nempe præcordiis vera bona, viuóque nihil eripitur possessori, sed ne mortuo quidem. In anima enim sunt, quò nec fortunæ nec mortis dextra se porrigit: tu saluus, & incolumis periisse tibi aliquid eorum, doles, quæ si tua fuissent, proculdubio tecum hodie salua essent. Mihi etenim crede, Vera bona non pereunt. Non est aurum virtute nobilius, ne par quidem, quod non igne consumitur, sed purgatur. *D.* Magnum me afflauit incendium. *R.* Cæculus nescio quis famam diuinitatis igne quæsiuit: apud Vergilium, Iulij comas flamma corripiens primam dubiæ spem salutis attulit: Seruio caput arsisse, non poëticum, sed historicum regni omen fuit. Cõstat ex flammis Iliacis prodiisse Romani Imperij fundatores. Denique, & Heliã incedio obiisse Deúmque ipsum in flammam ignis apparuisse, sacræ loquuntur historiæ; vt non immerito vestris in vrbibus index hic soleat esse lætitiæ, qui tibi materia est doloris. *D.* Domus igne subito conflagrauit mea. *R.A.* Et templum Dianæ olim arsit Ephesiæ, quo nil sæcula illa formosius viderunt. Arsit, & templum, cœli Deo sacrum, Hierosolimis, ipsis etiam, qui illud incenderant, miserandũ hostibus. Et ætate hac, Lateranensis arx illa religionis, ac decus eximium orbis terræ, bis flammis exusta est; euidens, & apertum, vt mihi videtur, iræ cælestis iudicium, non mirabile, fateor, sed tremendum. Ad extremum, vt minores taceam, Saguntum, Numantiam, & Corinthum innume-

ráſque alias,& ſæpè tentauit Romam,& nonnunquam penè ad vltimum,& Carthaginem ſemel,& bis Troiam flamma combuſſit: arſere vrbes,arſurúmque mundum ipſum credimus. Tu in tuam domum aurum ignem,qui in cœlum ac terras arſurus eſt quereris? *D*. Ex incendio vix euaſi. *R*. Euaſiſti igitur,an id doles? niſi euaſiſſes,ſiluiſſes. Nunc autem viuus cinis,cinerem fles extinctum.

De Graui Negotio. DIAL. LVI.

Diuitiæ multo tibi ſunt ſudore parandæ,
Vt vacuus curis eſſe,relinque bona.

DOL.

GRaui negotio defatigor. *R*. Nulla ſine difficultatibus gloria. Nulla non virtus in excelſo habitat, haud facilè adeunda: confragoſum huc durúmq;,& ſcrupeum eſt iter. *D*. Nimio labore fatigor. *R*. Labor area eſt virtutum,requies voluptatum. Nil ſine labore laudabile, nil excelſum. Proinde laudis Herculeæ fundamentum labor. Nulla re magis Vlyſſes, quàm labore cognoſcitur,quantalibet prudentia fingeretur, ſi otioſa fuiſſet,ignota eſſet. Labor Romuleos duces, Scipiadas,& Camillũ: Labor Fabios,Labor Curios, Labor Fabriciũ,& Metellos,Labor magnũ quoq. Pompeiũ,Labor Hannibalẽ,Labor Iuliũ Cæſarẽ illuſtrauit: Labor Catonibus, Labor Mario famã dedit,Papirium Curſorẽ ac Feſcenninũ Nigrũ laborioſa militia claros fecit. Vt Philoſophos, vt poetas ſileam,quorũ vita omnis,quid niſi clarus, ac delectabilis labor eſt? Quid de artificibus dicã, quibus ipſa qualiſcunque eſt gloria, quo ſtudio quærenda ſit,noſti; à quibus induſtria,& anteluciana vigilia præueniri,déque hoc quæri ſolitum.

De-

Demosthenem accepimus: qui profectò non paruus stimulus esse potest magna tractantibus, quando minima quoque sic animos acuunt, atque exercent. Proinde omne genus hominum percurre, vbi famæ multùm, & plurimùm est laboris; & omnino virtutum amatoribus amandus est labor, sine quo ad eam quam amant, & quam cupiunt gloriam, peruenire fas non est. *D.* Labore exerceor continuè. *R.A.* Parum profeceris magnus labor; nisi sit iugis. Nam & ipsa, quæ labore quæritur gloria, nisi sit perpetua, nec magna videbitur. *D.* Nimis crebris exagitor laboribus. *R.* Nimium, & parum, pro varietate patientium accipitur. Ignauo labor omnis est nimius, nullus industrio. *D.* Multi me cruciant labores. *R.* Non te cruciant, si vir es, sed acuunt, & exercent. Vis autem nosse quid inter laborem, & delicias interstit? Sardanapalum confer cum Alcide: Sergium Oratam cum Attilio Regulo: Apicium cum Caio Mario. *D.* Labor me iugis extenuat. *R.A.* Multis pro remedio labor fuit, & quos quies infecerat, defæcauit, detersitque. Nam curare illum animos constat, & orientibus vitiis obstare, & radicata conuellere. Denique inter priscæ virtutis, ac sæculi exemplaris causas, hinc labor à scriptoribus ponitur, hinc paupertas, optabiles corporum molestiæ, quæ medentur molestiis animorum. *D.* Durus est labor. *R.A.* Dura virtus, durus labor, mollis voluptas, mollis inertia; similia bene cohabitant. Inter diuersa diuortium est. *D.* Nimium laborioſa sors est mea. *R.A.* Honoratum te, ingratè accipis, Nescis, vt nocte media, dum dicatæ Deo virgines stratis surgunt, algent, vigilant, & diuinis obsequiis exercentur. Adulteræ suis interim perfruuntur illecebris?

dum pro defendenda patria miles in castris, pro augenda dux in tabernaculo, pro ornanda studiosus inter libros excubat; leno infamis inter suas acies, inque suis tentoriis conquiescit? quibus verò sit melius, diffinire, nemo, cui vel modicum ingenui sit pudoris, hæsitet. *D.* Labore vrgeor acerrimo. *R.* Bene spera, causa, tantùm laboris honesta sit; honestus est labor, quòve vno claris ascribare nominibus. Omnes quidem, qui ad gloriam nituntur, laboriosus atque arduus trames agit: ad ignauiam deuexa, & facilis via est. Denique quisquis nascitur, ad laborem nascitur; nec regum filios excipio. Labor, & virtus, vestræ artes sunt; non otium, & voluptas, quibus, qui se applicant, hi demum à natura hominum degenerant, atque in pecudem se transformant. *D.* Grauiatteror labore. *R.* Idem cedentibus grauis labor, qui nitentibus lenis est. Perser modo forti animo & assurge, præsentíque molestiæ finem confer. Multos quidem labor extulit, multos industria, sopor nullum.

De Duro Itinere. DIAL. LVII.

Non puduit summum pedibus transire Magistrum:
Inscendas baculum, si pudet ire pedes.

DOL.

DVrum iter pedibus meis ago. *R.* Quid tu igitur alienis malles? atqui neque alienis manibus operari, neque alienis oculis videre, neque alienis auribus audire, neque alieno palato degustare, neque alienis naribus vultis olfacere: quid hoc vnum singulare habet, vt tantum pedibus ambulare delectet alienis? *D.* Pedes eo. *R.A.* An verò in hunc mundum intrasti eques, an exibis? quid per mundum ire, nisi

nisi eques, doles? O principium humile, & ô finis humilior! quàm superba inter vtrumque sunt media & in breui cursu, quanta prorsus obliuio terminorum! nec vnde certè, nec quò pergitis, meministis. *D.* Iter longum cogor pedes agere. *R.* Cogi quidem durum fateor. Cogi autem volens nequit: indignatio, & dolor necessitatis pondus exaggerant: patientia, & consensu animi fortunæ cuspis obtunditur. Vis non cogi? fac sponte, quod cogeris. Vis, vt iter longum breue fiat, volens I. D. Equitare vellem, pedes ambulo. *R.* An insaniæ parum est, vnum ob quadrupedem, cuius vsum nescis, quàm diu tibi fortuna concesserit, naturæ numerum obliuisci, quod multi faciunt, qui vilis, atque intractabilis, & caduci equi fiducia, dediscunt pedibus suis ire: quibus quæso, quid aliud, quam diutem cupias podagram, hoc est pedes inutiles, equos multos? *D.* Longum iter pedes ibo. *R.* Ibis pro libito; nemo te transuehet, nemo morabitur, nemo concutiet, nemo deiiciet, nemo agit in præceps; vnus tibi labor viæ, vnum opus ire, nil tibi tuo cum vectore negocij. Non cogeris enim equum frenare, non pungere, non adæquare, non substernere, non circumducere, non fricare, non pascere, non aut tergum vngere; aut arentem pedis vngulam, & tractare digitis ancipites clauos, aut nocturnos sudibus arcere concursus, & somno exciri trepidus, semperque sollicitus, quid bellua peruigil cum vicinis agat; saltem noctibus quiesces. Nam qui equitant noctu etiam laborant. *D.* Pedibus longum iter ago. *R.* Calceatus forsitan. Sancti autem patres nudis pedibus deserta lustrabant Nuncij Dei Omnipotentis Apostoli, mundi climata circuibant, hic ad orientem,

ille ad occidentem, hic ad arctos, ille ad meridiem nauigantes interdum, raro id quidem, neque aliter, quàm cogẽte locorum situ: sed quem, precor, equitem legis, præter vnum ex omnibus Ioannem? neque id amplius, quàm semel, idque perexiguo viæ spatio; dum, quod Clemens scripsit, & ecclesiastica habet historia, ad recuperandam perditi adolescentis animam, pia illum festinatio perurgeret; quomodo autem equitarent, quorum dominus pedes ibat? Vix asellum semel quidem ille, mox in crucem ascensurus, ascendit. Quod si sanctitate inaccessibili, hæc exempla te prægrauant: at Romanæ legiones, quæ orbem terrarum subegere, magna ex parte pedestres fuisse noscuntur, in quibus non se solùm, atque arma suis pedibus quisque portabat, sed multorum panem, ac viaticum dierum; vallum quoque, quo in finibus hostium, castra in dies circumspecta, nocturnis ab insultibus tegerentur. Vnde eleganter Cicero noster, quodam loco de militibus Romanis agens, cum fortibus viris cæterarum gentium arma non impedimentum, sed quasi vestimentum esse dixisset, hoc præcipuum illis dedit, vt diceret, Romanis solis arma, non vestem esse, sed vt humeros, ac lacertos: vt cùm eas, quas dicebam, militares sarcinas subiissent, tum demũ videri sibi esse vestitos: neu quis moderni sermonis consuetudine labi possit, militum appellatione pedites accipi, eosque ab equitibus, quanuis vterque militet, hoc secerni nomine solitos, multis Romanæ historiæ locis aduertere est. Proinde magnum tibi lenimen, ac solatiũ laboris, horum recordatio præstare potest, non inermi tantùm, ac vacuo, & duro licet, tuto tamen calle pergenti, sed armato etiam, atque onusto, & periculoso trami-

tramite peditanti. Siquidem nihil ad tolerantiam asperarum rerum efficacius, quàm cogitare eadem multos, fortibus animis, fuisse perpessos. Pudet enim generosum spiritum, non posse vnum, quod innumerabiles potuere: quæ cogitatio, non in laboribus modò, qui difficiles, sed in his quoque, qui miserrimi videntur, cruciatibus, in doloribus corporeis, maximè in ipsa demum morte profuerit. *D.* Longum ego durumque iter pedibus mœstus ago. *R.* Nihil æquè durum iter, lenit, mœstumque animum serenat, vt nobiles ac suaues curæ, quę nisi boni ac docti viri pectus incolere, viasque omnes comitari nesciunt. Hic si grata societas amici læti, & eloquentis accesserit, non tantùm leue iter, sed & breue videbitur. Multos iucũda confabulatio sic affecit, vt & vię duriciem non sentirent, & de breuitate, longi licet, itineris quererentur; neque iuisse, sed vectos esse se, crederent. Est & illud enim inter mimos Publij, notissimum: Comes facundus in via pro vehiculo est.

De Sterilitate annua. DIALOG. LVIII.

Reddit ager plus, quàm cepit, tu parcus egenu,
Dignus cui parco nil ferat illetibi.

DOL.

STerilitate premor annua. *R.A.* Iam tibi fertilitas grata erit; optimè res omnis contrarij collatione cognoscitur. *D.* Fefellit ager meam spem. *R.A.* Non te ager fallit, sed Improbitas cupiditasque animi: cuncta vobis ad nutum succesſura promittitis, insolentes; vestro digni iudicio, quibus ipsa rerum pareat natura; quæ si suum ius seruare ausa, profundam semel auaritiæ vestræ, præruptamque voraginem, cui nihil

est satis, inexpletam liquerit, insolens vobis & auara, atque iniuriosa videbitur. Non sunt hæ autem iustæ, nec modestæ spes, sed immodici figmenta desiderij, ea quidem fingitis euentura, quæ cupitis, si quid deest, damnum dicitur; tuus ager suum morem tenuit, & tu tuum tenes. Terræ etenim vbertas, & sterilitas alterna, sed cupiditas vestra perpetua est. Vos iniquissimi omnium interpretes cùm illam grate ac sobriè, hanc patienter, ac fortiter ferre debueritis, illam contemnitis, hanc defletis. Illa tumidos facit, hæc querulos. *D.* Ager meliora pollicitus, me fefellit. *R.* Terram bobus; ac rastris, cælum votis, ac precibus fatigatis. Ventorum spiritus, opportunitas imbrium, germinum decor, agri species, puluis hybernus; lutum vernum, æstiui soles, maturitas autumnalis, omnia cupidos in specie trahunt, vt arentem stupam flamma omnis incendit, vt inanem puluerem flatus omnis impellit, sic auarum animum; lucrum omne suspendit, atque erigit, omnisque non rei modò, sed vel tenuis spei iactura, confundit, ac deiicit. Sed frenate, miseri, motus inconditos, infinitam concupiscentiam coercere, & spem credulam, mille tandem delusam successibus, castigate: quid nunc cœlum, terramque respicitis? Non aliunde fertilitas, quàm à Deo est. Illum, mortales, agere sinite, & videte, quod agitur, & laudate: sinite opificem operari, & vnius artifici perito homini exhibendam reuerentiam, non negetis Deo. Pudeat terrea vascula cælestem figulum arguere, sed in omnibus illi voce, atque animo gratias agite, qui necessitatum conscius vestrarum, neque cupiditatum nescius, illis succurrit, his occurrit. Vtrobique misericors, vtrobique terri-

terribilis in consiliis super filios hominum ; vt de illo scriptum est: Sperate iam tandem, non in agris vestris, sed in Domino, & facite bonitatem & inhabitate terram , & pascimini in diuitiis eius , delectamini in Domino & dabit vobis petitiones cordis vestri; quæ, vbi cœperitis in Domino delectari , auaræ esse non poterunt , neque iniustæ. Reuelate Domino viam vestram, & sperate in eo, & ipse faciet. Iactate super domino curam vestram , & ipse vos enutries : quid cælesti manu editi, non nisi terram cogitatit , terramque diligitis? Nolite has sacras voces, vt soletis, spernere. Nolite auras, pluuiasque, & tempestates idoneas aucupari, aut precari. Nolite in terra spem habere, sed in illo, qui respicit terram, & facit eam tremere ; qui de saxo durissimo fontes liquidos elicit; qui te denique ab angelo tuo falli passus est, vt in illo spem poneres , qui non fallit. *D.* Multum solita de copia demptum est. *R.A.* Id modò subducitur , quod plus æquo , vel dederunt anni præcedentes , vel sequentes dabunt : modestiæ , quantulumcunque sat est. Auaritia lucro crescit, eoque fit pauperior, quo plus habet magna vitiorum genetrix, magna nutrix , atque hortatrix est copia. Patere malis tuis demi aliquid; quò minus copiæ , minus erit insolentiæ , minusque libidinis. Atque quòd hæc tui ruris iniuria, apud multos beneficium , vel largitas haberetur, tuque ipse si assueuisses inopiæ , vbertatem hanc, & copiam iudicares : tantum in iudicio rerum semper consuetudo præiudicat , tantamque vim habet: nunc quid mirum, si temperata fastidiunt, qui superuacuis assueuere : qua nulla maior procella modestiæ est. *D.* Sterilitas vrget insolita. *R.A.* Sæpè quidem fortiores viros plaga fert ste-

rilis, fertilior molliores, neque fert modò, sed facit, atque alibi natos durat, aut mollit. Sic molliuit Gallos primùm, post Romanos, Asia; Alexandrum Babylon; Hannibalem Capua. Contrà verò Romanam indolem durauit, & Cotis in morem acuit illa arens, & scopulosa pars Ligurum; te, quē copia molliebat, duret inopia. Sobrietatem te doceat ager tuus, & quod libri vberes nequiuere, glebæ faciant aridulæ. Nemo despiciendus est magister disciplinæ vtilis. Disce bene viuere, disce vel senex, disce vel nolens; disce denique vel indignans.

De Villico malo, ac superbo. DIAL. LIX.

Cùm malè neglectos coluit tibi villicus agros;
Si potes, emenda; vix melior sequitur.

DOL.

VIllicum insolentem patior. *R.* Insolentem tantùm, & non furem? bene tecum agitur. *D.* Villicus malus est mihi. *R. A.* Malum fer æquanimis: villicus, nisi pessimus, bonus est. *D.* Villicum durum ægrè fero. *R.* Mollem, delicatum que ferres ægriùs: duricies rusticorum epitheton est: duris cum bobus, cum stiua, & vomere, cum ligonibus, & rastris, dura denique cum tellure luctantur. Quid ni ipsi etiam duri sint? si nil aliud est, quàm durus, bonus est villicus. *D.* Rusticum importunum ferre nequeo. *R.* Atqui vel feras villicum, vel ipse villicus sis, oportet; vel incultum rus elige. Dura sunt omnia. *D.* Rusticus intractabilis, indigestus est mihi. *R.* Nil horum impræmeditatum tibi esse debuerat, mox vt terram habuisti: labores varios præsagire, sterilitatem, & villici fastidia debuisti: dixi, dum rure gloriareris exculto,

culto, rusticos vltimos hominum, terris abeuntem iustitiam reliquisse. Si vnquam genus humanum reuiuisceret, eosdem illos, puto, vltimos reperturam, ita quos sequebantur, præcesserunt, malorumque omnium pessimi facti sunt. *D.* Asperrimus villicus est mihi. *R.* Vbi Veritas dixit, quòd terra homini spinas, & tribulos germinaret, subintelligendum fuit, & rusticos tribulis: cunctis asperiores. *D.* Villicus est mihi nequissimus. *R.* Aut villici nequitiam tolerare condisce, aut famem perpeti. Mutare enim villicum non proderit. Ad vnum modum fermè omnes facti sunt; nisi quòd semper peior est vltimus. *D.* Villicus fur est mihi. *R.* Dixisti tandem, quod dicturum, præstolabar. Ita enim addicti sunt, vt eis aliquātò sit dulcius id modicum, quod furantur, quàm quicquid ex omni iusto labore percipiunt, & hoc ipsum tandem est ferendum; nec queri vnus debet, quod omnibus est commune. Profectò autem, etsi poeta rusticos vltimos, à iustitia derelictos faciat [vt bis dixi] apud vos tamen, hominem primum humano semine genitum, & agricolam fuisse cōstat, & parricidam, vt fuisse semper pessimi videantur: dum id recolis, non mireris fures. *D.* Villici culpa rus perditum, ac desertum est. *R.* Hoc quotidie multis clarioribus Anaxagoræ accidit, & Architæ; vterque, credo, doluit, neuter excanduit.

De Furtis. DIAL. LX.

Furibus arcendis prodest custodia rerum:
Claue domum, firma clausa sit arca tibi.

DOL.

ID modicum, quod supereſt, à furibus vix defendo. *R.* Rure te villicus tuus patientiam

mali huius edocuit, quam in vrbibus exhibe-
res. *DO.* Me fures infestant. *RA.* Contra
hoc malum nil querelis agitur, suppliciis opus
est. Interim custodia proficit vigilanti. Sunt,
qui nihil custodiant, & accuseut fures, cùm vetus
sit prouerbium, quòd occasio furem facit. *DO.*
Limen meum fures obsident. *RA.* Claude hostium, obde seram, aperi oculos, atque intende:
si negligis, temet ipsum culpa; rurò fur intentis ob
fuit. Illi iustiùs queruntur, quibus non sunt domus; quales sunt quidam populi sub meridiem,
& sub arcton: & ideò apud Scythas, vt scriptum
vides; nullum scelus furto grauius; & sequitur
ratio: quid enim inter syluas supereſſet, si furari
licet. *DO.* Fures mihi subtrahunt res meas.
RA. Suas fieri volunt, nec tu veras. Puta ergò
negligentiam tuam plecti, rerumque te tuarum
custodiam, hoc pretio, doceri. Vtilia non discuntur gratis. *D.* Mihi molestissimi fures sunt. *R.*
Importunum planè genus hominum, nec optimo
bonis omnibus odiosum, non modò vt pestilens,
sed vt vile. Sic enim habe: non aliter, quàm
summa animi vilitate aliquem ad hoc trahi. Haud
immeritò igitur Aurelius Alexander, princeps iuuenis, sed bonus, tanto furum odio flagrauit, vt
de illo scribat Ælius Lampridius, si quem talium
vidisset, paratum digitum habuisse vt illi oculum
erueret, tantique eum stomachi fuisse in furtorum infamia laborantes, vt si eos casu aliquo vide
ret, commotione animi coleram euomeret, toto
vultu inardescente ira, vt nihil loqui posset. Nobilis prorsus indignatio generosi animi, verè ingens furum fœditas, quæ viro forti, & sublimi, sic
subitò nauseã extorqueret. Quin imò, quũ quidã
ex honoratis aliquando furti reus, ambitiosè tãdẽ
fauo-

fauore quorundam amicorũ regum, ad militiam aspirasset, & statim in furto deprehensus esset [vix enim illi vitio assueti, desistere vnquam sciunt] quæsiuit Alexander à regibus, qui illum promouerant, quid apud eos paterentur fures; cumque illi respondissent crucem; illicò eum, de illorum sententia, crucifixit. *D.* Furtis infestor. *R.* Contra furta bona est vigilantia, atque custodia, sed optima est paupertas: quandiu aliquid erit, quod furibus dulce sit eorum vel manus certè, vel oculos non euades: vis fures non metuere, pauper esto.

De Rapinu. DIAL. LXI.

Omnia diuino veniunt tibi munere; si quid
Fortè perit, domino res perit ipsa suo.

DOL.

A Prædonibus spoliatus sum. *R. A.* Quamuis ciuili lege [nisi fallor] scriptũ sit, quòd nullus fur improbior, quàm qui vi rapit: sunt tamen clandestini fures, me iudice, viliores: illi enim fraude agunt, hi autem vi. Et ideò, iuxta sententiam Ciceronis, illi vulpeculis; hi leonibus assimilantur. Adde, quòd fures rebus spoliant, ingeruntque suspiciones; at prædonibus spoliasse ferè sat est, suspicionibus non relinquunt locum. *D.* In prædones incidi, qui me nudum reliquerunt: *R. A.* Incidit in prædones Cæsar, à quibus non spoliatus modò, sed captus, magno se tandem pretio redemit, futurus rerum dominus: quamuis huic damno solatium vltio mox sequuta præbuerit, non exiguum lenimen iniuriarum. Incidit in manus hostium Regulus, toties iam victor, qui magno cum imperij vestri damno, atque discrimine eundem immani supplicio peremerunt. Incidit in hostes quoque Valerianus Imperator, qui eum

multo cum imperij dedecore, fœdo senili seruitio confecerunt. Tu, si nihil vltra, quàm spoliatus es, & fortunæ tuæ, & prædonibus gratiam habe: qui tibi libertatem, vitamque reliquere. Non est enim aliud beneficium latronum, quam quod Cicero ait in Philippicis; Vt commemorare possint, his se vitam dedisse, quibus non ademerunt. Fer tu igitur sortem tuam, communem tibi cum magnis his, atque aliis claris viris: &, si comparetur, facilem etiam, atque optandam; neque felicior esse velis his, qui dicuntur felicissimi.

De Dolo malo. DIAL. LXII.

Deceptus fallu, sic fallu decipientem;
Alter ab alterius fraude perire solet.

DOL.

A Circumscriptoribus sum deceptus. *R.* Miraris? Mirarer ego, si inter homines conuersando, illæsus euaderes: quis homo enim hominem non decipit? Fides exulat, regnat fraus: hoc ne nunc nouiter perpendis? non tanto studio, neque tot laqueis venatores, atque aucupes feras, ac volucres captant, quot versuti homines alios quosque simpliciores. Quod si vnquam verum fuit, vestra ætate verissimum est. Monstrantur digito fraudum magistri, & ille prudentior iudicatur, qui peritior est fallendi. Vis ne igitur non decipi; aut morere, aut fuge hominum consortia. *D.* Dolo malo, vnde non timui, circumuentus sum. *R.* Si timuisses, deceptus fortè tam facilè non fuisses: & nũc cogita, an tu quemquã aliquãdo fefelleris. Estis enim ferè omnes ad fallendũ proni; feres autẽ faciliùs ab altero tibi fieri; alteri quod feceris. Sed vos, & quæ facitis aliis, non sentitis, & quæ ab aliis

aliis fiunt vobis, pati non poteſtis, rerum omnium iniquiſſimi iudices. *D.* Dolo amici damnum tuli. *R.A.* Erras vt in multis. Nullus in amicitia dolus eſt. Sed in hoc etiam vulgò erratis, amicos creditis, qui non ſunt. Amicitiamque rem inæſtimabilem, atque ſanctiſſimam facili probatis experimento, vſque adeò rerum vilium curioſi, leui commeſſatione, aut breui confabulatione quæritis amicum: nec citiùs quæritis, quàm perditis, ſi tamen, quod non habetur, perdi poteſt. Poſtea ab amicis vos deceptos dicitis, & hanc infamiam amicitiæ iuuritis innocenti. *D.* Dolo damnificatus ſum. *R.A.* Multis profuit falli, eris cautior in reliquis: quidam paruæ rei damno, maximarum rerum pericula declinarunt. *DO.* Circumſcriptor iniquiſſimus me fefellit. *R.A.* Immò tuum exercuit, atque excitauit ingenium, docuitque non fidere, niſi expertis, & probatæ fidei. Enumerarem exempla quibus caſum tuum ſolareris, niſi eſſent innumerabilia. Quis enim viuens non decipitur? Quicquid mali mortalibus accidit minus eſt, quàm quod homo patitur ab homine: & quoniam ſequi omnia, nec poſſibile, nec neceſſe eſt; Memento Caninij, qualiter Syracuſis fuit dolo malo quondam à Phitio circumſcriptus. Habet tamen Caninius, quo ſolari queat, eques Romanus ab extraneo, & viuente deceptus, cum Auguſtus Cæſar Imperator Romanus, à Romano ciue moriente deluſus ſit: nota res eſt, vt Marius quidam, qui ipſius Auguſti beneficio, ab infimo militiæ gradu, ad ſummos honores, atque opes aſcenderat, ſemper publicè prædicare ſolitus, ſe illum vnum hæredem habiturum, eique bona ſua omnia relicturum, à quo omnia percepiſſet; id ipſum, cum pridie quã

obiret, eidem affirmasset Augusto, fraudulentum spiritum emisit: tandem, nulla Cæsarei nominis, vel tenui mentione, in testamento habita. Dignus verè, cuius cadauer vnco in Tiberim traheretur, qui dominum, ac benefactorem suum fallere, nec morte, dediscceret.

De Habitatione angusta. DIAL. LXIII.

Sæpe Viri paruos magni coluere penates;
Corpore in exiguo maxima mens habitat.

DOL.

ANguste habito. *R.* Angusta domus ad multa est habilis; inter alia, contra fures vtilis: de quibus paulò ante querebaris; qui in ea latebras non habent, sicut ex diuerso, de magna domo rectè dicitur quod dominum fallit, & prodest furibus: arctam sanè, vel amplam domum, pro numero habitantium accipio; tu nũc, vt tibi videris, angustè habitas. At quantò habitat angustiùs anima tua, quantoque fœdius inter saniem, & cruorem; nec migrare illam inde, si fieri possit, vnquã velis. *D.* Arcta domus est mihi. *R.* Domus lutea cœlestem animum non angustat, sæpè parua domus magnæ gloriæ capax fuit; cũ magna interim multæ infamiæ plena esset: non format domus animũ, sed ab illo formam accipit; vt læta igitur, atque honesta pauperum tuguria esse possunt; sic infames, mœstæque regum arces, diuitumque palatia. Nulla tam parua domus est, quam non amplificet magnanimus habitator, magnoq; hospiti se præstet idoneam. *D.* Parua domus mea est. *R.* Parua Euãdri regia, magnum cœpit Alcidem: modicis ædibus, futurus mundi dominus, natus est Cęsar: pastorali casa Romulus, ac Remus, tam magnę vrbis authores edu-

educari. Non amplis atriis habitauit Cato: volubili dolio Diogenes: angusto tugurio Hylarion; imis terræ specubus sancti viri. In exiguis hortulis magni philosophi, sub diuo, modicis sub tetoriis, summi duces: in stupendis palatiis Caius, & Nero. Tu; cum quibus habitare velis, elige. *D.* Angusta est mihi domus, & humilis, & inculta. *R.* Muri fures, ventosque submoueant: & vtriusque peiora vulgi tædia, tecta, frigus, æstum, soles, imbres arceant: turres aëreæ volucribus, domus ampla superbiæ, ornata luxuriæ, referta cupidinis nullum virtus sperni habitaculum nisi vitiis occupatum. *L.* Perangustè habito. *R.* Vis ne tibi domus omnis amplissima videatur? sepulchrum cogita.

De Carcere. DIAL. LXIV.

Quocunque ingrederis solitis retinebere vinclis.
Totus enim mundus nil, nisi carcer, erit.

DOL.

CArcere claudor indigno. *R. A.* Melior est indignus carcer, quàm indigna libertas; multoque satiùs immeritum pro iustitia, mala pati, quàm, per scelus, bonis affluere; quamuis nec mala illa dici debeant, neque hæc bona; sed loquor, vt vulgus, quod dolorem, malum ingens; voluptatem, summum bonum iudicat. *D.* Carcere clausus sum. *R. A.* Quis non carcere claditur, aut quis inde digreditur, nisi dum moritur? Vetus hæc tua, omniumque sors est. Vnde propriæ, vnde nouæ igitur querelæ? Ita enim scito, ex quo die natus es, & antequam nascereris, in carcerem, atq; in vincula missum te, illius imperio, cui omnis cœli ambitus, exigua domus est: &, si quid summo creditur poëtæ, tenebrosum vtique carcerem, & cœcum. Illius carceris exitum, si felicẽ

cupis, huius anguſtias non horrebis; ſicut nec ſupplicia, nec mortem, nec humani aliquid, ad quorum patientiam, & contemptum, niſi præparatus, armatuſque vſque erit animus, in quacunque fortuna, calle graditur ancipiti. *D.* Turpi carcere claudor atque anguſto. *R.A.* Nullus carcer turpior, & anguſtior nullus, quàm iſte corporeus, quo vſque adeò delectaris, atque vnde tantopere ſolui times. *D.* Carcere detineor importuno. *R.A.* Multos periculo inſtanti, atque hoſtium manibus carcer eripuit. Multis limen carceris, pro clipeo fuit, & quod intraſſe profuerat, exiſſe nocuit; vt exitu admoniti, quod horruerant vtile, quod optauerant miſerum faterentur. *D.* Carceri mancipatus ſum. *R.A.* Quid ſcis, an fortaſſe non carcer, ſed, vt dicitur, cuſtodia ſit? quoties vinclis explicitos hoſtilis mucro, ſiue hoſte ſæuior paupertas inuaſit? quoties euaſiſſe pœnituit, & carcerem, quem diuturnum queri cœperant, non fuiſſe perpetuum, queſti ſunt? Vidimus in carcere quoſdam lautè viuentes, mox inde digreſſos, tenuem, ac difficilem vitam, mœſto fine clauſiſſe. *D.* Miſeram in carcere vitam dego. *R.A.* Quidam libros in carcere texuerunt, tu querelas texis inutiles. Quidam literas in carcere didicere, tu patientiam dediſcis. *D.* Carcerali cuſtodia vinctus teneor. *R.A.* Plerique cauernis, ac ſpeluncis; alij ſe murorum anguſtiis incluſere, carcerem ſpontaneum, vel Dei amore, vel mundi odio, vulgique faſtidio, eligentes. Tu, ſi hoc animo non es, tuique carceris finem cupis, exſpecta: aut te hinc homo eruet, aut mors, quæ clauem carceris alteram habet: vnus quidem introitus, exitus multi ſunt. Alium miſericordia, alium vis eruit, alius innocentia ſua, alius cuſtodum negligentia euaſit,

sit, alius pretio, alius ingenio, & vel subterraneis cuniculis, vel per tenebras amicæ noctis elapsus est, quibusdam, patrum memoria, terræ motus & ruina carceris viam fecit. Ad postremum quos nihil emiserit, mors absoluit. Nec minus varij euadentium euentus: Marium consulatui carcer dedit: Iulium Cæsarem Pyratarum custodia summum misit ad imperium: hac ætate quidam, de limine carceris, ad dominum transiuere; & catenam sibi excussam, iniecere aliis. Denique Regulum, & Socratem, multosque alios non tam carcer extinxit, vt visus est, quàm carcere clarus finis eripuit. Et ad summam, quosdam carcer ad insignem gloriam, ad eximiam fortunam; ad regnum alios, multos ad cœlum misit, ad sepulchrum omnes: nullum cœpit, quem non redderet.

De Tormentis. DIAL. LXV.

Pœna grauis præsens animo fert sæpe salutem,
Infligit Deus hic, parcat vt inde magis.

DOL.

INiustè torqueor. *RA.* Quid nunc diceres, si iustè? Nullum nempe tormentum conscientiæ malius est; illa incolumi, hæc externa despicio: intra te est consolator tuus. *D.* Torqueor prorsus indigne. *RA.* Tortoris miserere tui, ille te grauiùs torquetur: quamuis enim mundus obstrepat, minus mali est pati iniuriam, quàm inferre. *D.* Torqueor. *RA.* Nouum mali veteris lamentum: nunquid enim non antea torquebaris? Inter tormenta natus, inter tormenta vixisti, inter tormenta moriturus: quid nunc noui accidit? mutantur tormentorum species, tormenta non desinunt: excute totum tempus ætatis; quem

sine tormentis diem egeris, recordare. Aliqua falsis forsan gaudiis adumbrata reperies; veris autem plena tormentis; quibus, si acritet æstimes, nullam vitæ partem vacare fateberis: vnde non immeritò quibusdam, omnis vita supplicium visa est: sed vos nihil ominus haudquaquam hę philosophicæ voces tangunt, hærent quidem aurium vestibulo, mentis claustra non subeunt, hic ad omnem corporis offensiunculam ingemiscitis, animi inge, mortiferumque supplicium non sentitis, illic impatientes, hic hebetes. *D.* In equuleum leuor. *R. A.* Quid refert in equuleum, an lectulum torquendus ascenderis? te carnificis nodus premet: at hunc febris, hunc podagra, hunc vxor, hunc filius, hunc amica, hunc diuitiæ, hunc paupertas, hunc medici manus, hunc magistri ferula, hunc nequam seruus, hunc dominus insolens, hunc infinita cupiditas, spesque anhela; hūc, tortore quolibet peior, metus. Perquire mortalium status, vix vllum inueuies non in equuleo pendentem. Sed cùm mille sint equulei, nisi ligneum, non timetis. *D.* Torqueor. *R. A.* Aut innocentiâ in tormentis, aut iustitiâ te ipsum consolare. Nam si iniustè torqueris, gaudendum est; experimentum tibi, atque aliis, & fulgor quidam tuæ virtutis accesserit; attrectati ac sublati fragrātior, ac notior fama erit; vt bene oleant, teruntur aromata, & pulcherrima rerum, ne lateant, attolluntur. Sin id iustè pateris, acquiesce remedio: & concretæ sordes flammis, aut asperitatibus eluūtur; & magni mali medicina tristior sit, oportet; quem morborū tædet, amara non respuat: quem scelerum pœnitet, supplicia non recuset. *D.* In equuleum tollor. *R. A.* Si immeritus, habes vnde ex alto sæuitiam alienam despicias; at si meritus, est

vnde à terra diuulsus, ipse tuum clariùs, aspicias crimen, quodque commissum doles, non doleas plecti. *D.* Torqueor. *R.* Aut tentatur virtus, aut punitur vitium; alterum sæpè vtile, alterum semper expediens. Bona exercitatio iusti; est pessima nocentis impunitas. *D.* Torqueor. *R.* Disce iter ad patientiam, & ad mortem.

De Iniusto Iudicio. DIAL. LXVI.

Cùm fueris falsò damnatus, perfer, inique
Iudice qui vincit, vicerit ipse malè.

DOL.

INiusto iudicio damnatus sum. *R.* Vnius iudicis, aut paucorum voce testium damnatus, populi vocibus, aut tacito iudicio; quodq; est melius, conscientia ipsa tua: quodque est optimum, diuina sententia absoluendus. Siquidem ad tribunal æternum Iudicis iusti prouocatio salua est: solet is perperam iudicata, rescindere. *D.* Iniustè iudicor, *R.* Vt iustitia iniustos sic iniustitia iustos premit. Vbi igitur iniusta damnatio, ibi iustus est reus. Nemo autem tam demens, nisi insaniat, vt hæc peruerti, seque iniusto iudicio premi velit. Nemo tam pauidus, nisi sit pessimus, vt non potiùs damnari eligat iniusto iudicio, quam absolui. Tantò enim id satiùs, quantò est melior oppressa iustitia, quàm imperiosa nequitie: quantoq; est optabilior mens bona, quàm propitia fortuna; quam uis illa laboribus, hæc deliciis affluat. Plus dicam, tantò est melius, iustè etiã damnari, quàm iniustè absolui; quantò est peius impunitũ, quàm punitũ crimen: in hoc enim, sceleri iũcta iustitia est: malo quidẽ magno, bonũ ingens: in illo autem scelus, & impunitas; quæ, nescio, an scelere ipso peior sit: vna certè & iustitiæ hostis, & multorũ radix est sce-

lerum. *D.* Iudicio grauor iniquissimo. *R.A.* Mens in solido fundata, & bene sibi conscia, humeros habet inexpugnabiles: superimpone quantumlibet damni, infamiæ, supplicij; nullo fasce curuabitur, & viribus suis, & multò maximè cælesti ope consistet. Erunt præterea, quorum sese paribus soletur euentibus, haud spernendi comites: Romæ Furius Camillus, ac Liuius Salinator: Athenis Aristides, atque Miltiades, multiq; alij, inter quos quidem [quod mireris] Cicero, & Socrates: an te horum alicui, an Publio Clodio similem fieri malis? atqui horum quisq. ciuis optimus, & in sua vrbe clarissimus, sed iudicio damnatus, & vel in exilium, vel in carcerem, vel in mortem actus. Ille verò scelestissimus, & inter multa flagitia, notissimi quoque conuictus adulterij, violatarumque religionum, concordibus omnium iudicum sententiis, absolutus est: quisquam ne adeò falsæ metuens infamiæ est, qui non illius absolutioni, Ciceronis, hostis sui, damnationem, atque exilium anteponat? Sed humana hæc, atque communia: sin altius aspicis, videbis pressum falso iudicio cœli regem, familiamque eius, electissimam, tanti vestigiis hærentem ducis; & qui hunc postea sequuti sunt, tanta innocentia, tantisque virtutibus, in hos ipsos iudiciarij turbinis incursus, ac scopulos incidisse. *DO.* Falso iudicio offendor. *R.A.* Est, qui te iudicet; is qui facit iudicium iniuriam patientibus, quique ait, Mea est vltio, & ego retribuam eis in tempore. Est & vbi non cogitas, ipso iudicis, aut testis in pectore magni ibi habitant vltores. Nullius belluæ morsus est acrior, quàm conscientiæ. *D.* Iniusto iudicio læsus sum. *R.A.* Illatis iniuriis bene vti, ars non vltima est; qua instructo, sæpè profuit iniquitas alie-

na

na, cum sua cuique semper noceat, profit nunquã. *D.* Innocens damnatus sum. *R.* Quid igitur? nocens malles? Sic enim Xantippæ coniugi, Socrates moriens, respondet muliebriter lamentanti, quod is innocens moreretur. Atqui, etsi aliqui contrarium opinati sint, longè tamen est, innocentem condemnari, tolerabilius, quàm nocentem. Hic enim solum supplicium graue est, illic & causa supplicij. *D.* Iniusto populi iudicio damnatus sum. *R.* Expectas, vt populus in te rectum videat, quod nec in se, nec in alio vnquam vidit? Magnũ tuæ innocentiæ argumentum fuerit à nocentibus condemnari. *D.* Populus immeritum me condemnat. *R.* Idem hercle non immeritum, sed multa, & magna promeritum Camillum, de quo nunc loquebar, & Liuium ipsum; denique Scipionem Africanum, aliosque Cornelios tales viros, iniustis iudiciis agitatos, ad voluntarium coëgit exilium. *D.* A rege innocens condemnor. *R.* Et regum plerumque sententiæ non iustitiæ, sed vindictæ sunt: quisquis liberius verbum contra licentias regias emiserit, cuicunque, in interitu libertatis, frons obductior fuerit is lesæ reus erit maiestatis. *D.* Sed condemnor à iudicibus. *R.* Iniquo iudice nullum venenesius est animal: à serpente læsos se dolent quidem homines, non queruntur. Fecit enim serpens, quod suum erat, quamuis non quod placitũ patienti. Certè iudices erant, qui eos etiam, de quibus dixi, Socratem condemnarunt, Clodium absoluerunt; quorum vtrum esset iniquius, dubitari potest. Proinde in populis aut sub regibus, atque iudicibus degenti, propositum animo esse debet, aspera quælibet, & iniusta patienda, si veniant; non deflenda, cum venerint.

De Exilio. DIAL. LXVII.

Terra patris domus est nostri communis, & in qua,
Sedibus à patriis exulat omnis homo.

DOL.

EXilio pellor iniusto. *R.* Quid tu igitur iusto pelli malles exilio? Nempe quod ad iniuriæ cumulum ais, in diuersum trahitur: habes enim iniusti exilij solacium comitem iustitiã, quæ iniustos ciues destituens, te sequuta, tecum exulat. *D.* Iniusto exilio pulsus sum. *R.* An te rex expulit, an tyrannus, an populus, an hostis, an tu ipse? Nam si rex, aut iniustum exilium non erit, aut ipse non iustus: atque ita nec rex quidem. Si tyrannus; ab illo te pulsum gaude, sub quo boni exulant, fures imperant. Si populus, moribus ille suis vtitur; bonos odit, & hic quoque multiceps tyrannus nunquam sui similem pepulisset. Non te igitur patria, sed malorum cœtibus arceri, neque in exilium, sed in partem bonorum ciuium cogi putes. At si hostis, agnosce iniuriæ leuitatem; non hostiliter sæuiit, qui omnia cum posset, patriam abstulit, spem reliquit. Sin tu ipse, mores populi perosus, aut tyranni, abitum elegisti, non modò ne doleas, sed etiam gloriare, virtutem patriæ prætulisse; non tu flebilem, sed honestam, & prorsus inuidiosam, bonis atque optabilem, non iam exilij, sed absentiæ causam habes. Sponte Pythagoras Samon liquit; Athenas Solon; Romam Scipio. *D.* Exilio damnatus sum. *R.* Multos exilium honestauit; multos acrior aliqua fortunæ vis, atque iniuria, notos reddidit & illustres; quid te vetat illis inseri, qui; quasi ignem de silice, claram famam collusionibus, quæsiere? *D.* In exilium agor. *R.* Habes in hi-

sto-

storiis magnos rei huius socios, quorum speciosissimus comitatus, non sensum modò doloris imminuat, sed obliuionem afferat. Non minor in exilio Camillus fuit, quàm fuisset domi; quantus ciuis, quantus exul; qui victorias, ac triumphos non iustitia minus, quàm prosperitate conspicuos in Capitolium duxit; mox hinc pulsus, pro accepta iniuria, ingratæ salutem patriæ rependit. Non facilè aliud tam clari exulis exemplum, fateor. Sed Rutilius, & Metellus, tam nihil exilio fracti sunt, vt Rutilius reuocatus ab illo, cuius nutui non parere capitale erat, exilium amplexus, reditum contempserit; seu ne vlla in parte senatui, iniustisque licet legibus patriæ obstaret, seu, ne fortè exul iterum fieri posset. At Metellus eodem, quo in exilio profectus erat, vultu, atque animo remearet. His Marcellus accedat. Hic vltimus, qui in belli ciuilis tempus incidit, pulsus nempe non solitam modò constantiam, honestarúmque artium studium non omisit, sed strinxit arctiùs, & publicis liincubuit, vt ad scholas missus honestissimas, non ad exilium, videretur: quod quidem in Ciceronе conspectius, operum splendor, & literarum copia maior facit, non exilij modò, sed carceris, dulce solatium. *D.* Exilium patior. *RA.* Exilium breue citò te patriæ tuæ reddet; longum verò, aliam tibi patriam dabit, vnde exulent, qui te exulem voluere, dediscétque nunc si ad naturam rerum, non ad opiniones hominum aspiceres. Valde enim angustus est animus, qui sic ad vnum terræ angulum se applicat, vt quicquid extra sit, ad exilium putet. Multum abest exilij deplorator, ab illa animi magnitudine, cui to-

tur orbis carcer exiguus videtur. Interrogatus Socrates cuias esset, mundanus, inquit, sum. Vera Socraticum responsum Athenienſem se alius respondisset. Socrati autem patria omnium mundus erat; non hic solùm, quem vulgò mundum dicitis, cùm pars vltima mundi sit, sed cælum ipsum, quod hac rectiùs appellatione comprehenditur: illi patriæ destinatis estis, ad quam, si suspirat animus, qualibet in parte terrarum peregrinum, atque exulem se nouerit. Nam quis patriam vocet, vbi non habitet, nisi ad breue tempus? Illa verè cuiusque patria dicenda est, vbi quisque perpetuò securus, ac tranquillus deget. Quære hanc in terris, puto irrita erit inquisitio. Vt naturæ autem lex est data mortalibus, ac præscripti fines, dum hic viuitur, terra omnis patria vestra est infra quàm, qui se exulem facit, non tam rei, quàm animi vitio laborat. Non habemus hic manentem ciuitatem dixit Paulus. Omne solum forti patria est, inquit Naso. Omne homini natale solum, ait Statius. His te vocibus armatum velim, quibus vbique vnus, & vel nunquam, vel semper in patria tua sis. *D.* Ire in exilium iubeor. *R.* I sponte, peregrinatio erit, non exilium, & memento: quibusdam reditum pro exilio fore. Sunt, quibus nunquam peius, quàm in patria sua sit. *D.* In exilium cogor. *R.A.* Cupiendo quod cogeris, efficies ne cogaris. Omne violentum patientia vincitur, & desinit esse violentum, quod volenti sit. *D.* Ire in exilium est necesse. *R.* Tu fac volens, quod vel nolens faceres: fac lætus omnia, ne quid mœstus patiaris. Ita omnem vim necessitatis, omnes clauos, quos adamantinos illi tribuunt, catenásque omne tædium, molestiámque discusseris: sed vos impossibilia cupitis, ne-

cessaria fugitis; vtrumque nequicquam. *D.* In exilium eo. *R.* Immo forsan in requiem: sub obtentu falsæ miseriæ vera felicitas; iam saltem ab inuidia tutus eris: propterea mixtamque cum gloria securitatem arripe. Tutis, & honestis latebris nihil est dulcius. Nulli his conferri possunt vrbium plateæ. Depellor è patria. *R.* Pulsum te pessimis, optimis insere; neque te patria, sed patriam te indignam rebus proba. Sentiat illa, quid perdidit; tu nihil perdidisse te sentias: mali ciues tui odio, simúlq. præsentis odio, ac suspicione careant; boni autem amore absentis, ac desiderio teneantur, sequantúrque oculis, atque animis abeuntem: illi se solos linqui doleant, tu te comitatum gaudeas proficisci, neque in tergum respicias, neq. reditum cogites, neque cum illis esse cupias, qui te cupiunt abesse, neque demum, quod à te fieri debuit, ab alio factum ægrè feras. Debuisti cedere ciuium inuidiæ vtq. illam fugeres, vltrò in exilium ire. Huius ego consilij dux eram: nec exempli duces deerant clarissimi. Nam in primis tres magnos Scipiadas id fecisse noueras, támq. perseueranter, vt patriam sua præsentia, qua nil clarius habebat, spoliatam, indignam quoque cineribus defunctorum, quidam insuper famoso dignam epigrammate iudicarent. Nomina sunt immortali memoria, quæ tibi per famam, pérque omnis historiæ fidem ignota esse non poterant, Africanus, Nasica, Lentulus. *D.* Mittor in exilium. *R.* Immo in experimentum tui; videris, quem te in exilio præbeas; si succumbis, exul verus; si consistis, exilio clarus, vt multi olim, qui inuicti & fulgidi per asperitates incesserunt, vt sequentibus rectum iter ostenderent. Sine tyrannos sæuire, sine populum furere, sine hostes, ac fortunã fremere. Pelli

potes, capi, cædi, perimi, vinci autem, nisi manum extuleris, non potes, neque ornamentis tuis spoliari, cum quibus quocunque ieris, & ciuis, & patriæ principum vnus eris. *D.* Exulatum pergo. *R.* Perge alacer: id securus: nescis quàm longa sint brachia tui regis: nihil illi longè est: vbique te proteget, qui protexit in patria.

De Patria obsessa. DIAL. LXVIII.

Qui genus ob patriam, tandem quam flamma cremabit.
Cùm eorum mundum carpserit ignis edax.

DOL.

OBsessa est patria. *R.* Obsessa fuit Troia, obsessa Tyrus, obsessa Carthago, obsessa Hierosolyma, obsessa Numantia, & Corinthus, euersæque omnes: quem iam pudeat obsideri? Ipsa vrbium caput Roma, obsidione tentata est, sed cum iam Roma esse desiisset. Quid Capuam? Quid Tarentum? Quid Syracusas? Quid Athenas? Quid Veios, minoresve alias loquar? Sunt & sua vrbibus fata, & paucæ vatum obsidionis euasere? Sed longitudo temporum, notitiæ rerum obstat, vt ipsis etiam ciuibus, suarum fata vrbium sint ignota: vt præsentem sentis obsidionem, nec futuras præuides, nec præteritas meministi. Sic est vsus; quod te premit, defles. Valde sensibus dediti estis, belluarum more. *D.* In patria sum obsessus. *R.* Dicebam te in incommodum tuum flere, iam optabile videri possit exilium, eò quòd minùs officiat libertati: neutrum tamen officit, si libertas animi vera est. Ille & incluſus egredi, & excluſus regredi, & vbi voluerit, esse potest. *D.* Obsessus in patria mea sum. Obsessus & Priamus; non ciuis, sed rex in patria sua fuit; cum tota

tota illa famosa magis, quàm fortunata familia. Obsessus Argis Antigonus Macedonum Rex; & Eumenes Pergami obsessus: hac ętate, intra vrbem Genuæ, Rex Siciliæ Robertus, nullo veterum regum minor; si, quæ veros reges facit, vera virtus attenditur: tu homuncio sortem regiam lamentaris? Obsessus Ambrosius, obsessus Augustinus, ambo simul intra Mediolani ambitum. Obsessus ad vltimum, Augustinus idem, intra episcopi sui muros; quo tempore, miseratus lachrymas suas, Deus à terrena illum obsidione, ad cæleste regnum transtulit. *DO.* Obsideor. *RA.* Et puis, oro, non obsidetur? Hos peccata obsident, illos morbi: hos inimicitiæ, illos curæ: hos negocia, illos ocia; illos diuitiæ, hos paupertas; illos infamia, hos laborioſa celebritas. Omnes corpus quod tantopere colitis, & amatis: ille vos carcer arctissimus circumcingit, atque obsidet obsidione perpetua: ipse orbis terræ, vbi fremitis, & bellis assiduis insanitis; vbi imperiorum terminos, ac regnorum tanto studio prolatatis, quà à vobis incolitur, quid est aliud, quàm quod ait Cicero, quasi quædam parua insula, circumfuso illo mari, quod magnum, quod Oceanum, quod Athlanticum appellatur in terris? quod tamen tanto nomine, quã sit paruum, vides. Vndique obsessi estis omnes; tu te obsessum, vt rem nouam. narras. Vide potius, si quid in te opis, aut consilij est, quod possis ad tutelam patriæ conferre. Hoc fac potiùs, & memento Syracusij Archimedis operosi senis; querelę enim, nec tibi nec patriæ profuerint. *D.* Obsideor intra patriã meam. *R.* Quid tu igitur, an alibi malles obsideri: posses id fateor, malle, & quidē piè, quo scilicet te obsesso, illa esset immunis. Cæterùm quos

ad te attinet, an ſolamen exiguum videtur, quicquid ſit in patria tua pati, vt quantum lædit aduerſitas, tantùm leniat locus ipſe. *D.* Intra muros patrios coarctatus ſum. *R.* Ita hoc dicis, quaſi nullæ maiores vobis ſint anguſtiæ, quam murorum. Quã multi ex iis, qui in vrbibus habitant, ſi aſſidui in curia, atque in foro ſunt, vt vix toto, quàm longus eſt, anno, ſemel portas vrbis aſpiciant; adde nomen obſidionis, erumpere geſtient, & vincti ſibi compedibus videbuntur arctiſſimis: non hoc facit obſidio, ſed opinio, qua nihil eſt in veſtræ mortalis vitæ fluctuatione potẽtius. Fabulam locus poſcit. Decrepitum quendam ſenem fuiſſe nuper Aretij fama eſt, qui nunquam patrium limen exceſſerat: id cùm ad aures præſidentium veniſſet, ludendi ſtudio, hominem ad ſe vocant, & ſibi compertum dicunt, illum clam vrbem egredi ſolitum, occulta cum hoſtibus habere colloquia. Ille autem per ſanctos iurare, ſe non ſolùm tunc præſentis pellitem pore, ſed nec vnquam vlla pace, per omnem, quamuis longam vitam, muros vrbis egreſſum. Contrà illi incredulitatem fingere, & ſuſpectum eũ Reip. dicere. Quid multa? Graui, ni pareat, pœna impoſita, ne egrediatur, imperant. Illum ferunt, Impatiẽtia prohibitionis irritatum, die poſtero, quod nunquam antea viſum erat, extra muros patriæ deprehenſum. Sic in vetitum ſemper, peruicatia animos vrgente, nitimini, & tu nunc te arctatum dicis, & tibi vrbs tota non ſufficit; cui, niſi obſideretis, fortè pars minima, domus forſitan vna ſufficeret, quod maximè ſtudioſis euenire ſolet. Quid, quod ferè omnis obſidio, breuis eſt? Adeſt loci ſolamen, ac temporis, æquanimitas ſola deeſt; vt lugeatis, & queramini, non natura rerum; ſed mollicies veſtra eſt.

De

De Patria euersa. DIAL. LXIX.

Fata solum patrium multò meliora sequuntur;
In cœlo, non hic, inuenienda quies.

DOL.

QVid, quod euersa funditus est patria? *R.* An non fortunas quarundam ex his, quas paulò ante nominabam, & similes aliarum innumerabilium audiuisti? Tyrum, & Thebas, & Persepolim, Persici regni caput euertit Alexander Macedo [quod mireris] ad suggestum scorti vnius, magnæ vrbis tenuis fortuna est. Troiam euertit Agamemnon: Saguntum Hannibal; Carthaginem atque Numantiam, Africanus minor: Hierosolymam Titus: aliásque alij. Romam nullus in totum diruit, sed senectus attriuit, ciuilibus adiuta discordiis: & quid refert, quis euerterit, quam constet euersam? Ruinæ Mediolanensis recentior fama est, sub Friderico Imperatore barbaro, & immani. Quid tu ergò tuam patriam rebaris exemptam imperio fortunæ, cui vrbes maximæ, atque imperia subessent? An vsque adeò te fefellit amor, vt vrbem vnam, quòd tu ibi natus esses, fingeres immortalem, cum sit mundus ipse mortalis? Cœlum ruet, ac terra, montes, & maria mouebuntur, & creata de nihilo, in nihilum redigentur: tu ruisse tuam patriã, aut miraris, aut quereris? Sunt, quòd paulò ante dicebam, vt hominibus, sic vrbibus mortes suæ. Non tam crebræ illæ quidem, quòd & pauciores vrbes, & diuturnioris æui sunt, morti tamen obnoxiæ: non sunt enim soli homines, sed, præter animos, humana cuncta mortalia. *D.* Patria ruit. *R. A.* Resurget forsitan. Nam & aliquæ surrexerunt & quibusdam cecidisse, materia fuit feliciùs resurgendi. Nempe ho-

die Saguntum,& Mediolanum sedibus suis stant. At Mediolano proxima Laus Pompei, vltima [vt aiunt] mutauit locum,iisdem barbaricis manib. & sub idem tempus euersa. Similiter & Hyerosolima,& Carthago. Spera ergò: si spes cecidit & de patria actum reris, caue tu succubuisse fortunæ: peior est enim animorum deiectio, quàm murorum. Virilis,non fœminea virum decet pietas; quanuis doleas patriam cecidisse, noli tamèn simul occumbere;quando tua nihil iam ruina reip. collatura est;quin te ipsum, & si quæ sunt ciuium reliquiæ,ad feliciora tempora,reseruare satage:factis prius,non lamentis opus est,vbi sit etiam ipsa fuga laudabilis. Audiuisti vt Terentio Varroni,cuius culpa, ac temeritate penè ruerat imperium Romanum,publicè ab omnibus gratiæ actæ sunt, quòd de Rep.non desperasset,quod facilè collega eius,vir clarissimus,& culpæ omnis illius expers, videbatur. Si aliud nihil est reliqui,at tu saltem, cum Biante,bona tua tecum portans,quamuis nudus,muros patriæ tuæ cadentis egredere, & ad illam patriam aspira,cuius regni non erit finis;quò cum tandem, Deo te vocante,conscenderis, non obsidionem metuas, nec ruinam, nec eorum aliquid,quæ vestris in vrbibus metuuntur.

De Metu perdendi in bello. DIAL. LXX.

Si vinci non vis in bello,bella caueto:
Insideatque animo pax veneranda tuo.

METVS.

BElLo vinci metuo. *R.* Pacem quære. *M.* Valde vinci metuo. *R.* Timor modestus cautionem, vehemens verò desperationem parit:quarum altera, nil in bello melius; altera peius

ius nihil in rebus omnibus. *M.* Magno prælij quatior terrore. *R.* Quid bellantium timor mali ferat, atque ex timore oriens mœstitia, Flaminius ad Trasimenum, Crassus apud Carras, Pompeius in Thessalia expertus est; quibus in locis, & sæpè alibi verum poëticum illud apparuerit:

Pessimus in dubiis augur timor.

M. Euentum pugnæ nimis horreo. *R.* Differ interim, dum spes redit; malè pergitur, vnde abstinendum; mens, terrórque denunciant: solet inesse animis præsaga quædam vis; cuique obstare fortassis, non sit vsquequaq; consilium. Non est exemplorum numero, seu veterum, seu nouorum opus, clarissimis tribus vti satis habui. *M.* Instantis pugnæ casum metuo. *R.* Excute res tuas, quas, te melius nemo est, qui nouerit. Vide ne non res natura, vel virium defectus; sed præsagium sibi fingat ignauia, cui nihil vsquam nõ formidolosum, ac difficile est. Hæc, si libertati igitur, si gloriæ, si saluti tuæ officit, virtutis auxilio comprimenda est, excitandusque animus, & monstrandum illi sępè pauciora esse, & leuiora pericula, quàm pauores obseruari sæpè oculis falsas imagines rerum terribilium, quibus consternati quidam, sine ferro, paratam sibi victoriam, tradidere hosti. Non est enim falsus, atque inanis metus, vero lentior, sed eò sæpè vehementior, quò pauentem maiora omnia sibi fingens error, quoque præcipitat, atque ita, quod poëta idem ait:

Malè cuncta ministrat: Impetus.

Si nec his attollere iacentem animum potes, campo abstine. Vix bene geritur, quòd pauidè geritur; sic affectus, in aciem si descendas, tecum erit, qui contra te dimicet; tui enim ipsius, aduersus te, melior pars rebellat. Malus sẽper hospes animi pes-

simus in bellum comes metus.

De Stulto, & temerario Collega. DIAL. LXXI.

Collegæ mores, si non sunt conuenientes,
Si prudenter ages, laus erit illa tua.

DOL.

STultum habeo, ac temerarium collegam. *R.* Est aliquid cauſę, fateor, vt timeas, ſi ex diuerſo aliquid eſt, vt ſperes; hoc enim, vt quibuſdam calamitatis, ſic aliis gloriæ præbuit materiã. Temeritas Terentij Varronis Æmilio Paulo mortem peperit. At L. Furij & Minutij, temeritas M. Furio Camillo, & Q. Fabio Maximo ſingularem gloriam quæſiuit; notæ ſunt hiſtoriæ; *D.* Eſt mihi collega præceps, & inconſtans. *R.* Eſto tu conſtãs, & modeſtus. Nuſquam virtus clarior eminet, quã ſuo admota contrario, Cur non tu potiùs illũ regas, quàm te ille præcipitet? *D.* Eſt inſolentiſſimus collega. *R.* An tibi excidit, vt ipſi, de quo nunc diximus, Camillo, tribuni militum conſulari poteſtate, quinque ſimul collegæ, imperio pares, vltrò ſe ſubmiſere? Habet hoc virtus excellens; poſſeſſoribus ſuis authoritatem, miratoribus reuerentiã, ac pudorem confert; nullo melius modo collegæ inſolentiam repreſſeris, quàm induſtria, ac virtute. Sic efficies, vt illum tibi parem dici pudeat, ſicut puduit Minutium, & aut ſe ſponte ſubiiciat honeſtiore ſuffragio, quàm ſi eum tibi populus ſubiiciſſet, aut omnes intelligant, illũ tibi, parẽ nomine, rebus imparem, & quicquid bene geſſeritis, tuum eſſe, quicquid ſecus, illius. *D.* Collega mihi ſtultus obtigit, ac peruerſus. *R.* Quædam per contrarium diſcuntur. Solent magiſtri tardiuſculis

lis discipulis incertum aliquid proponere, quod cum respuerit discentis ingenium, ad vera facilius retrahatur. Redit ad memoriam obscuri hominis clarum verbum. Ante non magnum tempus cum Florentia ciuitas statum mutasset, quod crebrò nimis, ac libenter facit, atque ad imam plebem frena reip. peruenissent; Vnus ex insolenti grege, qui diu tenuerat illam, & mœstus amiserat, vicini inopis mechanici humilitatem spernens: Et te, inquit, qui neque literas noueris, neque vnquam patrios fines excesseris, vilis semper artificio vitã trahens, cum paribus tuis, qualiter hanc tantam, & tam nobilem vrbem reges? Ille autem nihil motus: Ecquid negotij, inquit est? Quid vos egeritis, nullus ignorat; si per omnia contrarium agimus, aberrare non possumus. O verbum dignum docti hominis ex ingenio prodiisse? Tu nunc igitur in collega tuo contrarium tibi statuas exemplar, cui dissimillimus fieri velis.

De Inconsulto & præcipiti Magistro militiæ.
DIAL. LXXII.

Ignauus si sit belli dux, arte regendus,
Ingenio maior sæpe cadit numerus.

DOL.

EST mihi magister militiæ inconsultus, ac præceps. *R.* Hoc aliquantò periculosius non negem. Legiones nostras interroga iacentes ad Trebiam, ad Trasimenum, & ad Cannas, multisque aliis in locis. Si remedium vis, dubiam linque militiam. Si id fortè non datur; at tu fortiter, atque industriè ministerium tuum age, vt inter tui ducis errores, tua virtus emineat; nec te ruina opprimat aliena; sed tu potius, si qua est via,

publicæ humeros subiicias ruinæ; rem difficilem, sed neque impossibilem, neque insuetam iubeo: vt enim sæpè multis militibus obfuit vnius ducis ignauia, sic interdum vnius viri virtus, & exercitum seruauit & ducem. Neu sim longior, quàm oportet; tu res suis in locis quæres, mihi nominũ, & temporum commemoratio sola sufficiet. P. Decius bello Samnitico, Calphurnius Flamina bello Punico primo; Africanus minor bello Punico tertio: Tribuni omnes militum, ducúmque, & exercituum seruatores: tanta esse tua virtus, ac felicitas potest, vt aliena infamia eximiam in gloriam tuã vergat. Anceps sanè negocium, sed extrema in necessitate vnicum. Proinde vtcunque alios fortuna rotauerit, Tu virtutis gubernaculum, si mihi obsequi volueris, nec in pace, nec in bello, nec in vita destitues, nec in morte.

De Infausto prælio. DIAL. LXXIII.

Sternentem sterrit belli fortuna, fugantem.
Sæpe fugat, dubiis statque, caditque viis.

DOL.

AT prælio victus sum. *R.* Iam timor euanuit; sperare incipies: hæc est horum series affectuum. Nam cùm spes, & metus de futuro sint: iam vt futurum potest esse, quod speres, sic futurum esse desiit, quod timebas. *D.* Magno prælio victus sum. *R.* Tantùm ne animo victus sis: nempe ille si cecidit, actum est. Meministi vt Marcellus prælio victus, die proximo in aciem rediit, victorémq. suum maiore, quàm ab illo pridie victus erat, prælio vicit. Et Iulius Cæsar ad Dyrrachium inferior, ad Pharsalia mox ingenti prælio victor fuit. Multi prælio victi bello fue-

re victores. Non cadunt animi virorum fortium, vnius lucis euentu ; non magnanimi tantùm, sed longanimes sunt. Victus hodie, cras pugnabis cautiùs. Ducis artem infausta prælia, quasi tristes fidíque edocent magistri. Atque, vbi sit erratum, plagis admonent. Sic acricolam sterilitas, architectum lapsus ædium; Equitem casus crebri? nautam graues acuunt procellæ. Errando discitur. *D.* Victus sum. *R.A.* Non est victus, nisi qui se victum credit, cuius spes obruta, & extincta est, cuius animus amata deposuit. Aspice Romanos animos, cum semper, tum præsertim bello punico secundo. Non tam defectione sociorum, non conspiratione regum, ac gentium; non tot infelicibus præliis, ac ruinis penè vltimis victi sunt. Nulla vnquam apud illos mentio pacis, nullum diffidentiæ vestigium. Nulla denique, nisi alta prorsus, & inuicta consilia. Hoc sanè quid est aliud, quàm virtute animi, fortunæ duriciem mollire, atque illam in pudorem sui, & amorem tui cogere; Tandem igitur, vt dignum erat, emersere, & mille strati surrexere altiùs, vt non hostes tantùm suos modò tam formidabiles, sed totum mox, ex ordine, terrarum orbem, virtus illius ac fortuna subiiceret. *D.* Victus sum, fateor. *R.A.* Nunc demum incipis nosse fortunam, & hoc saltem boni fugiens, inueniſti. Nemo fermè res magnas gratis discit. Multos docet experientia, quos schola non docuit, & præceptoribus surdum caput, hausit oculis, quod auribus non valebat. Nulla rerum humanarum certior magistra, quàm aduersitas. Nulla dissentiendis erroribus aptior. *D.* Magno fortunæ vulnere corrui. *R.A.* Surge, ne iaceas. Nusquam clariùs, quàm inter fortunæ vulnera prominet animi magnitu-

do. Nunc noſce te ipſum, quantarúmque ſis virium, valde ictus, intellige. *D.* Speratam victoriam amiſi. *R.A.* Si inſperatam prudentiam quæſiuiſti, non ſpernenda rerum permutatio videri debet. *D.* Victus ſum bello. *R.A.* Bello victus libertatem retinet, ac vitam. Vitio autem victus, vtranque amittit; quiſquis igitur illis ſuccumbit, verè vincitur. *D.* Victus ſum. *R.* Quid ſcis, an illud magno Pompeio, Theſſalico dictum, dicere, & tibi conueniat,

Vincere peius erat:

vt damni plus, ſic peccati minus ſolet habere, qui vincitur. Lucrum ingens, quod optantes quidam, non vinci modò, ſed mori etiam elegerunt. Et profectò mercantur egregiè qui morte corporis, quærunt animæ ſalutem; ſed plerique malis ſuis gaudent, bonis anguntur: tanta hominum mentes habet cœcitas. *D.* Victus ſum. *R.* Poteſt id quidem tibi non ſcientiæ militaris inopia, ſed fortuitò contigiſſe. Nuſquam enim fortunatior [vt ita dixerim] fortuna, quàm in prælio; cum multa alibi, illic omnia poſſe illam, perhibent. *D.* Prælio victus exceſſi. *R.A.T.* At non continuò nudus. Poſſunt arma victis auferri. Vera autem bona, quæ ſunt arma animi, etiam qui videntur victi, retinent. Ea enim, vt ex incendio, aut naufragio, ſic aduerſo ex prælio efferuntur: nec illa tantùm, quę in animis abdita, ferro tangi nequeunt; ſed illa quoque, quæ maximè periclitari in prælijs ac ferro expoſita videntur. Itaque non quiſquis bello vincitur, bellicis ſimul ſpoliatur laudibus, licet armis amiſſis, ex acie fugientem, quódque eſt maius, in acie pereuntem, ſecum ducis eximij nomen ferre. Nam & ad Thetmonylas Leonidam non tam victum, quàm vincendo fatigatum, inter in-

ingentes stratorum hostium cumulos occidisse, cum suis, Græcæ memorant historiæ; quam Deiphobo famam Maro applicat: & in campis Æmathiis [si Lucano creditur] stetit ordine certo infelix acies: & nouissimo prælio, quod in Africa cum Hannibale gestum est, nec melius instrui aciem, nec acriùs potuisse pugnari, vt de victore victus, sic & de victo, itidem victor ipse confessus est. Vter que ingens rerum talium æstimator. Quid amisit autem, qui veram artis suæ gloriam, & bene gestæ rei conscientiam non amisit?

De Bello ciuili. DIAL. LXXIV.

Ciuili bello nihil est damnosius vnquam;
Curandum, n sis tu quoque caussa mali.

DOL.

BElla quatimur ciuili. R. Nomen hoc à ciuibus tractum; & tu vnus es ciuium. Vide ergò, ne & tu vnus sis huic malo fomenta præbentium, & virili parte culpæ non careas. Hic enim est mos; alter alterum inflammat, donec singuli furorem publicum exciuerint. Tum demum furor publicus singulos vrget, ac præcipitat: nec vnquam publicum malum à se incipit; quanuis accessione auctum, totam infecerit, sæue etiam euerterit ciuitatem: si primam tamen quæris originem, singulorum in erroribus radicatum est: hoc est autem, quod cauendum moneo, ne tu quoque vnus fueris ex his, qui vel materia, vel flatu ciuile incendium aluerint. Multi enim faciunt, vnde mox querantur, & quasi ab altero inflictum vulnus suis manibus factum lugent. Multi iam suo incendio periere. Quòd si tibi nihil es conscius, pius est dolor, boni ciuis in calamitate publica; sed quem soletur innocentia. Humanis

enim malis, nullum flebilius culpa est; immo quidem, vt quibusdam maximis viris placet, nullum aliud est malum. *D.* Ciuili vexamur bello. *R.* In furore ciuium te sequestrum pacis exhibe? si id frustrà est, at saltem pro libertate, vel solus pro iustitia partes fac: quod etsi patriæ fortassis inutile, at tibi certè laudabile, vtriusque rei exemplum, vna tibi vrbs dabit, Menenium Agrippam, & Portium Catonem, hunc nouissimum. *D.* Implacabile ciuibus bellum est. *RAT.* Si nil opis in te est, ambialios, increpa, deprecare, obsta, castiga, obsecra, ingere, quibus potes, publicam ruinam, quæ priuatas in se continet; & cum nullius propria videatur, est omnium. Denique hinc pietate, hinc terroribus animos placa. Si nil apud homines proficis, Deum ora. Opta ciuium resipiscentiam, & salutem patriæ, modisque omnibus boni ciuis officium imple. *D.* Bello ciuili respub. in extremo est. *RA.* Ne quid vel ciuilibus, vel externis bellis inopinum accidat, ne quis imparatum casus opprimat, semper hoc vnum volue animo, non homines modò, sed præter animos, humana omnia esse mortalia: &, vt hominibus, sic vrbibus, & magnis imperiis suos morbos nunc extrinsecus obrepentes, nunc ipsum intra corpus exortos, in quibus sunt successiones, & simultates, & discordiæ, & bella ciuilia, esse omnibus constitutum terminum; qui præteriri non poterit, suum finem cunctis, quæ videntur, instare, & si paululum differatur, affuturum tamen. Vbi sunt vrbes clarissimæ, fuisse syluas asperrimas, & futuras esse. Stultè, de se sperare vrbem aliquam, quod assequi regina vrbium Roma nequiuerit. Hoc inter fata hominum, atque vrbiũ interesse, propter innumerabilem, infinitamque fre-

frequentiam,& vitæ breuitatem,quotidie in oculis sunt. Hæ propter raritatem,atque æuum longius, vix semel, multis in sæculis, & cum stupore cernuntur.Hæc te cogitatio firmiorem contra omnes casus, tam publicos, quàm priuatos faciet. Hæc tibi demum, etsi non amænam, at vtcunque tolerabilem viam sternet ad inopiam, ad exilium & ad mortem, docebitque hoc proprium patriæ tuæ malum,quod omnibus est commune.

De Discordia animi fluctuantis. DIAL. LXXV.

Si dubitas animo, vitæ quæ fata sequaris,
Elige, & obserua, quod melius fuerit.

DOL.

ANimi discordia laboro. R. Nullum hoc bellum peius,ne ciuile quidem. Illud enim ciuibus inter se,hoc homini secum est.Illud inter partes populi in plateis vrbium, hoc intus in anima interque ipsas partes animæ geritur. Itaque cùm sit belli quædam species, quæ plus, quàm ciuile bellum dicitur,vbi non solùm ciues, sed cognati etiam inter se pugnant,quale inter Cæsarem,& Pompeium fuit,de quo dictum est:

Ille locus fratres habuit, locus ille parentes:

Quantò hoc bellum iustiùs nomẽ id vendicat, vbi non pater contra filium, nec frater aduersus fratrẽ,sed homo ipse contra se litigat,quo durante litigio,nulla quies animo,nulla potest esse securitas. D. Discordat animus, & diuersis secum pugnat affectibus. R.A. Diuersitatem illam abiice. Vnum velle incipe, tunc composita erit, & immota pax animi; cùm discordes affectus, quasi seditiosi ciues, in vnam conuenerint voluntatem. Alioqui,vt contrarij, & corrupti humores febrem corporum, sic contrarij affectus febrem

pariunt animorum ; quæ tantò est periculosior, quanto & animus corpore est nobilior: & æterna mors terribilior temporali. Vtrobique tamen adhibitum temperamentum , & æqualitas quædam , ad salutem est via. *DO.* Pugnat animus, nec quid velit eligit. *RA.* Malum simul, maliqúe causam stringis; quia nempe non eligit, ideò pugnat. Eligat, & confestim pugna cessabit. Eligat, dico, bonum velle. Nam si malum, magis magisque certabitur. Vitia enim inter sese pugnant. Semper virtutum concordia summa est. *D.* Animus in partes sciissus dissidet. *RA.* Animum in tres partes distinxere philosophi, quarum primam in arce , hoc est in capite locauere , moderatricem vitæ humanæ, cœlestem , serenam semper Deo proximam; vbi tranquillæ , honestæque voluntates habitant. Duarum reliquarum, alteram in pectore , vbi iræ æstuant, atque impetus. Alteram subter præcordia, vbi concupiscentiæ, atque libidines. Duplex huius pelagi tempestas; quid agendum igitur tibi sit, vides. Fac quod Menenius ille, cuius paulò ante memini, persuasit plebi, vt subesse patriciis in animum inducerent: quo impetrato, vrbem sciissam in duas, ad vnitatem, salubri consilio, reduxit. Et tu coge , vel consilio, vel vi partes ignobiles, parere nobilibus; tum demum, & non aliter, animi pacem spera; qua sublata , quid aliud , quàm vaga semper & propositi inscia & fluctuans , & inconstans vita hominum est, & cœca prorsus. & misera ? Multi priùs ex hac vita abeunt , quàm quid velint sciant. *D.* Fluctuo in consiliis, nec quid velim scio. *RA.* Iam dixi, multis hoc accidere , non vno aliquo tantum in tempore , sed in omni vita, & vsque post vitæ finem : & profectò ex omnibus, quæ

quæ dixisti, dicturúsve es, vix hoc malo peius aliquid inuenies. *D.* Fluctuo, & in diuersum agor. *R.A.* Maximum argumentum malè se habentis animi, fluctuatio est: vt enim corpus ægrũ sæpè thoro voluitur, sic æger animus consiliis agitatur; de quo vix vlla mihi spes salutis. Parumper abest, quin melius sperem de homine, vitiis pertinaciter inhærente; qui, si conuersus fuerit ad virtutes, in his forsitan constans erit, quàm de homine vario, nullis se consiliis applicante, qui & si boni aliquid inceperit, non' consistet, neque perseuerabit, indocilis stare: & fieri potest, vt de hoc intelligere liceat, Senecæ illud obscurum, quod tota vita elabitur, aliud agentibus; modò enim hoc', modò illud agentes, nunquam idem, semper aliud agere sunt dicendi, quamuis & alios sensus, locus ille recipiat. *D.* Inter varias curas iactor. *R.A.* Quasi inter tumidos fluctus, vitæ tuæ puppis', consilij inops, & magistro destituta concutitur, naufragio proxima, ni tu illam, dum nondum manu clauus excidit, tuto aliquo, & salubri insistas in portu; iactisq; anchoris conquiescas priùs, quàm te animi tempestas oppresserit. *D.* Fluctuo propositi incertus. *R.A.* Hinc præter animæ pericula, quæ innumerabilia, & immensa sunt, ipse quoque oris habitus prodit, varius, & inconstans, similisque animo, à quo vultus fingitur, vt ait Cicero: dumque hoc in statu fueris, nunc lætus, nunc tristis, nunc pauidus, nunc securus, nunc celer, nunc tardus incedes, insigni varietate conspicuus, quale aliquid traditur de Lucio Catilina. At vbi te primùm composueris, atque ad vnum aliquid direxeris, vnum velle cœperis, quod bonum vtique sit, oportet; quoniam natura malorũ semper varia est, vbi hoc, inquam,

feceris, præter animi quietem, rerum optimam, vniformitas quoque vultus, ac tranquillitas conſequetur: nec ſpe vlla, nec metu, nec mœrore mutanda; nec gaudio: res quidem venerabilis, & paucorum hominum; quæ apud veteres Græcos in Socrate, apud veſtros in Lælio laudata eſt. Poſtremò verò in principibus veſtris, Marco Antonio, & Aurelio Alexandro.

De Ambiguo ſtatu. DIALOG. LXXVI.

Neſcis, res hominum dubiis conſiſtere rebus?
Et certam præſens vix habet hora diem.

DOL.

AMbiguo in ſtatu ſum. *R.* Quid eſt, quæſo, de quo ambigis? Moriendúmne mortalibus, an ſpernenda, quæ fugiunt & nullam in proſperis ſpem habendam, an ineuitabiles caſus rerum eſſe, ſed tolerabiles, nec flecti quidẽ, ſed frangi poſſe fortunam? At hæc omnia certa ſunt. *D.* Ambiguo in ſtatu poſitus, quid de me futurum ne ſcio. *R.* Vbi, quando, qualiter moriaris, ambigere quidem potes; mori autem oportere; nec malè mori poſſe, qui vſque in finem bene vixerit: nec citò mori, quibuſuis in ſpaciis vitæ viri boni munus impleuit; vel ſi id non licuit, at ſpem dedit; nec alibi, quàm in patria, qui mundum omnem ſibi patriam fecit; nec alibi quàm in exilio, qui veram ſuſpirat ad patriam, dubitare [ni deſipis] nullo potes modo. Vnde igitur iſtæ ambages? de fortuna forſitan? an tibi fidem, quod vix illi vnquam fecit an ſuos potiùs mores ſeruet, tanquam pelagus procelloſum, nũc ficta tranquillitate fallax, nunc fluctibus aliis minax, nunc horrenda naufragiis. Ne de hoc quidem ipſo, ſi qua tibi experientia rerum eſt, dubitatio-

bitatio vlla supererit: quanuis enim euentus ambigui, ipsa tamen ambiguitas, ipsa & virtus; quæ te inter incerta certum faciet, certa est; cui, cum te totum dederis, prouisa omnia, nihil erit ambigui. *D.* Ambiguus status est mihi. *R. A.* At non ambiguus Deo; id sat est; illi te ipsum fidens crede, & dic ei, In manibus tuis sortes meæ. Id cùm piè feceris, pone metum, pone ambiguitatem, pone sollicitudinem. Ille scit, quid de te acturus sit, nullius rei dubius; parua quidem, sed firma in nauicula, magnũ sulcas mare: fidus tuæque salutis amantissimus gubernator est. Quid refert an viam vectot ignoret, si magistro nauigij nota est.

De Vulneribus acceptis. DIAL. LXXVII.

Possunt sanari percussæ vulnera carnis,
Sed grauiora tibi vulnera mentis erunt.

BOL.

VVlneribus crucior grauissimis. *R.* O si animæ tuæ vulnus aspicias, quàm tibi hæc leuia videantur: sed vos delicatissima corpora, insensibiles penè animas habetis, altera vestri parte nihil: altera pati omnia parati; quodq; est funestius, non sentire. *D.* Vulneribus inflictis afficior. *R.* Hostilis mucro loricam penetrat, non animum: ille, nisi vltrò suis sese armis spoliet inuiolabilis ferro est. Disputatum habes à magno quodam viro, paruo quidem, sed arguto volumine, ne minẽ lædi posse, nisi lædatur à se ipso: cui sententiæ, quanuis ab opinione hominũ vehementer abhorreat, pro veritate subscripserim. *D.* Grauissimis, multisq; vulneribus laniatus sum. *R.* Nullum vulnus grauius esse potest, quã ad mortẽ: talia verò, vno in corpore, multa esse nõ possũt: sivnũ ergò

grauissimum, reliqua omnia leuia sint, oportet. Tribus & viginti vulneribus confixus Cæsar, vnum, non amplius, lethale habuit: vt sanè fuerint cuncta lethalia, plus ne, quàm semel mori potuit? multa licèt, ac profunda sint vulnera, vnus est vulnerum effectus, quorum sæpè etiam in corpus extinctum inhumana repetitio non vulnerati pœnam, sed sæuitiam vulnerantis exaggerat. *D.* Vulneribus debilitatus sum. *R.A.* Sit, vtinam, simul debilitata superbia, cum sororibus suis; & accesserit vulnerum comes humilitas, ne de nihilo scriptum sit: Humiliasti, sicut vulneratum superbum; bonum vulnus, & vtile, quod plurium, ac maiorum vulnerum medicina est. *D.* Vulneribus deformatus sum. *R.* An adolescentis illius obliuisceris, cuius mentio bis in hoc sermone incidit? serò quidem sponte faceres, quod ab alio factum gemis. *D.* Transuerso vulnere facies exarata est. *R.A.* Non vulnus, sed causam vulneris attendo. Iusto cicatrix bello parta, miris modis honestat faciem. Viri fortis speciosum, pro iustitia, susceptum vulnus, multoque speciosior est mors. *DO.* Vulnere accepto claudus sum. *R.A.* Dictum tenes Horatij Coclitis, qui cum die illo, quo mirabili magis, quàm credibili fortitudine, atque constantia, solus Thusci Regis exercitum, sublicio in ponte sustinuit, testudine suorum manibus à tergo fracta, & collapsa, hostibus clausum iter sentiens, vtque erat armatus, & mille hinc, atque hinc missilibus circunuentus, ex alto se in Tyberim proiecisset, vnoq; cum vulnere, vnde claudus mansit, inter ruēdum accepto, nando ad suos, corpore reliquo incolumis peruenisset, idque vitium sibi, post tēpus, in petitione honoris, obiiceretur, sic elusit aduersarium: Minimè enim, inquit, claudico,

dico, sed ita Dij immortales voluere, vt per singulos passus meminerim triumphi mei: præclarum planè, factisque par dictum. *DO.* Manum vulnere perdidi. *RA.* Si læuam, damnum leuius: at si dexteram, Marci Sergij, viri fortissimi, remedio vti licet, qui hac manu, bello Punico, amissa, sibi ferream fabrefecit, cum qua multis, ac trucibus præliis, non ocioſus bellator interfuit. Id si parum succesſerit, dextræ officium in siniſtram transfer. Noſti, vt Cæsareus miles Attilius, bello Massilienſi, cùm iniectam puppi hoſtili dextram amisisset, læua prehensam tenuit, donec pelago mergeretur. *D.* Vtraque manus ferro abscissa est. *RA.* Vbi plus licentiæ fortuna, ibi plus negocij virtus habet: fortunæ tamen omnis aculeus, virtute contunditur; hac armatus, etiam sine manibus fortis erit. Memento Cinigeri Athenienſis, qui poſt Marathoniam pugnam, opus immortale, Miltiadis hoſtibus ad naues profugis, imminens, obtruncata manu dextra, qua vna nauim fugæ plenam ſtrinxerat, siniſtram mox adhibuit, qua rursus abscissa, feræ in morem, morsu poſt affixo, sic tenuit, quos aliter non valebat: nec tibi miles ille Cannenſis exciderit, qui vulneribus vſu manuum priuatus, contrà ſuis intentum ſpoliis victorem, quod vnum sibi supererat, dentibus quidem pro manibus vſus est, ceruicemque eius arreptam vlnis implicuit, nec laxauit priùs, quàm auribus truncis, ac naribus, os hoſtis lacerum tuens, seque vltus, moriens iam lætior expiraret. Ferocia hæc, illa ſuauiora, mitibusque animis aptiora remedia; vt semper ceu rem fragilem, caducamque, teque velociter deſerturam corpus aſpicias; vt cum id euenerit, nec concidas, nec mireris quidem. Sed exteriore membrorum

miniſterio amiſſo, in ipſos animæ ſinus intimos te conuertas, vbi inuenias aliquid magnificè loquendum, agendumque, nec lingua opus eſſe nec manibus. *D.* Vulneribus deformatus ſum. *R.* Dixi iam; immò ſi cauſa vulnerum pulchra eſt, honeſtatus, ac inſignitus: viri quidem fortis pro iuſtitia magnum aliquid aggreſſi, durumque aliquid perpeſſi, non fœdis frons ſulcata vulneribus videri debet, ſed notis ſtellata fulgentibus: neque verò cicatrices, aut vulnera, ſed virtutis ſunt dicenda veſtigia, & præclaris affixa frontibus ſigna meritorum. Proinde ſi Cæſareum illum quoque Centurionẽ, Cæſium Scæuam, miræ virum fortitudinis, ſed iuſtitiæ nullius, mille lacerum, perfoſſumque vulneribus, hoſtes quoque venerati, & propter vnius virtutis admirationem, vulnera ipſa deoſculantes armorum fragmina, & ſagittas, tepenti cadauere eductas, Deorum templis ceu ſacrum aliquid affigebant; quid de fortis, iuſtique viri precioſis vulneribus ſentiendum ſit, intelligis? *D.* Vulneribus multis infirmus, ac deformis ſum. *R.* Curate, miſeri, vulnera; niſi nunc ſanentur, hæſura perpetuò. De his enim terra viderit, quæ illa conteget, conſumetque, cicatricoſaque corpora excipiens, plana reſtituet. *D.* Inflicto vulnere hac, aut illa parte corporis truncus ſum. *R.* De partib. litigas, totum illicò relicturus.

De Rege ſine Filio. DIAL. LXXVIII.

Ne doleas, regnum non ſucceſſore carebit;
Dant cauſam nati ſemper auaritiæ.

DOL.

REgnum eſt mihi, non filius. *D.* Parum ne tibi igitur ſollicitudinum, & curarum regni onus impoſuit, niſi filij inſuper pondus

dus acceſſerit? ſarcinis veſtris delectamini, & dulce eſt vobis ſub faſce ſuccumbere. Nullum publicum pondus regno grauius. Nulla grata ſarcina grauior, quàm filius, etſi nulla carior. *D.* Cui regnum dimittam nullus eſt filius. *RA.* Dimitte ciuibus libertatem, nil illis gratius, nil te dignius, potes. Fuerunt, qui viuentes nec ſucceſſore carentes, hoc ipſum facere meditati ſunt; Hyero Siracuſius, & Auguſtus Cæſar. Quantò verò ſatius fuerit multis benefacere [cum poſſis] quàm optare, vt vni malè facias? Quid eſt autem melius, quid dulcius, quàm in libertate viuere, quid peius, quid periculoſius, quàm regnare. *D.* Non eſt filius, quem hæredem regni faciam. *RA.* Non eſt tibi materia perpetuandæ tyrannidis. Nam quid ſunt aliud regna, quàm vetuſtæ tyrannides. Non fit bonum tempore, quod natura eſt malum. Adde quod perſæpè qui in regna ſuccedunt, à maiorum ſuorum calle diſcedunt. Exemplo ſunt Hieronymus Siculus tyrannus, & Iugurtha Numidicus, qui Romanorum amicitiam, tanta fide ab auis, tamque fideliter diu cultam, cum ſua vterque pernicie, alter inſolentia, alter perfidia violarunt. Non habes igitur ſucceſſorem regni, non habebis tuorum actum euerſorem; ſed habebis populum tui nominis amatorem, & cultorem tui, memorem libertatis, tibi per ſæcula debitorem. Bene tecum egiſſe fortunam credito, & meliùs multò, quòd filium tibi vel abſtulit, vel negauit, quàm quòd regnum dedit. *DO.* Sine filio rex ſum. *RA.* Nunc honeſtiùs atque liberiùs regna. Sæpè amor filiorum ab amore virtutis animum deflexit. Legiſti, vt apud Taprobanem inſulam ingentem, quæ longè trans Indiam in orientali ſedet occeano, per tranſuerſum diam e-

trum obiecta Britanniæ; rex, arbitrio populi consentientiis eligitur, vir ex omnibus optimus; nihil sanguis, nihil opes prosunt: omne suffragium de virtute oritur, ita vt nunquam iudicio fauor officiat. Sancta, & felix electio, quæ ad nostros reges vtinam peruenisset, neque malis peiores, & peioribus pessimi succedentes, orbem terrarum, tradita per manus nequitia, ac superbia, corrupissent. Illic tamen, quãtumlibet optimus, ac perfectus vir, vnanimi sententia omnium comprobatus, ad regnum tamen non perueniat, nisi & senex, & filiis carens, ne aut ætatis feruor, aut filij amor transuersum, quo non expedit, animum agat. Ita qui, etsi filium habeat, ad regnum non assumitur, etsi post regnum illi fortè filius natus sit, statim regno cecidit: neque enim prudentissimi viri, possibile opinati sunt, vt idem animus simul & populum curet & filium.

De Amisso regno. DIAL. LXXIX.

Cum regno curas abiecisti, reparabis
Sed libertatem, perdita qua fuerat.

DOL.

REgno excidi. *RA.* Iam solatij genus est filium non habere. *D.* Regno excidi. *RA.* Vtilis casus: in pręcipiti sedebas; saluus in plano depositus, & periculosam altitudinem, post terga respiciens, videbis te regni solio descendentem, ad priuatæ vitæ requiem ascendisse; etsi nulla est sine securitate iucunditas, nulla felicitas; aliquantò iucundiùs te, aliquanto ue feliciùs, atque ita altiùs esse, quàm fueras, cognosces. *DO.* Regno depulsus sum. *RA.* Habeto gratiam depellenti: durum auribus, animo liquidum, quod iubeo. Depulsus enim es, vnde erat

erat abeundum; & quod sponte debueras, coactus facis. Optanda vis equidem, non defienda. Nam quis pudor, hominem natum, aut regnum super homines optare, aut se parem factum hominibus indignari? Si excellere pulchrum, atque optabile? quidni omnium pulcherrimæ rei excellentia optanda sit? Non superbiæ igitur, neque licentiæ, sed virtutis, ex qua vera diademata regum, non ex gemmis, auroque fieri, nemo tam auri cupidus, aut gemmarum est, qui neget. Quis autem, quæso hominum non videt, inter homines principatum humanitati debitum, non opibus; quæ opulentum hominem faciunt, non humanum magis; atque ita nec meliorem certè nec hominibus altiorem: sed hic vnus, ex multis erroribus vestris est, in excellentiæ appetitu, quam in sua sede contentam, vbi non est, quæritis, non videntes consequentiam rerum veram, & causarum. Sicut enim inter diuites diuitiis, inter robustos viribus, inter formosos forma, inter disertos eloquentia, sic profectò inter homines humanitate præcellitur. *D.* Regia de sede cecidi. *R.* Si incolumis, perrarum: solent enim, qui sic decidunt, perire, regnoque simul, atq; anima spoliari: quibus illa relinquitur, tranquillior, gratiorque, si sapiunt, vita est; quod illos minimè latuit, qui non collapsi, aut depulsi, sed & stantes, & volentes, aut imperio cessere, aut pontificatum, iam sublimiorem regnis, & imperiis, reliquere. In quibus Diocletianus clarum nomen habet, qui dimissum vltrò ad imperium reuocatus, spreuit opes turbidas, ancepsque fastidium; & quæsitum ab aliis, quærendumque tantis cædibus, rursus oblatum, expertus, exhorruit; & philosophicè, grauiterque cum amicis iocans, oleribus, quæ in hortulo suo,

priuatus, sibi ipse plantauerat, post habendum censuit. *D.* Regia arce detrusus sum. *R.A.* Latentium illa discriminum plena erat, inter quæ dudum cœcus animi, quibusdam velut aureis, nec minus vrgentibus, quia fulgidis manicis, atque compedibus tenebaris, quibus nunc solutus, lumine reddito, quod fortuna suis auferre sequacib. solita est, illius circulatricis instabiles ludos videt; & quis auarus adeò, vt non auro visum redimat? eligatque inopém magis integritatem nobilissimi sensus, quàm diuitem cœcitatem? Atqui non minus nobilis, sed sine comparatione nobilior animi visus est, quàm corporis: illum gaude, regni nutantis impendio, remediisse; rem magnam paruo precio, neque rem vnam tantùm: Non modò enim cœcitas, cum regno abiit, sed libertas rediit: publico seruitio liberatus es. *D.* Regia exuor maiestate. *R.A.* Chlamys regia, sceptrumque, & diadema [crede expertis] ponderosissima rerum sunt, multiplici leuatus fasce, queri desine. *D.* Regnum amisi. *R.A.* Immò quidem euasisti, & nudus ex ingenti fastigio enatasti. Solent terræ redditi, querelas premere, votaque soluere. *D.* Regni felicitatem perdidi. *R.A.* Seu felicitatem miseram, seu felicem miseriam dici mauis, hanc fateor, perdidisti; seu vtrumque simul, falsam felicitatem veramque miseriam. *D.* Regnum simul ac potentiam, regiasque opes perdidi. *R.* Gaudendum perditis, quæ te perdere potuissent. *D.* Regni potestate careo. *R.A.* Et regni curis, & casibus, quorum tædio, atque odio, quidam solio excedere voluerint; quod, vt vellet, Augustum modestia, Neronem metus impulit. Nonnulli etiam excesserunt, vt paulò antè memoraui. Id, qui velle non potest [Sunt enim peruica-

uicaces, & indomitæ voluntates] necessitati saltem, victoriqúe suo gratias agat, ad eum statum vi redactus, quem optasse debuerit. Primum boni animi votum esse debet, honesta consilia libenter amplecti, proximum vel coactè. Quod magnum illum Syriæ regem non præterit Antiochum, qui omni, quæ cis Taurum est, Asia priuatus, Senatui, Populoque Romano gratias agebat, quòd eum magna nimis sollicitudine liberatum, ad mediocria redegissent; facetè quidem ille, si fictè; Sapienter, grauiterque, si verè. *D.* Regni è solio descendi. *R.A.* Dicebam superbiæ impudentis, addam & amentiæ negligentis esse, conditionis oblitum, fastidire, quod sis; esse velle, quod ne queas. Non possunt omnes homines reges esse, sit satis, esse homines: quid non, sui regni auidis, sua sordet humanitas. Quiescite, miseri: bene secum agi putent hi, qui reges esse desierint. Cum enim dura omnium mortalium, tum durissima regum sors: quorum & vita innocens labori, & scelerata infamiæ, atque vtraque periculis exposita, quocunque se verterit, difficultatum scopulos rerumque naufragia, circa se videt: hinc erupisse, tu miserum ducis? nil vnquam tibi felicius accidit, quàm quod miserrimum arbitraris. *D.* Regnum meum, ad alium translatum, doleo. *R.A.* Non tuum certè, sed fortunæ: quæ, si donare illud tibi potuerat, cur auferre, cùm velit, & transferre non possit? Vide autem ne, præter transferentis voluntatem, quæ sola sufficiens est, aliæ etiam causæ fuerint transferendi. Illæ scilicet, quas quidam sapiens vir expressit: Regnum, inquit, à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. *D.* Rex esse desij. *R.A.* Homo esse incipis: ea est

enim regum insolentia, vt quod Rex Regum Christus esse dignatus est, dici homines dedignentur.

De Proditione. DIAL. LXXX.

Proditus es, quid tum? non primus, & vltimus esto;
Proditus à Iuda Christus & ipse fuit.

DOL.

PRoditus sum ab amicis. *R.* Hostibus credo: si amici enim essent, non te proderent. *D.* A familiaribus sum proditus. *R.* Ambiguum nomen, & familiaris amicus, & familiaris hostis dicitur, quo periculum maius vita hominum non habet. *D.* Proditus sum ab eis, quibus ante alios, fidebam. *R.* Vix fallitur, qui non fidit. Enimuerò quò maior quisque, eò minus potest tutò fidere, eoque plus fidere ac pluribus est necesse. Vnde fit, vt cùm communine, tum vel maximè regium sit prodi, neq. omnino vllum genus, tam obnoxium huic malo. Proditus à suis [vt fama est] Priamus, proditus Minos, Nisus, Oethes, Agamemnon, Alexander, & ante ipsum Darius. Proditi ex nostris, Romulus, Tarquinius Priscus, Seruius Tullus, Africanus minor, Magnusque Pompeius, & Iulius Cæsar, & mille alij, vel reges, vel regibus altiores: & quid proditos loquor, quasi quærendi sint? Quis autem non proditur, & in paruis quotidie & in magnis, nisi cui nullus est penitus, à quo prodi possit? Proditus ad extremum Christus, nec regum peste terræstrium cælestis ille rex caruit. *D.* Proditus sum; magisque meorum fraudibus, quàm propriis tangor incommodis. *R.* Piè id quidem, ac magnificè. Nam & Africanus ille cuius proximè memini, se territum non tam mortis metu, quàm insidiarũ, à suis apud Ciceronẽ dicit. Ve-

Veruntamen neutro nimium tangi debes: quando enim ita iacta sors est, vt lucrum, ac perfidia proditoris bona fides, damnúmque sit proditi, elige vtrum malis. *D.* Proditor me fefellit. *R.* Plus ille sibi nocuit, quàm tibi; te prodidit, se perdidit, te pupugit, se confodit; te dum spoliat, se perimit. Tibi enim regnum fortè, vel opes, sibi animam, famam, conscientiæ quietem, conuictúmque hominum eripuit. Nil scelestius proditore: nil turpius Sol videt; cuius obscœnitas tanta est, vt & qui artificio eius egent, execrentur artificem, & qui cæterorum scelerum famam quærunt, huius infamiam reformident. *D.* Proditus sum. *R.* Proderit forsan, ne tam facilè iterum prodi possis. Multi sæpè paruis damnis admoniti, magnis occurrere didicerunt.

De Amissa Tyrannide. DIAL. LXXXI.

Insidiis liber latare, Tyrannide liber;
Cura, odium, & fletus deseruere tuum.

DOL.

TYrannidem amisi. *R.* Si vtile damnum est, amisisse regnum, quanto est vtilius tyrannidem amisisse? Etsi enim [vt dixi] cùm de rege sine filio loqueremur, penè omnia regna tyrannides fuerint, tempore tamen quæsierunt robur, ac obliuione hominum, velum sibi iustitiæ texuere; tyrannidis iniustitia simul, ac nouitas odiosa est. *D.* Tyrannidem deposui. *R.* Sarcinam reipub. grauem, tibi periculosam, nulli bono vtilem, damnosam multis, omnibus odiosam. *D.* Tyrannidem exui. *R.* Ne sis nudus, indue iustitiam, modestiam, parsimoniam, honestatem, pietatem, clementiam, caritatem, vestes optimas,

quibus comparandis, nullo opus est auro, sed sola animi voluntate; vestes paratas bonis omnibus; Tyrannis vel incognitas, vel inuisas, qui margaritis ac purpura obuoluti, humanitate interim, ac virtutibus nudi sunt. *D.* Ciues mihi tyrannidem extorserunt. *R.* Libertatem sibi debitam receperunt, vitam tibi iidem debitam reliquerunt. Tu hanc ciuibus tuis debes, qui tibi præter odium, nihil debent. Ita pro gratiarum actione, querimoniam instituis. At iam pridem mos iste percrebruit, vt, qui fecit iniuriam, queratur; qui passus est, sileat. *D.* Longa tyrannide spoliatus sum. *R.* Seruierunt tibi, quibus forsitan te seruire dignius fuit; nunc iniuriam, longi, & iniusti seruitij finem vocas, cùm iustitiæ principium, iniustitiæ finis sit: vt, si multorum calamitates populorum, vnius hominis pauisse licentiam, turpe fuit; pulchrum sit pascere desiisse, déque hoc conqueri, impudentiæ sit extremæ. *D.* Longa tyrannide fam deiectus. *R.* Sponte descendisses melius, optimè verò non ascendisses. Nunc qualitercunque descendisse, bonum ideò, quia iustum, meliorque coacta iustitia quàm voluntaria iniustitia est. Audite impium tyrannum apud inferos exclamantem:

Discite iustitiam moniti:

audite & me apud superos exhortantem: Discite iustitiam vel coacti. Hæc enim tempestiua hic, vtilisque, ni respuitur: illa ibi admonitio vtique sera est. Frustrà enim discitur, quod fieri amplius non potest. Ponite vero iam tumentes animos, superbúmq; & ferox dominandi votũ ponite; etsi non prius, saltem, post tyrannidem amissam, tyranni esse desinite; & optandi, quod iam assequi non potestis, finem facite; si non iustitiæ, saltem verecun-

recundiæ, hoc præstate, vt mutatis moribus, & nouo habitu mentis assumpto, amissione diuitiarum ditiores facti, quantum fortunæ detrahitur, tantùm animis addidisse videamini. Nunquam ne igitur aduertistis, vt non solus ille rex regum, & dominus dominantium omnipotens, à quo omnis potestas est in cœlo, & in terra, manum, muneribus suis plenam, & extendit, & retrahit, occultis sæpè, iustis semper ex causis: sed temporalis quoque rex regem, Tyrannus tyrannum, & gens gentem deiicit, atque pessundat: an verò nec prophetam illum querulum audiuistis? Et congregabit, inquit, quasi arenam, captiuitatem, & ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridicu lieius erunt. Coaptare animum fortunæ, seu diui næ potiùs voluntati, & cauete ridiculum, fœdúmque illud exemplum Dionysij tyrannorum pessimi, qui patria pulsus, in exilio, puerilium literarũ scholas tenuisse dicitur, vt quàm in ciues non po terat in pueros tyrannidem exerceret. Trux ingenium, affixúmque proposito, honestíq; inscių, atque æquiiuris impatiens. *D.* Tyrannide amissa valde doleo. *R.* Quantum doleres iustæ possessionis amissionem, qui tam doleas iniustæ? quantum re propria spoliari, qui sic doleas alienis? *D.* Tyrannide me deiectum, grauiter fero. *R.* Feres leuius, si causam libres. Multi quidem tyrannorum, solo nominis odio, ceciderunt. Plures tamen certas cadẽdi causas habuisse, notissimũ est; & quotidie fit nõ tius. Apud Aristotelem quidem legis in Politicis, quòd, propter vxorum iniurias, multę tyrannides perierunt. Id quoquomodo, seu actiuè seu passiuè acceptum fuerit, verum erit; hoc est seu propter iniurias à tyrannis illatas vxoribus alienis seu aliis illatas ab vxoribus tyrannorum. Primi exem-

plum habes,non modò tyrannidum,ſed regnorũ Troiani ſcilicet,& Romani. Secundi verò, Agidẽ Lacedæmonum tyrannum,qui cùm ipſe ſibi ſubditos ſpoliaſſet,ad ſpoliandas eorum vxores amantiſſimã ſuam coniugem deſtinabat; quæ ſibi cauſa non vltima eſſe potuit, maturandæ calamitatis: quanuis hic Ariſtoteli notus eſſe nequiuerit: qui ætate floruit Alexandri,neque tam longęuus fuit, vt ad huius ætatẽ peruenire potuiſſe videatur:cũ tamen eiſdem in libris,nõ ſine admiratione quadam,Hieronis,ac Gelonis nomen inueniam,qui, qualiter ſibi noti eſſe potuerint, attenta ratione temporum,non ſatis expedio. *D.* Nec ego alienis iniurioſus vxoribus,nec mea vxor alicui:tyrannide tamen excidi. *R.* Sæpè ſe,nocentiſſimi innocentes putant : ſunt tamen & aliæ non minores cauſæ,præcipitandæ tyrãnidis. Inſolentia ſcilicet, quæ Iulio Cæſari apud hiſtoricos obiicitur; illa præſertim , quòd ſenatui ſe honorificentiſſimè adeunti,nõ aſſurrexit; quæ hodie nec cauſa quidẽ vlla eſſet. Crudelitas quoq. quæ Mezentiũ apud Vergiliũ,ad ſupplicium repoſcebat. Caium verò Caligulam,& Neronẽ, & Domitianũ ad ſupplicium traxit:& inuidia, qua maius tormentum non inueniſſe Siculos tyrãnos,Flaccus ait;neque veſtros hodie maius inuenire,res loquitur. Poſtremò nulla tyrannorum aut maior peſtis,aut crebrior,auaritiâ eſt. Itaque reliquæ ſingulorum, hæc eſt omnium. Reliquę ſingulos ciues afficiunt; hę populũ vniuerſum. Superbia,& inuidia ipſos inter tyrannos regnant: Crudelitas inter paucos ſæuit: Auaritia inter omnes. Quieſcit illa nonnunquam,ac minuitur:hæc ſemper creſcit,ac vigilat. Qui præeſſe igitur in populis volunt,vitare imprimis hoc vitiũ decet,omnémq.vitij huius infamiã, omnẽque

que suspicionem. Nihil est enim quod odiosum æquè faciat tyrannum, atque præsidentia ac dominio indignum. Reliqua interdum magnanimitatis, iustitiæ sese velo tegunt; hoc vnum vtilitatem animi, miseriámque non exuit; & contra communem humani moris errorem, vt nil miserius, nil vilius auaritia est, sic nil quoque miserius creditur nil vilius. ideóque hoc vitio laborantes, indignissimi honore, & imperio iudicantur. Indignantur homines illi subiici, qui auaritiæ sit subiectus, atque illum alienum in corpus ius habere, quod suum non habeat in metallum. Velle sibi licitum, aliorum vitam, ne dicam pecuniam, extorquere, suam tangere non audenti. Prima quidem igitur ad securitatem, & quietem via est, non modò tyrannidis appetitum, sed omnem regnandi cupidinem abiecisse. Nam quid stultius, quid laborioſius, quídve periculosius, quàm totius in se vnum populi sarcinas transferre, fragilem fortitã suis propriis perferendis. Sin eligere meliora; consuetudo veri hostis, & opinionum peruersitas non permittit; illud est proximum, Aristotelicidogmatis meminisse, vt scilicet, non tyrannũ quis se præbeat, sed reipub. curatorem: Introitus, inquit, & oblationes oportet videri, colligere dispositionis gratia, &, si aliquando opportunum fuerit, vti ad bellicas opportunitates: Vniuersaliter autem, exhibere seipsum custodem, & camerariũ, tanquam communium, non tanquam propriorũ; & iterum: præparare, inquit, oportet, & ornate ciuitatem, tanquam procuratorem existentem, non tyrannum: & rursus; oportet non tyrannum, sed œconomum, & regalẽ videri esse subditis, & non suimet curantem, sed procuratorẽ mediocris vitæ persequi; non excellẽtias. His quidem horu nq. si-

milibus [vt Aristoteli placet,& mihi] fit durabilior principatus. Ita tamen talem videri expedit, vt verè etiã talis sit. Simulatio enim, tot sub oculis hominum, quos res tangit, qualibet arte, vel ingenio, longa esse non potest. Vide non igitur, an in parte horum aliqua erraueris, & queri desine, & mirari: neq; enim tyrannidem his vitiis obnoxiã desinere, sed durare, mirabile est. Ad summam, & reges, & tyranni omnes, & quicunque in potentatu aliquo sunt, debent, si regnare diu volunt, acriter excutere, memoritérque dictũ illud Catonis, apud Liuium: Auaritia, & Luxuria omnia magna imperia euerterunt. Amissa tyrannide, priuatæ redditus sum fortunæ. *R.A.* Hostis ciuium eras, factus es conciuis; æquam disce ciuilitatem, & beneficium fortunæ humilioris agnosce; cum honestiùs, cum tutiùs inter ciues bonos, quàm super omnes ciues, viuatur. Iam tibi tranquillior rerum status, iam securior vita erit, sine metu, sine suspicionibus, sine excubiis, sine ferro, quibus in malis, quæ nam vitæ suauitas speranda sit, nescio. *D.* Tyrannide perdita priuatus dego. *R.* Elige an lamentis acerbare fortunam malis, an æquabilitate lenire. Profectò enim, si non vulgi strepitum, sed animum ipse tuum, & in silentio, præteritiq; memoriam interroges, multis te explicitum, atq; ela ipsum malis inuenies. Iam tutus viuere, siccúsq; iã mori poteris, nec sanguine madidus, nec veneno.

De Perditis Arcibus. DIAL. LXXXII.

Arcibus infestis vicinia sæpe grauatur;
Est dignum, multis res inimica cadat.

DOL.

VAlidis arcibus spoliatus sum. *R.A.* Adhuc ergò tyrannidis supererant semina, quæ, iam

iam tandem amissis arcibus, abiecisti. Non est satis, venenosum stipitem præcidisse, ni radicem vulneris, qui arcibus fidit, tyrannus esse non desiit. *D.* Montana arce priuatus sum. *R.* Vbique arces, sunt compedes libertatis. At in montibus nimbi etiam quidam sunt quodammodo, vnde vestra superbia in subiectos tonet, ac fulminet: his priuari, non modò non flebile, sed optandum est. Sunt enim aliqua ex his etiam, quæ bona vulgus appellat, quibus boni quoque, modestique animi teneantur, atque ad illicitum vrgentur: quibus moribus, si obstare, virtutis ope, non valeas, quid ni optanda sit amissio earum rerum, quę hos pariunt motus. *D.* Arcem fortissimam amisi. *R.* Tu fortissimam dicis, fragilem probat euentus. Amisisti potius rem vsu ineptam, difficilémque custodia: rem inutilem tibi, vicinis omnibus odiosam; iam dormire noctibus incipies, & dormire alios sines. *D.* Tutissima mihi arx diruta est. *R. AT.* Quomodo esset tuta, quæ periit, ipse tecum cogita. Ego autem tibi ostendam munitissimam tutissimámque arcem sine muris, sine turribus, sine vllo prorsus operoso rerum apparatu. Si vis tutò viuere, bene viue; nil virtute securius. Bene autem viuere, non hoc dico, superbè, lautè, pompaticè, sed iustè, sed sobriè, sed modestè. Nullis opus est arcibus, quæ non tutum te præstiterint, sed sollicitum, formidabilem, ac molestum. Quæ est autem hæc voluptas, metui, nec amari? An illud Laberij notissimum non audisti?

Necesse est multos timeat, quem multi timent:

hoc ille dixit in Iulium Cæsarem: quantò id in alios, illo & minores, & formidabiliores, rectius dici potest: nescio quidem, cur tam multi cupiant timeri. Nemo enim gratis metuitur, vnà & me-

tuit:& periculosius vni est,multos metuere,quàm multis vnum. Nónne satius multò est,quòd nullus te metuat,& tu nullum; quàm quòd te multi metuant,& tu multos ? Segregari enim ista nequeunt,sempérque metu metus quæritur. Poscis huius dicti causam ? Illa profectò est,quam,Ouidius Naso ait:

Quia,quem metuit quisque,perire cupit;

dictum prius est ab Ennio:

Quem metuunt,

inquit,

Oderunt:quem quisque odit,periisse expetit.

Eras in tua arce metuendus,sed, & metuens,& quos,inquies,metuebam?Immò verò quis non omnes metuet,qui metui,cœperit?sed illos imprimis à quibus ipse metuitur.Nam Cicero Enniũ secutus: Qui se,inquit, metui volent,à quibus metuentur,eosdem metuant ipsi,necesse est. Sæpè idem repeto,quia ita se res habet; nec aduertitis in hoc cæci, vt in reliquis, dum supra omnes esse nitimini,infra omnes estis:quid est timore depressius? sic conatus omnis vester in aduersum desinit. *D.* Arcem mihi carissimam amisi. *RAT.* Fac tibi cariorem aliam, quam non perdes. Circumualla animum piis intentionibus, honestis vitam actibus, prudentiam,ac fortitudinem ante fores loca; iustitiam,atque modestiam in propugnaculis; humanitatem, ac mansuetudinem vndique in muris: spem, fidem, caritatem, arcis in medio: prouidentiam,supremæ turris in vertice: bonam famam in circuitu: Dei atque hominum adsit amor, absit metus, dignos cole, cæteros præteri, neque cultos, neque offensos. Ita nec te alius, nec tu alium contremisces: & in domo humili tutiùs viues, quàm in arce vixisti,

hanc

hanc tibi arcem nemo vsquam inuadet, hanc tibi nemo poterit, aut volet eripere: hac malos in stuporem, bonos in amorem, imitandíque studium excitabis. O quàm facile erat tranquillam, serenámque vitam agere, ni vos eam inquietam ac turbidam fecissetis: omnia fermè vestram, & proximorum in perniciem conquirentes; ad quid enim arces istæ, nisi ad vestram simul, alienámque modestiam: vt neque vos vnquam scilicet quiescatis, & instar aranearum muscas captantium, prætereuntibus insultetis. Atqui cunctis animantibus lustra sufficiunt, ac nidi: sõlus homuncio arces quærit, quo nullum animal superbius, nullúmque timidius.

De Senectute. DIAL. LXXXIII.

Optasti senium, quod cùm tibi contigit, optas
Esse puer; puer es; namque senes pueri.

DOL.

SEnui. *R.* Viuere optabas, & vixisse te pœnitet: an quid aliud rei est? *D.* Senui. *RAT.* Ibas assiduè, & peruenisse te stupes: stupendum potiùs, nisi quo semper ires, aliquando peruenires. *D.* Senui. *R.* Quid ni viuendo senueris, & eundo processeris? An tu ætatem retrogradam expectabas? vt velox, vtque instabile, sic & irremeabile tempus est. *D.* Velocissimè senui. *RAT.* Dicebam tibi tempus fugere, iam credere incipis: dici nequit, non modò inter opiniones hominum diuersorum, sed vnius eiusdem hominis, quid interfit. Iuuenis ante oculos ætatem habens, longissimam opinatur: hanc ipsam senior à tergo respiciens, videt esse breuissimam. Semper futura præteritis longiora vi-

dentur, cùm vel æquè sint breuia, vel eò etiam breuiora, quò ad finem properantibus, naturalis motus solet esse vehementior. *D.* Senui. *R.A.* Est vnde gaudeas, si tamen non inter vitia senuisti: aut si vel ad vltimum surrexisti, bona tibi, & vtilis est senectus, nec exiguum diuini fauoris indicium. Meministi, vt Ægyptium illum senem Cæsar alloquitur, nec ingratum Deis, ætatis asserit argumento. *D.* Senui. *R.A.* Hac in re saltem vnus ex paucis: ex toto enim millibus millium eorum, qui nascuntur, quota pars illorum est, qui ad senium vsque perueniant? Ex his ipsis paucissimi sunt, quibus iustum senectutis spacium explere datum sit. *D.* Senui valdè. *R.A.T.* Prodigium, ac stupor, valde senis occursus; metienti animo, quod ille periculosis passibus huc venerit. Insignis quidem senum raritas, ingens casuum vitæ mortalis argumentum est. *D.* Senui. *R.* Durum, ac difficile stadium cucurristi; mirum nisi iam fessus, & quietis appetens lætè proximam metam spectes. *D.* Citò senui. *R.A.* Vitæ cursus nunc breuis, nunc breuissimus; longus nunquam, durus semper, aspérque & ambiguus: huius vltima pars senectus, finis autem est mors. Quid hic habes querimoniæ singularis? Senuisti? Peregisse iam debes vitæ munus; venisti ad exitum; quiesce. Amens viator est, qui labore vitæ exhaustus, velit ad initium remeare. Nihil fessis gratius hospitio. *D.* Senui. *R.A.T.* Multùm tibi placuit vitæ labor, si eum transisse fers grauiter. *D.* Senui. *R.A.T.* Si viuere delectabat, en vixisti; si oportebat, paruisti. Et quis sanæ mentis, vel quod fieri optauerit, factum doleat, nisi malè se optasse sentiat; vel, quod neque omitti, neque sine multo labore agi poterat, actum esse non gaudeat? Vndique igi-

tur

tur gaudendum tibi est, seu voti compos delectabilis, seu necessario, & graui officio. *D.* Senui, & voluptates corporis fugauit ætas. *R.A.T.* Vtere animi voluptatibus, quæ nec minores, & profectò stabiliores sunt, nec vnquam fugiunt, nisi cum anima; huic hærent, hanc sequuntur. At corporeæ voluptates, venientes culpam ferunt, abeuntes pœnitentiam, pudorísque, & doloris materiam relinquunt. His te explicitum, ac liberum gaudere debes, & liberatrici tuæ gratiam habere, quæ te manibus tuorum hostium eduxit, tibique debitum munus, sed neglectum, dilatúmque suscepit. D. Senui, solitísque voluptatibus careo. *R.A.* Nouis assuesce: habet & senectus voluptates suas, quas gustare vbi cœperis, quæ nunc doles amissa, fastidias, & reuerti nolis. *D.* Senui. & incanui. *R.A.* Boni senis verenda canities, plus habet, non modò authoritatis, sed honestæ etiam voluptatis quàm fœdæ omnes iuuenum illecebræ. Neque verò mutati coloris te pœniteat. Nam quis tam corrupto sensu, támque obliquo potest esse iudicio, vt non candidorum calathos liliorum, quàm nigrantium carbonum cistas aspicere, seque, si transformandus sit, cigno similem malit esse, quàm coruo? *D.* Senui, & squallentes arant vultum rugæ. *R.A.* Et tellus arata fructum fert vberius; & vitæ maturiores fructus bene culta in senectute proueniunt. Rugæ te offendunt oris: vultum animi compone; non illum rugæ occupant, non variant anni, nisi vt formosior sit in dies. Denique semper te, si non tu eum neglexeris, honestabit. *D.* Senui, rugísque, & informi situ obsitus, vix me ipsum agnosco. *R.A.* Hoc tibi iam ab initio euenturum dixi: minus quidem auidè speculo imminebis; minus tuis forsitan, mi-

nus, haud dubiè, mulierculorum oculis placebis; quibus placere velle, maior ne vanitas, an libido sit, nescio. At qui fidem, qui constantiam, qui grauitatem, qui prudentiam quærunt, certiùs inter has rugas, quam in planis ac mollibus maxillis, se, quod cupiunt, reperturos sperent. *D.* Senui, meliorque post tergum ætas remanet. *R.* Immò deterior. Non semper, quæ delectant magis, atque optantur, meliora sunt. Multi malum suum concupiscunt; quod non esset, nisi quia illud Satyrici verum est.

Pauci discernere possunt vera bona.

D. Senui, & lætiores abiere dies. *R.* Omnium fermè dies temporum, inter se simillimi: animi hominum diuersi: quin vnus, idémque animus secum discors; hinc iuuentæ furor, hinc impatientia senectę, talibus vitã impleuere iudiciis, vt melius putet esse, quod peius est, optimúmque quod pessimum. Cęterùm dies omnes in se boni. Bonus enim rex est, & conditor sęculorum. Itaque hic feruidus, hic gelidus, hic siccus, hic humidus, hic nubilus, hic serenus, hic turbidus, hic tranquillus; si ad vniuersi decorem, naturęque ordinem aspicias boni omnes. Ad vos autem, vestríque iudicium relati, ex equo propè omnes mali, mœsti, dubij, solliciti, laborioſi, anxij, amari, queruli, flebiles, ærumnoſi. In his tu mihi, nescio, quos nominas lætos dies; qui, dum aderant, tristes, lamẽtísque suis pleni erant; nunc vt læti videantur nihil est causæ, nisi quòd abierunt, quódque illis pretium, desiderium tibi auget, irredituri, multáque secum tibi olim segniùs forsan amata rapientes. Stultus enim nihil plenè amat, nisi quod perdidit. *D.* Senui. O si dilapsa redeat iuuentus. *R.* O non minus stultum, quàm inane votum, vt tu sentis. At si altiùs

tiùs aſpires, non inefficax; redibit enim in tempo re, & vt ſcriptum vides, renouabitur, vt aquilæ, iuuentus tua. *D.* Senui, & ætas bona retro eſt. *R.A.* Omnis ætas, vt bona bonis, ſic malè vtentib. mala: vtriſque autem breuis prorſus, & extremo proxima eſt; vbi vos manet, hinc bonorum merces, hinc ſupplicium malorum: quæ nam hæc igitur ætas bona, vbique aſpera, ſemperque fugax, niſi quantum ad æternitatem via eſt? Alioqui, etſi dulce aliquid ineſſet, omnem fuga dulcedinem extinctura videretur. Quis enim fugiens deguſtat? Fugienti Dario, fœtidæ atque obſcenæ potus aquæ ſuauiſſimus fuit. Sitis, vt putat Cicero, vt ego ſentio, guſtum metus extinxerat: vrgebat in tergum Alexander victor; Vos à tergo rapidum tempus præmit: Anni celeres, præcipitéſque dies, horæ volatiles. Ante oculos autem mors eſt; nec arctatis reditus, nec impulſis mora, nec præuentis eſt tranſitus. Vitæ huius tot difficultatibus, tantiſque terroribus obſeſſæ, quænam, quæſo, pars bona eſt? ſed intelligo nempe ætatem probris, ac libidinibus aptiorem, bonam dicitis. Eſt hic quidem fundi mos, vt bonum dicatur, quod affectui intentis, aptiſſimum eſt; quamuis effectus ipſe ſit peſſimus. Sic catenam prædo, captis inſontibus; ſic tyrannus arcem, libertati plebis impoſitam: ſic veneficus præſentaneum aconitum: ſic ſicarius pugionem promptum cædibus, bonum vocat. Sic vos igitur ætatem bonam, quæ ad id ſcilicet, quod maximè cupitis, apta eſt, vocatis. Itaque neminem iſtorum, qui annos irreduces deplorant, Pueritiam quidem, vel infantiam videas optare: quæ profecto optimæ partes eſſent, ſi abeſſe quàm longiſſimè à ſenio, bonum eſſet, vt memorant: ſed nec adultam, ac ſolidam iuuen-

tutem nec incipientem, nec adhuc viridem senectam: pessimam omnes, & periculosissimam vitæ partem adolescentiam requirunt. O quintum & vigesimum annum, dicunt; vbi te reliquimus? ne quem lateat, quàm vos præteritarum pœniteat fœditatum, qui non nisi tempus apprimè illis idoneum, exoptatis. *D.* Senui, cur non cum Vergiliano rege suspirem:

O mihi præteritos referat si Iupiter annos.

R. At nil tale suspirantem legimus Socratem, nil Platonem, nil Fabium, nil Catonem: & fuere senes. Sed sunt, fateor, Sapientes regibus rariores. Itaque si rex Euander fuit sapiens, non æquè sanè illud Euandrium suspirium, iam commune nostris est senibus, vulgatúmque. Surdam, stulti senes, & profugam adolescentiam reuocant, ac suspirant; nec suspiriis tantùm. seu tacitis votis, sed medicaminibus irritis, atque inani artificio, naturæ vis affertur indomitæ: qua in re, facetè admodum, lusit Hadrianus princeps, canescenti cuidam, cui aliquid negauerat, eundem postea, ad easdem partes, medicato interim crine, redeuntem, ita repulit: Vade, inquit, hoc iam patri tuo negaui. *D.* Senui. O si mea nunc redeat iuuentus. *R. AT.* Reuersuram modò illam dixi: iam reuersam dico. Si tam facilè veterum omnium compos fias, nihil in cassum voles: pauper certè diuitias optare potest, Libertatem seruus, speciem deformis, sanitatem æger, fessus requiem, exul reditum; at iuuentam optare verus senex nequit. Puerile potiùs votum est. *D.* Senui, heu cur tam citò dulcis me iuuenta deseruit? *R.* Nunquam non citò deseruit, quod iuuabat; nunquam non properè affuit, quod angebat. Vanum autem est optare, quod haberi nequit, nocuit-

cuitque habitum, &, si redeat nociturum sit: sed iam parce suspiriis; dum hoc animo fuerit, citò canus fieri poteris, senex nunquam: desiderium enim iuuentutis in sene, quid est aliud, quàm quædam Pueritia senectutis. *D.* Senui, incuruatúsque sum. *R.AT.* Iamiam terram aspice, vnde venis, & quò pergis, cogita; hinc egressus, huc redis: natura te principij simúlque finis admonet: poteras aberrare, publicum tibi iter ostenditur; sanè id quidem est satis ingredi; vel curuatus intende: solent cœci in via manu retrahi. *D.* Subito senui. *R.* Immo sensim, pedetentim, paulatim, leniter: sed nihil cogitantibus omnia subitò eueniunt, sicut contra, cogitantibus omnia nihil est subitum: quòd si flenda tibi fuerat senectus, singuli dies vitæ flendi erant: illis enim passibus ad hunc terminum ibas. *D.* Heu senui. *R.A.* O votorum instabilitas! huc maximè anhelabas, huc peruenire optabas, huc non posse pertingere formidabas, quò cum peruentum esset, ingemisceres: monstrum incredibile, nisi tam crebrum esset: senes fieri volunt omnes, senex esse vult nemo; immo verò senex esse, ad miseriam; senes dici, ad iniuriam trahunt; quasi sit probrum senuisse: quod profectò nullis videri debet, nisi quibus dedecus sit vixisse, quæ ingens, non inficior, turba est, cui te tamen exemptum esse oportet, vt nostro colloquio frui possis: Alioqui, vt auribus illabantur sana consilia, in animum non descendent. *D.* Tandem senui. *R.* Et quos ager, & quos æquor, & quos bellum, & quos alea decipit, singula detrimenta dinumerant; tu vnus in finem expergiscéris, & tu queri incipis, dum iuxta est querelarum finis omnium. *D.* Senui. *R.A.* Stultum est senectu-

tem non cogitate, nisi cum venerit. Nam profectò si venturam, si assiduè venientem prospexissés, præsentem imperturbatus aspiceres. *D.* Heu mihi, iam senex sum. *RA.* Hoc ne igitur defles? durum, ac difficile munus implesse, dumosúmque iter ac scrupeum transisse, atque inamœnam hanc fabulam peregisse? Atqui, comico more, plaudendum erat. *D.* Senex sum. *RA.* An oblitus es, vt nuper tibi perfamiliariter notus vnus modernorum, sententiam rei huius, ex tempore protulit, non modernam, sed antiquis parem? Amico enim dicenti, Compatior tibi; nam, vt video, iam senescis; esses, vtinam, qualis eras, quando te primùm noui: subitò ille respondit: Parum ne tibi ergò amens videor, nisi ampliorem mihi nunc etiam amentiam impreceris? Noli, quæso, mihi compati, quòd sim senex; sed compatere, quod iuuenis fui. O quantum sensum tegit breuis ista responsio; quod metiri nequit, nisi qui ætatis huius bona probauerit; & illius mala meminerit. Bono tuo igitur gratulare; quanquam illud quoque verum sit, quòd sæpè bona inuitis eueniunt, & mala nolentibus. Viro autem bono, & virtutum amico, & passionum hosti, pluris est, haud dubiè, dies vnus, huius quod accusas temporis integer, quàm illius alterius integer annus. *D.* Heu mihi, nam senui. *RA.* Iam si perstas, tibi quoque, cum vulgo, iure dicitur, non senuisse miserum, sed vixisse; ita vt hæc sub vitæ finem tam ineptè diceres. Parcite autem iam lamentis, querulum genus; & volentes ite sub imperium naturæ. Nihil flendum, quod illius immota lex statuit: quid naturale autem magis homini nato, quàm viuentem senescere, senem mori? At vos conditionis immemores, vtrumque respuitis, cum vel alterũ,

vel

vel vtrumque necessariò obeundum sit. Quod si neutrum volebatis, & tertio abscindendum erat, nascendum mihi credite, non fuit. Patimini senescentibus statim membris, animos aliquando senescere: neque semper in vobis prouerbium verum sit, posse vnum animum corpora multa consumere: sinite sine murmure corpus simul, atque animum ad extremum ferri; simul intrauere, simul exeant; neque altero ad metam properante, alter retrorsum niti velit; alterumque retrahere, frustrà tergiuersamini: ire oportet, nec redire licet, nec subsistere. Idque vobis facilius debet esse, immortalitatem animæ, & corporis instaurationem expectantibus, quàm cæteris quibuscũque, quibus, vel horum alterum defuit, vel vtrumque. Frustra, inquit, oblectamini, humanumque iugum, quod nascendo subiistis, excutitis. *D.* Senui, & vires corporis immin utæ sunt. *R.* Si auctæ sunt vires animi, bene est; feliciter permutasti. Maiora. n. gesta esse semper, & geri posse animi viribus, quàm corporis, nemo, nisi animi inops est, qui nesciat. Sin vires etiam animi [vt sæpè accidit] per ignauiam decreuere, fateor, inutiliter vixisti, tuum crimen, non ætatis. *D.* Senui, & res meas agere nequeo. *R.* Si quid animo sit agendum, tantò id à sene meliùs fieri constat, quantò & experientiæ illi plus est, rerumque notitiæ, & passionum minus, ac malis vinclis expeditior animus. At res alias non agere, senem decet sed egisse; cui corporeus labor omnis à tergo est; cui, si nunc etiam inhæret, nec auelli vult, ridiculum illud antiquum renouat Romani senis, qui iussus à principe, fori laboribus abstinere, quorum ferias imbecillis hinc ætas, hinc fortuna opulens merebatur; sic indoluit, vt se,

quasi mortuum fleret, atque ab omni familia fleri vellet: mirus senex, qui quietem, ceu speciem mortis horreret, cum nihil seni aptius quiete, nihilque sit turpius sene laborioso, ac sollicito; cuius vita omnis, tranquillitatis exemplar esse debet. Didicisse & potes à philosophis, quid est illud, quamque optabile senibus bonis viuere; vita, vt memorant, peracta; qua maxima tamen pars mortalium, inexpleta moritur. *D.* Senui, & repente fugit ætas mea. *R.A.* Forma, valetudo, velocitas, vires, vestra ferè omnia fugiunt; virtus manet, nec cessura senio, nec morti. Illi vni, bono stabili, ab initio insistendum erat, sed si neglectum fuit, difficilius esse ad extremum, fateor: sed virtutis studium nulla ætas respuit, immò quò difficilior, eò clarior virtus: multi nosse se ipsos, ac sapere, vix tandem in senio cœpere: serum quidem, at intempestiuum minimè: etsi enim non iam vitæ desinenti, ac instanti saltem morti vtile. Cui hercle vni horæ, vt sine horrore, mœstitiaque transigi posset, si non vltimum modò, sed totum vitæ tempus impenderetur, bene [ni fallor] impensum esset. Nam nec frustrà nascitur, qui bene moritur: nec inutiliter vixit, qui feliciter desiit. *D.* Senui, iam vicina mors est. *R.A.* Mors æquè omnibus vicina esse potest; & sæpè ibi quoque vicinior est: vbi videtur absentior. Nemo tam iuuenis, qui non possit hodie mori. Nemo tam senex, qui non possit annum viuere, si nil aliud, quàm senectus incidat. *D.* Prorsus senui. *R.A.* Immò maturuisti; an hoc desides? an poma, cùm maturuerint, quærantur, si sensus illis, ac sermo datus sit: & non potiùs gratulentur, se ad id perueniisse, ad quod nata erant? Est, & cæterarum rerum, sic ætatis maturitas quædam,

dam, quæ senectus dicitur: quod, vt ita esse videas, & ætas, & mors iuuenum acerba quidem & dicitur, & acerba est. Acerbitati autem obiecta maturitas; quę cùm in pomis, ac frugibus bona sit quid, nisi in homine, sit optima; non quòd nesciam, antequam matureſcant, multa marceſcere, ea verò non ætatis culpa, sed peruersitas est naturæ; non quidem omnium, sed multorum, quiad bonum nati, magno nisu in aduersum tendunt. Maturuisse igitur debes, si quid in te succi nobilis fuit. Iam messoris tui manum securus expecta. Non mors illa, quam metuis, sed laborum finis, ac principiũ vita est: non mors, inquam, sed difficilis vitæ terminus, ad quem pauci tranquilla nauigatione perueniunt, sed penè omnes nudi, flentes, ac naufragi. Tu per mediam senectutem, leue iter, in finem, prospero agens vento, è multis rerum fluctibus portum subis. Subducenda iam fessa puppis in terram tibi, & quocunque te flexeris, de fine cogitandum, idque vtilius fuerit, quam ætatem bonam [quod stulti solent] & naturam, matrem optimam, accusare.

De Podagra DIAL. LXXXIV.

Viste languentem curua releuare podagra;
Mendicus fias, pauper, egenus, inops.

DOL.

TVrpi torqueor podagra. *RA.* Nesciebas senectutis morem? incomitata non venit; magnam sæpè morborum aciem ducit. *D.* Podagra crucior molesta. *RA.* Extrema, & ignobili parte corporis laboras; quid si nobilissimis laborares, corde, vel capite? *D.* Pigra coërceor podagra. *RA.* Vaga mens hominis freno

eget: hunc paupertas tenet, illum carcer, aut grauior morbus. Ludens te pedibus alligat fortuna; non podagra sed pedicæ sunt; iam discè consistere. *D.* Podagra inutilis factus sum. *R.A.* Ad cursum credo, vel saltum, ad choreas, ad palæstram: an te autem ad hæc natum putas? ad alia si nescis, altiora quædam officia natus es, quę, si caput non ægrotat, exequi nil prohibet. Studere licet artibus ingenuis, dare operam pietati, seruare iustitiam, & fidem; fragile corpus, & fugacem mundum spernere, odisse vitia, amare virtutes, colere amicitias, consilio patriam iuuare. Hæc sunt viri boni munimina: quid hic pedibus loci est? *D.* Debilitatus sum podagra. *R.A.* Pugnare cum hostibus forsitan morbus vetet, non cum vitiis; quod neque facilius, & certè crebrius est bellum, & quid scimus, an hic ipse dolor corporis, contra quem dimices, tibi ad exercitium animi datus sit? *D.* Pedibus consistere nequeo. *R.A.* Vide, quam de reliquo ædificario spem habeas, cuius fundamentum tam invalidum sentis. Vigila, ne te incautum opprimat ruina. Contrahe sarcinulas, teque ad migrandum para. *D.* Podagra me ingens habet. *R.A.* Solet hic morbus [vt perhibent] diuitias comites habere. En tibi remedium aliud; bene spera, aut langoris amaritudinem, opum dulcedo solabitur; aut inopiæ pellet asperitas, ita vel solatium aderit, vel finis. Si hæc fallunt, veniat, quæ non fallet. Illa vitæ malis omnibus finem dabit. *D.* Pedum premor ægritudine. *R.A.* Si salutem cupis, aut pauper sis, oportet, aut vt pauper, viuas. Multos hac ægritudine liberasse traditur paupertas, vera defæcatrix corporum; quosdam verò frugalitas, quam voluntariam, seu fictam, & imaginariam paupertatem dixe-

dixerim. Vidisti aliquos perpetua vini abstinentia curatos: ita fit, dolore dolor, clauus clauo pellitur, vt antiquo dicitur prouerbio. Vix molestum aliquid, sine molestia curatur, vt præterea cum hoc morbo, cumque aliis multis pacem habeas, non Baccho solùm, sed & Veneri bellum indixisse profuerit. Sed quid agimus? animorum remedia promisimus, non corporum. Habes tamen, quam puto, vnicam morbi huius curam. Hanc si probas, vtere: si minus, non te fallant opifices fomentorum. Patientia in aduersis efficacissimum, atque, optimum & sæpè vnicum remedij genus est. *D.* Podagræ vitio curuatus sum. *R.A.* Ad iter inhabilis, minus idoneus ad laborem non ineptus ad reliqua gerere, non rei modò familiaris, sed reipub. & summi, si ita sors tulerit, imperij curam potes. Itaque memorandum valde Septimij Seueri, Romani Principis, dictum vnum, qui senex, ac podagricus, dum coniurationem nobilium, qui se viuo filium eius Augustum dixerant, deprehendisset, comprehensis authoribus seditionis, ac filio, omnibusque ante solium eius, affusis, metuque vltimi supplicij tremefactis, ac territis, ipse, manu ad caput relata; Tandem, inquit, sentitis caput imperare, non pedes. *D.* Podagra me miserum miris modis torquet. *R.A.* Noli solas asperitates rerum flere; sed memento, si quid dulce, aut iucundum tibi obtigit, quo incommodum hoc solari possis. Vnus, ex multis pessimis, vulgi mos est, vt in aduersis querulum, atque impatiens; obliuiosum in prosperis, atque ingratum sit; quo nihil iniquius fieri potest. Nam quis æquis auribus audiat, exempli causa, vel Seuerum ipsum, quem diximus, de podagra, vel Domitianum de caluitio, quo læ-

gerrimè dicitur tulisse; vel Augustum senem de sinistri debilitate oculi, vel Iulium Cæsarem de timore nocturno, & quiete visis turbida; vel postremo alios fortunatissimos viros, de vna, seu de altera naturæ [si dici licitum] aut fortunæ iniuria, sic querentes, vt imperij, atque opum, victoriarum, ac tantorum ingrati, atq; immemores sint bonorum, dum se homines meminerunt; quos plenam, perfectámque felicitatem hic sperare, dementiæ sit, amara dulcibus temperare, modestiæ. Hoc podagræ proprium: hoc morborum omnium commune remedium inuenies, sanumque consilium, sanctumque fateberis, senis illius læta multa adepti, dura multa perpessi, qui bonis de manu Dei, licèt lætè acceptis, mala quæque patienter suspicienda censebat: quamuis mali aliquid dare, vel facere manus illa non nouerit, sed humanam respexit opinionem. *D.* Podagra me in lectulo, nodis insolubilibus pressum, tenet. *R.* Te iacente, stare animus potest, cælumque, & terras, ac maria permeare.

De Scabie. DIAL. LXXXV.

Est mala res scabies, mulier mala pessima res est:
Illa cutem mordens, hæc animum cruciat.

DOL.

SCabie premor importuna. *R.* Iam non miror, si angores meros ægrè fers, quando id luges, cui dulce aliquid immixtum est. *D.* Graui vexor scabie. *R.A.* Sunt, qui hanc salubrem dicant. Ego autem, ne tam mœstæ rei lætum nomen tribuam, arram potiùs salutis, siue ad salutem viam, dico. Mollis est, qui asperitatem vię breuem respuit, cuius exitus sit iucũdus. *D.* Arida me

scabi es

scabies exercet. R. Iam horologio non egebis: erit tecum, quæ te noctibus excitet, teque, honesto cuipiam fortassis officio, vigilem reddat: nemo tam piger, quem non scabies sollicitum faciat. D. Scabie torqueor. R. Morbus ignobilis, sed nobilis cura est; labor æstas, balnea, peruigilium, diæta. Si nec ista profuerint, ad patientiæ medicinam recurrendum erit. Illa omnibus morbis vilissima est. D. Scabie crucior tædiosa, & fœda. R. Neutrum nego: vbi ergo Publius molestum ocium, podagrici pedes dixit; me sinente, potes addere, mœstum negocium scabiosi manus; sed quid dices, si quo fœdior morbus, eò pulchrior patientia est: quid, si paruo ex malo bonum ingens elicis? hæc nimirum vna est rerum, quæ contemptum corporis maximè parunt, quo nihil est melius mortali. D. Totum me scabies occupat. R. Totum te, verum est; id quidem metuo: sed plus & forsitan, quàm quod dicere voluisti; totum enim corpus intelligis: sed est vobis inuisibilis animorum scabies, cupiditas ac libido, & pruritus quidam vlciscendi quærendique, qui non magis scalpitur, acriùs æstuat; hunc nec tolli, nec leniri poscitis, nec sentitis quidem; tantò minor vobis est semper vestri cura, quàm corporis.

De Vigilia. DIAL. LXXXVI.

Excutiunt somnum morbi, cura atque senectus;
Curas, & morbos excute, dormieris.

DOL.

DOrmire non possum. R. A. Vigila, & gaude vitæ tibi tempus auctum. Inter obdormire enim, atque emori, quid interest, nisi quòd alter temporalis, perpetuus alter est sopor? Itaque nescio, an non satis propriè & somnus breuis

mors, & mors somnus longus, siue æternus dici possit. *D.* Somnum perdidi. *R.* Non vi quidem, sed blanditiis repetendus est: si incumbas: perdis operam, cogi nequit, age aliud, da requiem temporibus tuis, animo curas leues, improuisus aderit, facilè animus vagis, & corporibus fessis obrepit. *D.* Sæpè animi somnus interrumpitur. *R.* Fac, quod solitus fertur Augustus Cæsar, lectoribus aut fabulatoribus accersitis, interruptum redintegra: sin grauioribus curis, hoc accidit, pone illas, hunc receperis. De huiusmodi enim loquebatur Maro, vbi ait: Salubres curas somnos abrūpere. *D.* Somni requiem amisi. *R.* Et terrorem somniorum, noctur nosque metus: quamuis enim sapientis meliora phantasmata Aristoteles opinetur, & verum sit; tamen & vir ille ingenio æquè magnus, & imperio; ille autē alter sanctitate, & patientia æquè insignis, de quibus paulò antè simul diximus, somniorum graues sensere molestias. Nam quid alij sentiant, quisque nouit in se; & lectulum proprium suarum testem habet illusionum, atque ambagum, & formidinum. Certè horum alter, tempore extremo, per somnum exterreri solebat, sicut de illo scriptū est. Alter, vt dixisse dudum videor, dum de ocio, & quiete differerem, inter cæteras vitæ molestias, queritur, quòd terreant eum somnia, & visiones horrore concutiant. *D.* Solito minus dormio. *R.* Solito igitur magis viuis. Nempe quòd doctis placet, mors somnus, sic vita vigilia est. *D.* Somnum morbus expulit. *R.* Sanitas reducet. *D.* Somnum amor excluſit. *R.* Bis rem vnam dicis. Morbus est enim amor, & morborum maximus. *D.* Somnum metus extinxit. *R.* Securitas suscitabit. *D.* Somnum senectus eripuit. *R.* Mors vicina restituet.

De Inquietudine somniorum. DIAL. LXXXVII.

Tristia cum trepidam terrent insomnia mentem;
Et luxum, & curas deme, solutus eris.

DOL.

SOmniis inquietor. R. Si verum est, quod sapiēs quidam ait: Multas curas sequuntur somnia: quod vestri quoque apptobant authores. Radicem mali amputa, curas pelle, somnia quoque pepuleris: quo enim, quæso, tot curas, & tam nihil profuturas, in tam breui vita, de qua iam ab initio promissum est? quid torqueri iuuat? & turbidam curis vitam, & infestam somniis quietem, vestra vobis facit amentia: diuinam prouidentiam, vestro vultis superare consilio: neque sentitis, vt ex alto vestræ rideantur insaniæ, vestræque deliberationes, illo de tempore, quod non solùm extra vestrum arbitrium, sed etiã extra notitiam vestram est. Neque auditis Flaccum exclamantem:

Prudens venturi temporis exitum.
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque, si mortalis vltra
Fas trepidat.

Omne tempus in vestram trahitis perniciem; de præterito mœsti, de presenti anxij, de futuro pauidi, trepidique, neque his curis superuacuis dignos metitis manipulos, laborem vigilantes, consopiti somnia. Sin illud fortè verum est, quòd vacantem quoque curis animã, inquietam somniis esse, vel natura hominis, vel peccatũ cogit. Nónne cum ex mille somniis, nec vnũ verum esse, verum sit, postquàm alterutro falli oportet, satius est inquietari somniis, quàm mulceri, & amara somniare, quàm

dulcia: mœsti enim somnij fallacia læta est lætia autem mœsta. *D.* Somniis fatigor. *R.* Sperne totam hanc ineptiam, & quiescès: si id nequis, his te solare comitibus, qui similia passi sunt: his duobus nominatim, quos modò dicebam dum de vigilia quereris.

De Celebritate nominis importuna.
DIAL. LXXXVIII.

Auxilium pateat, lux, & sapientia cunctis;
Sic laudem meritò, qui bene fecit, habet.

DOL.

CElebrior sum, quàm vellem, notiorque. *R.* An tu hoc spernis, quod maximi optauere duces, ac principes, philosophi, & poëtæ? quid enim tot laboribus, quid tantis bellis, ac studiis agitur? nec aliud insignes artifices moliuntur. Declarat Phidias in Mineruæ statua, quod opus omnium, quæ hominum manibus facta sunt, primum, aut inter prima posuerim; nisi cum aliquid inscribere vetitus fuisset, vultum suum clypeo statuæ, sic insculpsit, vt & ab omnibus nosceretur, & conuelli inde, nisi toro opere dissoluto, nullo posset ingenio; nosci, in præmium sui laboris, optabat. Si quis enim non famam, sed pecuniam cogitare dixerit artifices, in cõmunibus fortassis assentiar, in illustribus negem. Multa sunt rei huius indicia, sic cum iactura tẽporis, damnoq; etiam, sæpè operi insistunt, ac ne quid famæ excidat, lucrum spernunt. Comprobauit hoc maximè, nobilis illa constãtia eorum quatuor artificũ, qui ad famosissimũ illud opus, quod Arthemisia, Cariæ regina, dilectissimi coniugis memoriæ, extrui fecit, magno pretio acciti, cùm ante perfectum opus, obiisset regina ipsa, vnde operis pretiũ sperabatur; perstiterunt

runt tamen vnanimiter in finem: nil iã aliud, quã ſuum decus, & facti memoriã cogitantes. Proinde omnes homines claritatem, famamque deſiderãt. Solus tu ne paruo illas tædio emptas, velis? *D.* Immò & ego apud poſteros clarus eſſe cupiam, inter coætaneos recuſem. *R.* Quid ita, cùm hoc maius, eoque difficilius, ac rarius ſit, obſtante, quę præſentium famam interpellat, inuidia? *D.* Quia interabſentes mera eſt gloria, nullus obſtrepit, nullus obſtat. Inter præſentes autem, & contradictio, & labor;

Magnus enim labor eſt, magnæ cuſtodia famæ;

Vt non ineleganter ait quidam. *R.* Nimis aut delicatus, aut ſegnis eſt, qui ſine labore, magnum aliquid ſperèt, cum pro minimis, tot ſe offerant labores. *D.* Ego verò non labores reſpuam, ſed tędia. Nã quis ferat aſſiduè viſitari, obſideri, poſci, exagitari, & ſui interim negligentem, totos dies, ac magnã breuis vitæ partem, aliis dare, vt tua neceſſitate poſthabita, alienæ inſeruias voluptati: quod malum, ſi ab initio incidiſſet, nunquã ad hanc ipſam famam; quæ me cruciat, ventum eſſet; ſed & nunc præclaros animi conatus, & egregia potens eſt impedire negocia, importunum. *R.* Id quidem ita eſſe, non nego; durum certè, ſed tolerabile, immo & inuidioſum, & optabile, cæterum, vtcunque tuo iudicio acceptum erit penè ineuitabile. Nam quæ adeuadendum via, niſi vel ſuperbia, vel ignauia? Altera honeſtum deſiderium te petentium arcebit, altera & extinguet. Si quod eſt aliud remedium, vrbium fuga eſt: quamquam ſi claritas vera ſit, nec fuga ſufficiet: ſequitur claritas poſſeſſorem ſuum, quocunque perrexerit, & vbicunque conſtiterit, ſecum erit, nec rure vnquam, nec in ſyluis quidem deſinet clarus eſſe, qui in

vrbibus clarus fuit. Non potest famæ fulgor abscõdi; inter tenebras eminet, & ad se oculos, atque animos trahit. Nunquid non audisti Dandanum Brachmanorum senem præclarissimum, ab Alexandro Macedone, vsque ad vltimas Indorum solitudines, Cynicumque Diogenem ab eodem, vsq; ad illud suum dolium, quo pro volubili vtebatur hospitio, visitatos? Nunquid non vsque ad squalidam, ac desertam Linterni villulam, à placatis, sola virtutis veneratione, latronibus. Scipionem Africanum, eundemque ab ipsis hostium ducibus, vsque transmaria? Nunquid non Titum Liuium, ab vltimis Galliarum, extremaque procul Hispania, vsque ad vrbem Romam? Nunquid non denique sanctos patres, vsque ad intimas, & horrendas heremi latebras, à Romanis etiam Imperatoribus visitatos? & sileo Salomonem: immo verò quis vnquam vir clarus, visitationibus caruerit? Amici, & noti mutuis alloquiis, & confabulationibus delectantur: ignoti autem solo recreantur aspectu. Habet enim virorum illustrium præsentia, dulce aliquid, quod non sentit, nisi ipse, qui fruitur: hoc tu laborioſum ne dixeris; operosum est, fateor. sed & glorioſum. *D.* Celebritate nominis atteror. *R.* Si hanc vis abiicere, virtus abiicienda est cuius è radice oritur. Id si meritò refugis, ferre hanc sarcinam æquo animo est necesse, ad quam multi nequicquam omni studio, vitæque ipsius impendio aspirant, & tu forsitan aspirasti. Patere te videri ab his, qui hoc, nisi te, tuumq; nomẽ diligerent, non optarent. *D.* Multi me vndique, vsque ad importunitatem, fastidiumque concelebrant. *R.* Quid tu igitur an còtemni malles, atque abiici? *D.* Innumerabiles, vsque ad tædium, me honorant. *R. A.* Tu verò Dei munus agnoscito. Ille te hono-

honorat, vt te illum & honorare delectet, & inhonorasse pœniteat. Omnis honor, & omne, quodcunque homini ab homine bonum fit, à Deo est. *D.* Permolesta res est honor immodicus, & crebra visitatio. *R.A.* Et hæc fateor: at prædulces sunt huius molestiæ radices, amor, & veneratio. His, si animi gustum applicueris, bene sapere incipient, quæ molestant; amara dulcibus tempera, non in hoc tantum, sed in omnib. quæcunq; fert præsens vita; in qua non facilè reperias mel, cui non sit admixtum fel, & sæpiùs amara præponderant. *D.* Celebritate nimia fatigor. *R.* Sæpe id quidem accidit; de quo questum diuum Vespasianum nouimus triumphantem, dum solemnitate pomparum, expectatione, ac tædio esset affectus, increpantem se ipsum, qui triumphũ, nec sibi, nec maioribus suis, aut debitũ, aut speratũ, tã inaniter in senio appetisset. Quanuis autẽ non sit optanda celebritas per se ipsa, ferenda est tamen, & amanda. Causæ ipsius virtus, & industria, neque vnquã, vt illa careas, deferendæ, multo est glorioſus labor optabilior, quã ignaua requies. *D.* Salutatoribus obuiis offendor. *R.* Habes huius quoque tędij participem Crispum philosophũ. Immo, quem non habes, præter illos qui popularib. auris [vt Maronis vtar verbo] gaudent? Ille tamen insignis questus est. Credo ideò, quòd acutissimũ virũ [talis enim traditur] & suis studiis acerrimè deditũ, salutatio crebra, & improuisa turbabat; vtq; idẽ ipse ait, producebat ad mortẽ. Nihil est autẽ cp queraris; cp optabas accidit notus in populo vt esses, alioqui tot salutatorũ incursib. nõ pateres. Poteras latere, poteras quiescere, poteras [quòd aiunt] in gremio gaudere, quod optimũ vitæ genus, aliqui diffiniunt. At vos magnis in vrbibus noti, & clarie esse vultis, & ociosi simul, &

liberi,& tranquilli, quod nihil est aliud, quàm in magnis pelagi tempestatibus, vt immobilis sis, optare: denique superbi fuerit, obsequentium amicorum voces pati non posse æquo animo, cùm sint hostium patienda conuitia.

De Dolore, malis ex hominum moribus, concepto.

DIAL. LXXXIX.

Vt viuant alij, ne cures, inspice mores,
Et propriam vitam, nemo notandus erit.

DOL.

MAlos mores hominum ægrè fero. R. Si caritate motus, laudo: si ira, vel indignatione, non laudo. Quid ad te enim, quibus moribus sint alij, modò sis bonus. An nunc primùm intelligis vulgi mores? an tibi negocij parum sentis, vitam tuam componere, nisi inuigiles alienæ, & illud aggrediare, quod nec ars vnquam efficere valuit, nec natura, vnde nihil vnquam speres, nisi tædia, & labores. Fuerunt hæ tamen, & philosophis curæ, quorum alter in publicũ egrediens, semper flebat, alter contrà mores hominum ridebat. Neutrum sine causa, sed illud pietati, hoc superbię propinquabat. D. Quis enormes, ac subdolos hos habitus ferat? R. Malo te per vim dehonestari, ferres, si necesse esset, qui sponte sua alios deformatos, pati nequeas, sine illos indui, vt libet, tu vt licet, atque vt decet, induere: atq; ita te vlciscere: non minus lasciuos oculos honesti habitus offendũt, quã modestos inhonesti. Illi igitur voluptatem cõsilio adhibeãt suarum rerum, tu adhibeas honestatem. Nusquam alibi, quam inter tenebras, gratior lux; nusquam alibi, quàm inter vitia, virtus est clarior. Quid quereris? aliena fœditas tuo adiiciet decori.

ri. *D.* Quis hos morbos animorum, atque hos perferat inuidos? *R.* Linque inuidos sibi, neque illis alium cupias tortorem, satis ipsi se torquent, & suis malis, & alienis aguntur, ac tabescunt bonis. Non est compatiendum sponte languentibus: non sunt autem contagiosi; vt corporum, sic animorum morbi, non transeunt ad nolentes. Imò verò nobilis animus, vitiorum odio, ad amorem virtutis accenditur. *D.* Quis tot ferat insolentias? *R.* Humilitas eò acceptior, quò pluribus est obsessa superbis. *D.* Quis tot fraudes, quis tot artes auaritiæ, quis tot species libidinum? *R.* Quæ tibi meritò displicent, declina, & quæ in aliis damnas, vt in te damnent alij, caueto. *D.* Quis hoc gulæ regnum? *R.* Maximè inter ebrios speciosa sobrietas: vbi æquè boni omnes, nullus excellit. *D.* Quis tam multa mendacia? *R.* Si mendacio offenderis, veritati stude. *D.* Quis tot vbique tyrannides? *R.* Non te hinc arma, nec opes expedient, sola virtus est libera. *D.* Totus orbis odio mihi est. *R.* Miserari miseros magis decet, quàm odisse; nisi, vt dixi, sponte sint miseri; quin tu mundo suos mores linque tuos reformare stude, & ab aliis auersos, & in te ipsum oculos reflecte; sic & tædium euasceris, & cum mundum ne queas, id quod potes, & debes, temetipsum corriges: non est, quo te frustrà natum credas, si hoc feceris.

De Minutis tadijs rerum variarum. DIAL. XC.

Est vecors animi, quem res vexare minutæ
Quæque solent, & quem territat aura leuis.

DOL.

TVrbidos vrbium clamores rerum variarum odi. *R.A.* Ruris silentium, syluasque ama;

quæ fieri, fugariq́ue nequeunt fugienda sunt. *D.* Vulgi contentionibus fessus sum. *R.A.* Vulgo autem dum præbueris, non quiesces. *D.* Vulgi strepitu fatigor. *R.A.* Vulgi verba despicito; penè enim quicquid vulgus loquitur, aut nihil, aut falsum est. At strepitum illum omnem, & confusas voces, si vitare vetitum, tantum auribus excipe, idque non aliter, quam mugitus boũ, aut balatus pecudum, aut vrsorum murmur: quid enim, nisi belluarum voces sunt, vel inertium, vel ferarum? *D.* Vulgi fragore perturbor. *R.A.* Finge animo, te aquarum exundantium, ac scopulis allisarum sonitum audire. Persuade tibi esse, vel ad fontem Sorgiæ, vbi ingenti strepitu, ex horrendo specu lucidissimus amnis emanat; vel vbi Reatini gurgites, quos Nar in Tyberim conuehit, alto de colle descendunt; vel vbi ad ea, quæ catadupa nominantur [vt ait Cicero] Nilus se ex altissimis montibus præcipitat, vel vbi similiter [vt ferunt] Hister in Euxinum ruit. Denique vbi vel Liguſticæ rupes Ætneis fluctnbus, furenti austro, vel Charybdis oblatranti Syllæ, Sicanis vorticibus torta, respondet. Consuetudo præstabit, vt quod tædiosissimum sentis, quadam cum voluptate percipias. *D.* Latratibus canum vexor. *R.A.* Qui vulgi latratus ferre didicit, nullos horrebit canes. Nam neque tam multi alij, neque tam rapidi, aut mordaces. *D.* Immitis equus, ac fremens; infidus seruus, ac contumax, non tantùm tædio, sed periculo etiam mihi sunt. *R.A.* De vtroque animali, quid sentirem, dixi olim, & nil nunc muto. Addo aliquid; vt vitare quidem possis equi tædium, si nil aliud, pedes tibi, serui, aut manus, dare possunt; nec lamentis dignum, quo carere valeas, cùm velis. *D.* Mus-

ca-

ſcarum tædio affectus ſum. *R.A.* Vide ne muſcarum tædio, muſca fias, & ab alio, quàm à Deo creatam muſcam credens in illius, qui muſcarum princeps dicitur, poteſtatem venias; quod affecto cuidam tædiis ſimilibus, accidiſſe, author eſt Auguſtinus, principium illud Ioannis famoſiſſimum exponens; Et muſca, & pulex, & bruchus, & culex, & cinifex. & locuſta, cæteráque huiuſmodi, creata non ſine certa cauſa, ſunt ab illo, qui vidit cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde: &, ſi nulla eſſet alia, illa ſola ſufficeret, vt his armis humana ſuperbia domaretur. Potuit enim Deus Ægyptiis Leones, Tigres, vel Dracones immittere; at minuta, & vilia immiſit animantia, quò clariùs, & cœleſtis potentia, & terrena fragilitas nota eſſet. *D.* Pulicibus inquietor. *R.* Sanis cogitatibus conquieſce. Cogita nihil mali, præter peccatum, homini contingere poſſe. Multis, non hæc modò facilia, ſed quæ videntur grauiſſima, profuerunt: quid ſcis, an, ſi pulices abirent, ſopor nimius, aut malæ libidines ſubirent. Crede, bene in omnibus tecum agi, bene erit. *D.* Nocturno pulicum prælio victus ſum. *R.* Quid ſuperbis igitur, vmbra, & cinis? quid erigeris, iners lutum, à pulicibus victus? Contra Deum calcitras, iumentum indomitum, ac ſtolidum. *D.* Offendor pulicibus. *R.A.* Vis ne tu homines offendere? à pulicibus te defende; viliſſimo impar animali, nobiliſſimum aggrederis; & pulicum cibus, homines voras. *D.* Pulicibus agitor. *R.* Terrena omnia, hominis ad obſequium facta ſunt. Pars, vt paſcat, pars vt veſtiat, pars, vt vehat alia, vt defendant, alia, vt exerceant, doceántque, & conditoris admoneant; quędam denique, vt delectent, feſſúmq. rebus animum leuent; quędā verò, vt dele-

ſtationem noxiam frenent, ac ſalubribus tædiis, contemtúmq; huius lucis, ſimúlque deſiderium vitæ melioris incutiant. Quantum enim, quæſo, mors timeretur quantúmve, ſi tædiis vacua eſſet, placitura mortalibus erat hæc vita, cum tædiis plena, ſic placeat, ſic abitus timeatur. Nec vitæ iucunditas viuenti nec amœnitas viæ, ſemper eſt vtilis viatoris; expedítque nonnunquam, durum aliquid occurrere, quo optabilior finis ſit. *D.* Nocturnæ auis flebilibus notis infeſtæ ſunt. *R.* Non [vt arbitror] Philomena, quę apud Vergilium:

Flet noctem, ramóque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.

Dulcis enim fletus, & ſuaue carmen, & delectabiles ſunt querelæ. Mœſtior te forſitan ſtrix offendit, neque tam proprio, quàm poëtarum carminibus infamis bubo; qui quibuſdam tamen, quàm læti fuerit augurij, apud Ioſephum legis: quamuis vtrumque ridiculum, hinc ſpem ſcilicet, metúmve concipere. Huius enim, & multorum triſtis aſpectus, & lugubris cantus, at vterque naturalis, nõ ſic canunt, vt vobis aliquid nuncient, ſed quia canere aliter non norunt. Da illis Philomenæ vocem, flebunt dulciùs; nunc naturæ parent ſuę; vos naturam ipſam, ſuperſtitionibus veſtris, vt pareat, cogere, delirando nitimini. *D.* Proxima in turre, pernox noctua, importuna mihi eſt. *R.* Noctuam inquietas noctes Auguſto facere ſolitam, audiſti: & quem, quæſo, verebitur, quæ mundi dominum inquietat? *D.* Mures thalamum infeſtant. *R.* Quid ſcis, an hoc ipſo in thalamo exorti, quem tu forſitan peregrinus inhabitas? de te iuſtiùs queri poſſunt, qui natale illis, aduena, ſolum turbas. Sed omiſſis iocis, horum omnium ratio vna eſt. Iccirco equidem his infeſtam vitam agitis, vt diſca-

discatis alteram optare: ac illic animum habeatis, vbi nec mures, nec fures, nec araneæ, nec tineę, nec damna, nec tædia vlla sunt. *D.* Procaces ranæ, ac strepidulæ tædium pariunt cicadæ. *R.* Finge solatium parere, solatium erit. Opinio rem, quocunque vult, trahit; non vt verum mutet, sed vt iudicium regat, & sensibus moderetur. Inuentus est nuper, qui rure habitans, ad fugandas noctes luscinias, saxis armatus, sudibúsque consurgeret. quo cùm parum proficeret, circumfusas arbores iuberet abscindi, vt vel sic, prærepto frondente domicilio, abirent; quibus manentibus, abire illum oporteret; iámque importunis cantibus pulsus sopor abiisset; is tamen proximæ paludis in ripa, nocturnos strepitus ranarum, modulatissimam quasi fidium harmoniam intentissimus hauriebat: inhumanum, ferúmq. hominem, vixque inter homines numerandum, & moribus quidem, qualem audis, forsitan & vidisti; vulgaribus tamen negociis, haud insanum: qui nunc ideò ad memoriam rediit, vt constaret, quantum in rebus omnibus possit opinio. *D.* Ranarum, & cicadarum strepitu offendor. *R.* Non illæ quidem, vt offendant, strepunt; sed naturæ communis beneficio vtuntur. At hoc ipsum, superbam impatientiam vestram lædit, sicut reliqua quæcunque aliter fiunt, dicuntúrve, quàm exigit oculorum vestrorum, atque aurium voluptas. Sed vt fabulam vestri erroris; ad antiquas fabulas remittam, cogita nunc, vel ranas suam veterem querelam, & vltricem Latonam raucis vocibus, vel cicadas, versum in suam speciem Titonem, stridulis plausibus memorare, sinésque forsitan suum illas agere negotium, tuum ages. Cur iniusti naturę semper accusatores, innocuis animantibus suc-

censetis,nec aduertitis, quantò maiora sunt tædia,quæ vicissim ipsi vobis infligitis? Sileo raptoréſque vrbium, & mille iniuriandi, lædendíque artes;mille violentias,mille dolos.quorum pleni sunt vici omnes, & compita. Taceo latrunculos toto orbe disperſos, & itinera interrupta prædonibus, quibus magna pars terrarum hodie inuia est;spectacula mundi pulcherrima prærepta mortalibus;dissimulatum illud,& miserrima iam consuetudine roboratum, quis dignis queſtibus explicet;aut humanæ pondus ignauiæ,verbis æquet, quòd,pacatis quoque regionibus, passim legitimus prædator occurrit,qui sollicitum viatorem, exhaustúmque laboribus, & onustum curis, ære suo spoliat,iniustissimi nescio cuius iuris obtentu;quo effectum, vt quod amœnissimum fuisset, orbem terrarũ permeare,id alicubi periculoſiſſimum,vbique sumptuosum,ac tædiosum sit. Sic vestri Princeps,& patres patriæ,immo verò vestra patientia,vestri mores,libertatem publicam, paruo pretio vendiderunt. Quid custodias loquar superuacuas,& obstruſos passus,ac suspicionibus variis plena omnia, absentiæque solatium vnicum,literarum commercium interdictum? Quod ipsum, quia mutari iam non potest, forti animo ferendũ est. Verum,vt naturæ opera ferre non renuat.qui tot insolentias, tot immanitates hominum, tot tædia,tot rapinas pati solitus, didicisse debuit, quàm iniquè natura parens, leuibus ex causis, quotidie laceretur; cum tot acerba,& grauia pati hominem ab homine sit necesse. *D.* Magno torqueor calore. *R.A.* Expecta hyemis tædium,hoc pulsura festinat. *D.* Frigore crucior importuno. *R.* Ecce tibi æstas accelerat; huius ipsius allatura desiderium. *D.* Frigoribus vrgeor. *R.A.* Vix in-

incommodum inuenies, cui non inuenerit natura remedium. Et sæpè vnius remedia multa sunt. Arcent frigus, tectum, vestis, cibus, labor, exercitium. Raro quisquam frigore vincitur, nisi victus inertia. Piger ignem inter remedia numerare, magnum mortalis ignauiæ argumentum. Non tam facilè vini è dolio immixta aqua, linteo, madente, detrahitur, quàm è turba hominum, hyeme accenso igne, inertes à fortibus segregantur. Omnes eò confugiunt quibus nihil sanguinis, neruorúmque animi est. Videre licet, sed non libet iuuenes nostros, vt formosi videantur, deformatos, abscissosque pube tenus, sese ignibus ingerentes; quantò erat honestius, pudenda contegere, quàm semiustis natibus inamœnum naribus nidorem respirare? *D.* Nunc tremo, nunc æstuo. *R.* Credo id facilè; mores noui, & te loquente, quod occurrit, dicam. Recens, at breuis historia est, Pater in Gallis, pro capitali causa, cum adolescente filio comprehensus; & secundum ritum gentis, in aheneum missus, ac decoqui iussus erat. Cum fortè igitur in aquam hyeme gelidam, nudi, ac vincti pariter descendissent, cœpit adolescens tremere, & frigus magna dentium collusione testari: vbi, subiectis ignibus, cœpit aqua feruescere, ille lamentis, ac gemitu impatientiam caloris exprimere. Contrà immotus ad vtrumque, & toruo illum vultu, respiciens senex: Vilissimæ, inquit, meretricis fili, nec frigus igitur, nec calorem pati potes? Verbum mali forsitan, sed constantis, solidíque animi, dignúmque quo illæsus è vase mortifero prosiliret. Cæterùm vestris nunc adolescentibus conuenientissimum, quibus nihil effœminatius, nihil eneruatius est, æstate solem execrantibus, vt Athlantes solent, hyeme ignem

adorantibus, vt Chaldæi. *D.* Nix me tædio afficit. Delicati etiam iucunda fastidiunt. Atqui niuem sine Ventis descendentem, quidam inter pulcherrima ponunt. Porrò si quid est niue pulchrius, nil certè candidius. *D.* Nunc æstibus, nunc frigoribus nimiis, nunc siccitate, nunc imbribus angimur. *R.* Impatientissimum caloris Alexandrum ferunt, nempe qui & duræ & prosperæ fuit impatiens fortunæ. Contrà verò caloris, ac frigoris patientiam parem dant Hannibali. Cur non tu aliquam tibi, vel dissimilis, partem, laudis arripias? æquè ille vtrunque potuit ferre, tu neutrum: hoc vobis primùm tribuit voluptas, quæ emollit, eneruátque, &, vt verè dicam, castrat animos, vt non hostiles tantùm gladios, aut mortem, sed impressiones aëreas formidetis. Clamo autem, & sæpè, frustra quidem, quoniam surdis clamo: linquite suum officium naturæ; nihil, sine æternis, agit illa consiliis. Stulti, & Ignari, ne vna prorsus aquæ stilula, plus, minúsve, quàm expedit in terram cadit, etsi non singulorum libidini, ac saluti omnium consulitur. *D.* Hic luto, hic puluere, hic nubibus, hic ventis, ac tonitru turbor. *R.A.* Atqui terræ varietas, cœli varietatem sequitur. Vdus aër lutum parit, siccus puluerem; sic de motu aëris venti, de vaporibus nubes, de ventis, ac nubibus tempestates, ac fulmina prodeunt. Qui rerum causas nouit, & naturæ se præbuit obsequentem, consequentiam defectuum non deflebit. Et de ventis, licet, apud quosdam magna sit quæstio, nónne tamen tibi aër omni carens vento, penè semianimis videatur? vt non ineptè quidam ventum, animam dicant, siue spiritum. Puluerem certè, apud multos, viris fortibus dulcem vides, ídque vt de luto etiam credi possit, diuersorum operum vna virtus

tus efficiet. Tonitrua verò, & concitatiores cæli motus, quid nisi comminationes, & monitus miserantis Dei sunt: qui certè non minaretur, nisi amaret hominem, sed feriret; quum multæ, & graues nunquam desint feriendi causæ. Ad terrorem verò hęc, formidinémque mortalium spectare, sed ante alios, illorum, qui rebellant Deo non solùm naturæ gnarus meminit poëta, sed vates illa etiam diuini consciа consilii, quæ ait; Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cælis tonabit. Formidare verum tonantem aduersarij, enitimini in gratiam redire, vt amici Dei effecti, nihil omnino, nisi eius offensionem, timeatis. Hoc potiùs agite, & querelas mittite. *D.* Fusco, & nubilo contristor aęre. *R.A.* Nulla tempestas durat; & sereno nubes succedunt, & serenum nubibus; frequens, imo iugis alternatio, & ferendum sine quęstibus, quod tam breue est. *D.* Offendor nubibus. *R.A.* Offensio admonitio quædam est; vt iam hinc tibi prouideas, ne tenebras, quas momentaneas ægrè fers, aliquando perpetuas patiaris. *D.* Igne cælesti turbor, & grandine, & procellis. *R.A.* Hæc, & his similia, ad timorem salutiferum, vel, si spernitis, ad vindictam sunt. Audi vnum: ignis; sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Audi alterum: ignis grando, fames, & mors, hæc omnia ad vindictam. *D.* Tempestatibus turbor æquoreis. *R.* Noli hic naturam, sed tuam vel stultitiam, vel auaritiam accusare: quis huc te cogit? *D.* Tenebrosis nubibus, & contrariis ventis afficior. *R.* In tenebris natus, & in tenebris moriturus, inter rerum contrarios ventos viuis. Disce, quod semper pateris, tandem pati. *D.* Tonitru, ac fulmine quatior. *R.A.* Plus hic aliquid, quàm tædium est:

in primo equidem metus ingens, nisi stultis quibusdam contemptoribus: in secundo autem mors. Itaque quibusdam visum est de fulmine, non nisi inexpertum, queri. At quis, oro, nisi amens, hæc non metuat? cum cautum apud fortissimos hominum Romanos, videat, veteri statuto, vt Comitia populi, Ioue tonante, non habeantur. Cæterùm metus hic, nisi ad emendationem vitæ spectet, inutilis est: Quid prodesse enim potest timor, vbi nullum est remedium formidatæ rei? Huc vertenda res igitur, vt, licet naturalibus causis tonet, ac fulminet, nihilominus commonitorium existimetur illius, qui nullis adstrictus causis, ipse fons omnium causarum est. Ille quidem ideò tonat in cœlis, vt tu in terris bene viuas, & obliuione discussa, irascentem dominum recognoscas; quodque amore debueras, saltem metu facias. Nolite queri, omnia, æquè bona, & mala, expedit vobis [mihi crede] vt sæpiùs tonet: & quàm sæpè tonuisse, memoriæ traditum est, eo anno, quo verus Dei aduersarius, ac pietatis hostis Domitianus interiit, non vt exclametis, sicut ille, feriat iam quem volet, sed vt iram Dei, piis lachrymis, ac humili prece vincatis. *D.* Ebriorum congressibus, lætitiáque contristor. *R.A.* Vinum lætificare cor hominis, & Bacchum lætitiæ datorem, etsi Dauid, Vergiliúsque non dicerent, notum est. Et quanuis illud quoque verum sit, quod horum facundior, sed sanctior Vates ait; Fluminis impetus lætificat ciuitatem: plus tamen feruidi gaudij seu lætitiæ gestientis, vt philosophi vocant, pauca potentis vini dolia, quàm multa nitentis aquæ flumina continent. Fateórque, ebriorum lætitia, nil tristius. Nihil opificibus, & tabernariis, quos meritò ciuitatum fæcem Cicero vocat, ineptius:

vel

vel ferendum tamen, vel vrbibus abeundum, vel foro saltem, ac plateis, & tabernarum scenis, tanquam scopulis, abstinendum. *D.* Turbis premor, frequentiáque ciuium importuna. *R.* Trux, & inhumanum votum est, optare patriæ solitudinem, quò ipse sis laxior; ob hoc enim illa olim, vt nosti, soror Appij Claudij mulctata; & illa innocens vltimo apud scriptores celebrata est: Vt verò istud iniquum, & supplicio dignum, sic vitandi studio fastidij se turbis eripere, & si res poscat, vrbi cedere, modestum, ac Sapientibus vsitatum est. *D.* Longo, & segni iudicio laboro. *R. A.* Ad quid inuenta transactio est, nisi vt litem finiat, & tarditatem iudicij antecedat? *D.* Mœsto, & turbido atteror litigio. *R.* Pro te aptis epithetis vsus es; vbi enim lis, ibi nec gaudium, nec tranquillitas esse potest. Tu, si litibus vis carère, litium contemne materiam. Auaritia lites parit, & partas alit.

De Terræmotu. DIAL. XCI.

Auxilium non est, pro Terræ motibus vllum;
Cùm ruet immensus, quis metus, Orbis, erit?

METVS.

TErræmotum timeo. *R. A.* Magnum, fateor, naturæ parentis incommodum, nec immeritò à parentibus segregatum; nempe cunctis grauius, sed rarius, idq; remedij loco sit. Sæpè quidem instans fulmen & tonitru, cęli facies mœsta prænunciat, terræmotus præsagium nullum est; etsi eum Pherecides, aqua putei hausta, prædixisse feratur. Adde, quòd aduersus cæli minas, aliquod fortasse refugium subterraneæ offerunt cauernæ, quale illud legitur Augusti Cæsaris, fulgura metuentis, quod adhuc Romæ via cernitur

flaminia,& nomen seruat authoris. Contra terræmotum nullæ sunt latebræ, nulla fuga: quò enim extra terram fugiat terrenus homuncio? aut quid fiet,si & supra verticem cœlum tonat,& sub pedibus terra tremit? nisi forte quis in pelagus fugiendum dicat,quod & cæleſtis,& terreſtris varietatis est particeps, & suis insuper motibus inquietum. *I.* Non tu mihi remedium das, vt soles, sed periculum exaggeras. *R.* Sentiebam ita tibi visum iri; & sic, haud dubiè, se res habet. Sunt quæ dissimulari queunt, & verbis extenuari, vt quæ fama terribilia visa erant, re ipsa nunc tolerabilia, nunc & contemptibilia videantur. Id sanè, de quo agitur, tale est, vt sua quadam vi humani eloquij argumenta discutiat; vnum est solamen, vt dicebam, raritas. Vidisti ætatem penè integram terræmotibus vacantem: quo in spatio innumerabiles obiisse, non est dubium, qui in vita solùm rei terribilis nomen audierint, nullum res visa terruerit: alioqui, quem non conspecta permoueant, vel antiqua illa, vel hæc noua, quorum vel in libris, vel in animis hominum, qui viderunt, memoria recens est? quando & olim, vno eodémque die, motu horrifico, & concussa Rhodus, & nouæ insulæ profundo maris emersérunt, & vetustæ vrbes Asię duodecim corruerunt, nonnullæ etiam terræ hiatibus haustæ sunt. De hinc eadem pestis in Achaia, Macedoniáque desęuiit. Demum in Campania, illa pulcherrima, non Italiæ tantùm, sed totius etiam mundi parte, circa Senecæ ætatem, qui inter quæstiones naturales rei huius meminit, quando & Herculanum, & Pompeios, vrbes tractus illius nobilissimas, ipsam quoque Parthenopem, ea peste vexatam legis. Ac ne cuncta sequar, quæ infinita materia est; nu-

super alpes aëreas, quæ Italos à Germanis separant, quarum motus insolitos, Maro ait, & motas & multis in locis dissectas cernere potuisti. Et confestim postea, ipsam vrbium reginam, graviter agitatam, vsque ad ruinam turrium, ac templorum: aliquotq; alias humi stratas, móxque, velut perpetuo malorum ordine, Germaniæ partem illam [quæ nobilior habetur] totam scilicet Rheni valiem tremuisse, atque in ripis, Basileam vrbẽ funditus, & octoginta, eoque amplius, castella vno simul temporis momento, corruisse notum est. Horrendum plane negotium, nisi arcem terribilium mors teneret. Hanc qui timere desierit nil timebit; vtque eleganter ait Flaccus:

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Nam quid refert, an in te lapsis exiguus sic descendat, vt perimat, an te ingẽs obruat Apẽninus, seu potiùs fractus orbis, vt est dictũ; si vtrobique nil amplius est, quàm mori? nisi quia quibusdam fortasse mors clarior videri potest, quo maiore infligitur instrumento. Hæc tandem nostri consilij summa est, quando & aduersus fulmen aliquid diximus esse remedij, & vtrunque vel obstando, vel cedendo, reliquis malis occurritur; contra hoc vnum, nec fuga valet, nec ingenium, nec vis vlla; sed, qui vnus horribilia cuncta facit, ponendus antè omnia metus mortis: aliquantò, non inficior factu difficilius, quàm dictu; sed nequaquam impossibile. Et quoniam ab hac peste, nec tempus vllum, nec locus immunis est, omnibus locis, atque temporibus, ad omnium, quæ vel naturaliter, vel fortuitò euenire possunt, tolerantiam præparandus, armandusque animus; quod, nisi virtutis amor, vitiique odium accesserit, vtique fie-

ri nequit. Denique quoniam, non cælum modò, quod in continuo motu est; & elementa vndique comminantur; sed & terra, cui insistitis, & quæ periculorum omnium firmissimum præsidium sperabatur, ipsa quoque concutitur, incolásque suos fallit, ac territat, ad cœlum animi volatibus ascendendum. Intérque hos rerum motus, atque hominum, omnis in illo spes habenda, qui respicit terram, & facit eam tremere, de quo scriptum est: Ego dominus, & non mutor. Quisquis in illo vestigia deuotæ mentis affixerit, iam in solido, & in tuto erit; neque amplius, aut ipse mouebitur, aut vllos metuet teræmotus. *M.* Non possum terræmotibus non moueri. *R.* Potes autem à terra omnem spem, atque omne desiderium remouere. Hoc fac, vt securus viuas, eáque vel tremente, vel ruente, consistas. Stultum est, firmam, in re tremula, spem habere.

De Peste latissimè sauiente. DIAL. XCII.

Diuinæ pestis clemens est nuncia Virgæ;
Quam, licet effugias, sed moriere tamen.

METVS.

PEstem latissimè sæuientem horreo. *R.A.* Et hic quoque nil amplius, quàm mortis est metus, quo deposito, plena securitas parta erit; quum non, his magnis animis, non depositus modò, sed ne admissus quidem esse debeat. Nã quid minus viri est, quàm horrere communia. *M.* Pestem timeo. *R.* At, quid aliud tibi, si morieris, ad vsitatũ genus moriendi, pestis addiderit, quam vt comitatior moriare: sin euaseris, (vt dulcior vita sit, tot circunfusis erepta periculis, si mori periculum, non natura est: neq. enim omnes pestis perimit.

mit. Alioqui, ex hac peste nouissima, cui parà sæculis non fuit, nullus hominũ euasisset. Euaserunt multi, qui melius obiissent: hinc, vt vides, fæce solita, nunc etiam mundus exuberat, quam nulla vnquam pestis, nulla mortis manus exhauriet, tã concreta est. *M.* Pestem metuo. *R.* Dic [quod est verius] mori times, de quo nobis, vt te video in deo inquerelas pronum, ante quàm res desinat, disceptandum reor: præter hoc enim, quid est, quòd pestis nomen exhorreas, cùm potius [vt est dictum] solatij genus sit, perire cum plurimis? *M.* Pestem horreo. *R.A.* Si ad hoc te humani generis charitas quædam trahit, est, quod laudem. Nihil est magis hominis, quàm humana incommoda miserari: sin tui tantùm, quod arguam. Nam quid pestis nocitura mortali, nisi, vt facias, quod facturus es; nisi illud inter damna connumeres, non lugeri; quod in talibus accidit, & feliciores censes, qui multum fleti ad superos euasisse, apud Vergilium, memorantur.

De Tristitia, & Miseria. DIAL. XCIII.

Aduersus res est animus firmandus ad omnes;
Pugna, dolor, vita hæc, perpetuúmque labor.

DOL.

TRistis sum. *R.A.* Refert, qua ex causa tristis sis, aut lætus. Ista enim, vt alia multa, indifferentia dixerim, quæ leui momento possunt esse bona, vel mala. Tristitia nempe de peccato, vtilis; modò ne desperationi surrepenti clanculum manum det. At gaudium de virtute, déque memoria bonorum operum, honestum; modò ne ingerenti se superbiæ fores pandat. Harum igitur passionum permutantur causæ, vt cum vitu-

peratio illico locum laudis inuaserit : nunc tu quod sis tristis cogita. *D.* Huius vitæ miseria mœstus sum. *R.* Felicitas te lætificet alterius vitæ. Neque enim tam hæc misera, etsi profectò miserrima sit, quàm ista est fœlix. *D.* Mœstus sum. *R.* Mali huius tot radices, quot sunt, quæ vno nomine, Aduersa dicitis; de quibus & multa iam diximus; &, vt te pronum in querelas video, multa nunc etiam sunt dicenda. Est autem quando nulla prorsus apparens causa: non morbi, non damna, non iniuriæ, non ignominiæ, non carorum mortes, neque vllus omnino rerum talium inopinus rumor, sed dolendi voluptas quædam, quæ mœstam animam facit. Pestis eò funestior, quo ignotior causa, atque ita difficilior cura est. Itaque hanc, ceu animæ scopulum, omni, velorum, vt dici solet, ac remorum auxilio, fugiendam censet Cicero. Cui in hoc quidem, vt in multis, assentior. *D.* Præsentis me miseriæ cogitatio mœstum facit. *R.* Miseriam conditionis humanæ magnam multiplicémque, non nego; quam quidam integris voluminibus defleuere. Sed in diuersum aspicias, multa itidem, quæ felicem vitam, ac iucundam faciant, videbis. Etsi de hoc nemo hactenus [ni fallor] scripserit, aggressíque aliqui desistiterint; quòd difficilem, & contrariam scribentibus sterilioremque ac longè imparem materiam se sortitos, intelligerent; eò quò humana miseria nimis multa prorsus euidenter emineat. Felicitas parua, & latens, stilo altiùs fodienda fit, vt ostendi possit incredulis. An autem, vt ex multis summa delibem, parua vobis gaudij causa est ? Imago illa & similitudo Dei creatoris, humana intus in anima, ingenium, memoria, prouidentia, eloquium, tot inuenta, tot

tot artes huic animo famulantes; huic corpori, quibus necessitates vestræ omnes, diuino beneficio, comprehensæ sunt; tantæ quoque opportunitates, & tam variæ rerum species, non necessitati tantùm vestræ, sed oblectationi seruientes miris, & ineffabilibus modis: tanta vis radicum, tot herbarum succi, tot florum, tam iucunda varietas; tot odorum, & calorum, & saporum, & sonorum; ex contrariis orta concordia; tot animalia cœlo, terris ac pelago, non nisi vestris vsibus dedita, hominisque solius ad obsequium creata. Nisi enim peccati iugum sponte subiissetis; omnium, quæ sub cœlo sunt, dominium haberetis. Adde collium prospectus, aprications vallium: vmbrosos saltus, algentésque alpes, & tepentia littora. Adde tot salubres scatebras aquarum, tot sulphureos, fumantésque, tot nitidos, & gelidos fontes: tot infusa, & circumfusa terris maria, tot amnes assiduè mobiles, & immobili stabilitate certissimos regnorum fines. Adde lacus, maris æmulos, & stagna iacentia, & riuos inter montium conuexa præcipites: & floreas ripas,

Ripárúmque thoros, & prata recentia, riuis,

vt Vergilius ait. Quid sonoris littoribus spumantes scopulos, antráque rosida, & flauescentes agros, & vineta gemmantia, & commoditates vrbium, & ruris otia, & solitudinum libertatem? Quid spectaculorum omnium lucidissimum, & augustissimum stellantis cœli ambitum, incomprehensibili celeritate volubilem. Inque illo fixas, & errantes, quas dicitis, seu vagantes stellas, Solem in primis, ac Lunam clarissima mundi lumina [vt Maro ait] seu lucidum cœli decus [vt Flaccus ait] hinc terræ fruges, hinc

vigor animantium, hinc varietas tempestatum: hinc nos annum, hinc menses, & dies, & noctes, & momenta metimur, sine quibus vita fastidio non careret. His accedit corpus, licet caducum, & fragile, imperiosum tamen aspectu, serenúmque, & erectum, aptúmque cœlestibus contemplandis. Accedit immortalitas animæ, & ad cœlum iter, ac pretio exiguo, merces inæstimabilis: & quæ in finem, sciens, distuli: quia tam magna erant, vt per me illa non capere, nisi fidei magisterio, didicissem: & resurgendi spes, & hoc ipsum corpus, post interitum, agile quidem, lucidúmque, & inuiolabile, multa cum gloria reassumendi: &, quod omnem, non humanam modò sed angelicam dignitatem supereminet, ipsa humanitas sic coniuncta diuinitati, vt, qui Deus erat, homo fieret: idémque vnus numero, perfectè duas in se vniens naturas, inciperet esse Deus & homo; vt hominem Deum faceret, factus homo: ineffabilis Dei pietas: atque humilitas; summa hominis felicitas, ac gloria: altū vndique, occultúmque mysterium; mirum, & salutare commercium; quod, nescio an cælestis, sed profectò mortalis lingua non æquat. Parum ne tibi autem vel hoc vno, nobilitata conditio humana, parúmque expurgata miseria videtur? seu quid, oro, altiùs, non dicam, sperare, sed optare, sed cogitare homo potuit, quã, vt esset Deus? ecce iam Deus est. Quid iam restat, oro, quò vota vestra suspirent? nedum reperire quidem, sed nec fingere maius aliquid relictum. Certè cum ad salutem vestram se diuinitas inclinaret, non aliud, cùm posset, nisi humanum corpus, humanámque animam assumpsit; nec angelicæ speciei ascribi voluit, sed humanæ; vt sic, quantum te dominus tuus amat, a-

gnoscas

gnoscas, & gaudeas. Ita enim vt præclarè ait Augustinus, demonstrauit carnalibus, & non valentibus intueri mente Virtutem, corporisque sensibus deditis quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura. Quid, quòd idem ipse, qui vos, hac sua dignatione tam mirifica, angelis quoque prætulerat, ipsos vobis angelos custodes adhibuit, vt modis omnibus vestram inter creaturas excellentiam demonstraret? Ait nempe Hieronymus, tantam dignitatem esse animarum, vt vna quæque ab ortu suo habeat angelum sibi ad custodiam deputatum. Paterna verè, & plusquàm paterna de vobis Deo cura est. Et, vt dictum Satyrici parumper inflectam: Verè carior est illi homo quàm sibi. Quis hic tristitiæ locus aut querelæ? Non natura igitur vestra sed culpa mœstos vos & querulos facit. *DO.* Mœstum me originis vilitas & naturæ fragilitas, nuditasque, & inopia, & fortunæ asperitas & vitæ breuitas, & finis incertus facit. *RA.* Multa studio conquiris vt mœstus sis: contrario instandum erat, vt honesto gaudio lætus esses. Noui autem mores, cupidè malis vestris incumbitis. Proinde quòd ad vilitatem originis attinet, aut corporis fœditatem, quicquid quorumlibet ingeniis aceruatum est non solum admota resurrectione illa quam vera mortalium fides sperat & glorificandorum corporum nobilitate delinitur: sed præsenti etiam decore minuitur; interque omnia diuinæ manus opera singulari quadam hominis maiestate. Nam quid ortus obscœnitas humanæ detrahit dignitati? non ne fœda è radice proceræ, frondentesque arbores, herbosum solum gratis vmbris vestiunt? Nonne fœdissimo fimo segetes lætæ fiunt? nec fastiditur origo viliſſima rei optimæ: Vos segetes Dei

estis, in area iudicij ventilandæ, summíque patrisfamilias in horreo reponendæ: terrestris fuerit origo [quamquam nobilis, ac cœlestis ex parte sit] sed fuerit qualiscunque ortus, quantumlibet difficile incrementum, sedes vltima cœlum sit. Quid illa nuditas, imbecillitasque corporea, multarumque rerum grauis indigentia, quæ humanæ conditionis infamiæ ascribuntur? Variarum nonne artium, ac multiplici remediorum suppletur auxilio? non magis ad gloriam hominis, quàm miseriam trahi possit, quòd animantibus cæteris ratione carentibus prævalidam cutim, vngueisque, & villos mater natura prouiderit, homini vnum, repertorem omnium, contulerit intellectum: vt illa scilicet alieno, hic suo quodam proprio, & interno præsidio tutus esset; cætera quantum nascentibus obtigisset, & non amplius; vnus hic tantum haberet, quantum viuendo, meditandoque, sagaci assequi possit ingenio. Sic seruis, dominus, ac bubulcis si quid fortè cibi nobilis largiatur, suam cuique portiunculam assignat; vxori nihil, aut filio; vt illi hoc tantùm, hi pro eorum captu, plus minúsue percipiant; sic illis frenum præponitur, his libertas. Animantibus igitur, quæ vel senio, vel scabie depilata, aut caligantia oculis, aut pede clauda conspicimus, remedij nihil est, nisi ab homine conferatur. Homo autem per se nudus, ingenio vestitur, atque ornatur: &, si res poscat, armatur: claudus, atque debilitatus, equo, aut naui fertur; aut vehiculo, aut auxiliantibus bacillis innititur. Denique, modis sese omnibus adiuuat, attollitque; quin, amissis artubus, pedes ligneos, manus ferreas, nasos cæreos fabricari didicit; & fortuitis casibus obstare. Valetudinem fatiscentem medicami-

mi-

nibus erigit, gustumque torpentem saporibus excitat, visum languidum ocularibus refouet: qua in re, maioribus vestris acutiùs cogitastis, qui vasculis vitreis aqua plenis [vt Seneca meminit] vtebantur, propè delectabilis naturæ ludus, blanda parens ac benigna, quòd hinc filio eripit, inde restituit, & cùm tristem fecerit, consolatur. Quid, quòd equus bos, elephas, camelus, leo, tigris pardus, & similia quantarumlibet virium Cum senuerint, contemnuntur, cum obierint, non sunt; cedunt senio, succumbunt morti: solum hominem virtute præditum, quę hominis solius est propria, & venerabilem senectus, & mors glorioſum, ac felicem facit, transferens non extinguens. Et ad summam, animalia quædam robustiora sunt homine, quædam velociora, quædam sensibus vegetiora, nullum, dignitate præstantius; nullum, cuius par cura creatori fuerit. Dedit sphæricam capitis figuram, effigiemque sydeream.

Pronáque cum spectent animalia cætera terram,
Os hominisublime dedit cœlúmque tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus:

[vt præclarè ait Naso] licet dictum priùs à Tullio. Dedit oculos, dedit frontem, in quibus secreta animi relucerent: dedit rationem, dedit orationem, dedit lachrymas, dedit risum, affectuum signa latentium; quæ quamuis ad argumentum miseriæ quidam trahant, quòd fletus præcox, risus serus sit [Ortus, enim statim flet; ante diem quadragesimum non ridet] id vel maximè prudens animal arguit, venturique præscium, non equidem finis; quem virtutis gubernaculo felicem dico, sed difficilem, quòd ingressus est stadij atque instantium laborum. Deni-

que, quòd quodcunque robur est aliis, quæcunque velocitas, quæcunque opportunitas, quæcunque commoditas, tota homini deseruit. Ille indomitos boues ad iugum, & feroces equos ad frenum cogit. Vrsos vnguibus, apros dentibus, ceruos cornibus metuendos, decus fecit ille mensarum: Lynces, vulpes, & infinita id genus, quia esui non erant, vsui pellis, accorij reseruauit: retibus maria, canibus syluas, volucribus cælum omne hustrauit; & quibus cum nullum erat homini commercium, humanas voces intelligere, & humanis nutibus obsequi docuit, sic ex omni naturæ parte partum aliquid. Non est tibi bouis robur, at tibi bos arat. Non est tibi equi celeritas, tibi tamen equus ambulat. Non est tibi Herodij volatus, sed Herodius tibi volat. Non est tibi elephantis, aut cameli moles, sed ille tibi turrem vehit, hic sarcinam. Non est tibi cerui corium, non agni pellis, aut vulpecula, sed illi hæc tuo nomine possident. An ne igitur his qui vos inopes talium dicunt, haud inelegans responsum illud sit Romani ducis. Habere ista hominem nolle, sed hæ habentibus imperare. Et hæc quidem modò breuiter, partim philosophicè, partim catholicè dixerim. Ad ægritudinem verò animi [ita enim hanc philosophi appellant] & depellendam, & tranquillitatem reuehendam, proderit nosse, quid de primo, Cicero in Tusculano suo, tertia luce disseruit; quid de secundo, Seneca in eo libro, quem de animi tranquillitate composuit. Festinanti quidem ad alia, & spectanti metam, non vacat vniuersa complecti. Pro tempore igitur alligatum vulnus, ostensique medici animorum, quibus, si hæc non sufficiunt, vti queas. Iam tria illa, quæ vltimo questus es, ne respon-

sponso quidem digna credidi quando & asperitas fortunæ ipsa est de qua magna pars huius secundi colloquij nostri fuit, & futura est, & asperitatem ipsam breuitas lenire debet ac minuere, & incertum vitæ finem statuit natura, vt præsens semper, aut proximus crederetur.

De Ægritudine dentium. DIAL. XCIV.

Multa premunt senium, senio sunt multa ferenda:
Si modò digna tibi grata senecta venit.

DOL.

DEntium vexor ægritudine. *R.A.* Quantum fidas intestinis, vide; ossa te ipsa destituunt. *D.* Tremere dentes incipiunt. *R.* Quid mollibus spei est? duri, & solidi nutant artus. *D.* Dentibus ægersum. *R.* Inualidum, & caducum animal homo, cui etiam quæ prævalida videbantur infirma sunt. *D.* Magnus me dentium dolor habet. *R.* Et quæ ad decus, præcipuumque oris robur obtigerant, doloris in materiam verti vides, vt intelligas, quàm mansura sit hæc, cui tam securus insides, mortalis compago domicilij. *D.* Iam mihi vnus, alterque dens cecidit. *R.* Iam ergò vel hinc existima, quantum Deo debeas, tot tantisque muneribus, quorum pauciſſimis, ac minimis caruisse, supplicium, & flebile damnum ducas: digna ingratitudinis pœna est. Seruus, & domini largitatem, quam præsentem spernit, absentem lugeat, & quam lucris intelligere noluit, damnis intelligat. *D.* Iam dentibus exarmatus sum. *R.A.* Iam inermis cum voluptate luctaberis: minus comedes parciùs ridebis, lentiùs mordebis alienam famam. Loqui parantem, fracta sepes dentium frœ-

nabit; si non castitas, saltem pudor, ab illicitis oculis senilem petulantiam cohibebit. *D.* Iam mihi senectus dentes fregit. *R.A.* Iure suo illa vsa est. Tu naturæ gratias age, quæ tibi hoc suo dono vti permisit in senium, quod à multis in iuuentute repetiit, qualis fuit apud vos, ille modò regum maximus, qui adhuc virenti æuo, penè dentibus caruit, etsi iuuenilem hanc iacturam, senili postmodum eximio oculorum [vt ipse aiebat, quodque ipse tacebat] ingenij, atque animi vigore solabatur; exemplum vtile omnibus, aliquo vel naturæ, vel ætatis incommodo affectis, ne singula defleant, néue omnem solutum teporem, munificentiæ cœlestis iniuriam vocent; sed seruatis perdita mulceant, aspera lenibus, dulcibus acria. *DO.* Dentes mihi rapuit senectus. *R.A.* Hos si illa non raperet, raptura mors fuerat: plenam ossium sepulturam inspice, testarum dentes arentium primum quidem terrificè albicantes, mox ruptis vulsos radicibus atque effusos videas; non hic numerus, non hic robur, decorque valuerit. Filia Mithridatis Ponti regis, vtroque gemino ordine dentium fuisse legitur. Prusiæ verò Bithyniæ regis filius, pro superno ordine dentium, vnum inferioribus cunctis parem, hoc est, vnum os ab vna in alteram maxillam nec inuenistè, nec incommodè protentum habuisse. At Zenobia Re-Orientis, inter cæteras formæ laudes, tanto dentium nitore describitur, vt inter loquendum, ridendumque, non dentibus, sed candidis Margaritis plenum os habere videretur. Horum quoque nunc busta perquire, singulare nihil inuenies, cuncta pridem, æqua omnibus, sparsit, & attriuit mors. Nimis corpus amatis, ac membra

mor

mortalia, nimis animum immortalem, ac virtutem spernitis. O cœci semper, & iniqui rerum æstimatores. *D.* Iam sine dentibus sum. *R.A.* Iam ergò dentium dolor nullus, sed nullum quoque præsidium. nullus vsus: sine dentibus cum labore præmolendus cibus; & nisi dissimulas: cogitandum eò tibi iter instare, vbi nil editur, atque vbi solo gaudio, cibisque animæ viuitur.

De Ægritudine tibiarum. DIAL. XCV.

Fortè pedes scelerum quandoque fuêre ministri,
Discant ergo pedes vulnera sana pati.

DOL.

TIbiarum vexor ægritudine. *R.* In omni ædificio periculosissimum est illud vitiũ, quod fundamentis insidet. Cætera enim vtcunq; corrigas hoc ruinam trahit, qua instante, quid est reliquum; nisi quam primùm ex satiscendi migretur hospitio? *D.* Tibiarum ægritudine sum affectus. *R.* Huius ægritudinis, vt multarum; causa ferè omnis non aliunde, quàm ex vobis ipsis est. Iure igitur in vos, ex vobis orta reflectitur: obliti enim illud consilium Sapientis: Palpebræ tuæ præcedãt gressus tuos: & illud alterius: Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari: neque consistere potestis, neque vestros gressus attendere, sed vt cœci præcipites, hac illac palpitando, discurritis. Quid miri igitur, si nunc ad lapidem, nunc ad lignũ offenditis. Illud plane mirabile est, quòd culpas vestras insonti tribuitis naturæ; quin etiam voluptas mira demẽtiæ, equorũ vos frementium turbis ingeritis, vnde sæpè ferratorum calcium vestigia reportatis. Nonne tibi videtur, quod apud Ciceronẽ vni dicitur, penè

omnibus conuenire? Hęc mala, inquit, stultissime, tota ipse tibi addidisti. Sic est hercle. Nolite vos fallere, mala vestra, magna ex parte, vobis ipsi facitis, quæ postea deploretis. Tu si domi perstitisses, hoc est tecum, neque hanc forsan ægritudinem, neque harum querelarum materiam inuenisses. Vaga vita, & instabilis, quòd variis afficiatur incommodis, non iniustum est. *D.* Tibiæ doloribus agitor. *R.* Si tu causam doloribus præbuisti, gaude culpam plecti; si minus, exsortem culpæ animum solare. Et, si doles, molestiam adesse, at abesse culpã gaude. Vtcunque se res habeat, dolorum cuspidi, patientiæ clypeum oppone; perpetuum in omni anxietate documentum, quo nulla vnquam medicina salubrior reperitur. *D.* Tibiæ doloribus prægrauatus sum. *R.* Consulent Medici, vt iaceas, nec te lecto moueas; haud ineptè illi quidem, vt post dãnum facias quod ante debueras. Ego autem de illorum consiliis nil amplius dicam, sed tu ipse, quãti ea sint pretij, tuo disces impendio. Idem tamen consulam, quod medici, sed respectu alio: illi enim te iacentem fomentis adhibitis, instaurari posse faciliùs; opinantur; dum ad locum dolẽtem nec spiritus adẽò confluunt, nec humores, stanti confluerent, aut eunti. Ego te in tuo lectulo compositum, quicquid de salute corporea euenturum sit sepositis interea curis omnibus, tranquillo tantisper accubitu mitigatis angoribus, de sepulchro aliquid cogitare, qualiterue ibi sis iaciturus, & præsentis status tui conditionem metiri velim, mortemque ipsam antequam veniat, tam familiarem tibi efficere, vt non horreas venientem. Mors enim sola est, quæ possit mortale corpusculum, ab omni ægritudine, liberare.

De

De Cœcitate. DIAL. XCVI.

Gaude, quòd cæcus non cernas crimina mundi;
Fac animi posthac luminibus videas.

DOL.

OCulos perdidi. *R.* O quot simul vitæ fastidia perdidisti quot fœda spectaculorum ludibria non videbis! *D.* Amisi oculos. *R.A.* Frontis fortasse, non pectoris: hi, se superant, bene habet, salua res est. *D.* Cœcus sum. *R.* Non videbis Solem amplius, sed vidisti, & qualis sit, animo tenes; aut si non vidisti, vt in parte sors durior, sic desiderium leuius ignotæ rei. *D.* Oculis careo. *R.* Cælum, terramque non aspicies, sed cæli terræque dominum spectandi facultas non eripitur. Multum illa clarior est visio. *D.* Cœcitate perpetua damnatus sum. *R.A.* Non videbis ammodo frondosas valles, aëreos montes, floreos cespites, vmbrosos specus, lucidos fontes, vaga flumina, prata virentia quodque pulcherrimum visu dicunt humanioris effigiem. Sed nec cœni cumulos, nec vndantes cloacas, nec laniata cadauera, & quicquid aspectu fœdo stomachum lædit. *D.* Oculorum luce priuatus sum. *R.A.* Vt malo huic nil aliud boni insit, quàm quòd hos ludos enormium, penitúsque deformium habituum non spectabis, optanda cœcitas, quam, etsi optabilem fuisse sæpe olim fatear, æquè vnquam nego: quandoquidem spes fugæ nulla est; quocunque terrarum verteris, par insaniæ regnum, par virtutis exilium: hoc in statu perdidisse oculos, fugæ, & solatii genus est. *D.* Visum perdidi. *R.* Et fœminei vultus aspectum. Gaude igitur; clausę, vnde mors intrabat, sunt feneſtrę, multisque vitiis obstructum iter: auaritia, gula,

luxuria, peſteſque aliæ, ſuos miniſtros, ac ſatellites amiſere; quantum animæ tuæ hoſtibus demptum eſt, tantum accreuiſſe tibi credito. *D.* Perdidi oculos. *R.* Perdidiſti duces malos, qui in præcipitium te ducebant. Mirum dictu; ſæpè quidem lucidiſſima pars corporis, totam animam in tenebras trahit: iam vocantem ad meliora ſpiritum ſequi incipe, & veritati præbe aures clamanti. Nolite quærere, quæ videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quę autem non videntur, æterna. *D.* Luminibus careo. *R.* Culpis tu careres plurimis, ſi his perpetuò caruiſſes: nunc venturis malis occurrant, virtus ac cœcitas; præterita deleant, dolo, ac pœnitentia; neu lugeas cœcitatem, mentis oculos aperturam; lugendum forſitan quòd dilata eſt. *D.* Lumen oculorum perdidi. *R.* Lumen animæ verum ſerua. Solent qui alterum oculum amiſerunt [vt aiunt] acutiùs videre. Id ſi ita eſt, quid rear, niſi vt duobus perditis, duobus aliis acutiſſimè videas? & tuum facias illud Tyreſiæ cæci vatis, ſed famoſi:

Obruit ora Deus, totámque in pectore lucem
Detulit.

Infelicem te vereque cœcum, & prorſus exoculatum, ſi hanc etiam perdidiſti; quod, vt ſuſpicer, tuæ, ſi pergis, facient querelæ: perditur nempe flebiliùs, quod vnicum eſt, habenti. *D.* Oculos mei capitis perdidi. *R.A.* Purga igitur, & abſterge, quos non perdas, & externis percuntibus, ad interna reflectere. Illic, mihi crede, non in oculis, habitat felicitas illa quam quæritis. *D.* Lumen oculis non video. *R.A.* Diſce vel in tenebris gaudere. An tibi Antipatri Philoſophi reſponſum excidit, laſciuũ fortaſſe, ſed proprium? cuius cœcita-

citatem, cum amicæ mulierculæ deplorarent, iocans, Nulla ne, inquit, vobis videtur voluptas esse nocturna. Facetè ille quidem, breuitérque. Multa enim sunt in obscuro gaudia sicut & in luce, dolor multus. Ego autem tibi honesti solitus hortator sum. *D.* Amissos oculos queror. *R.A.* Si vsurus malè, gaudendum potiùs prærepta tibi nequitiæ instrumenta. Sin bene, nec sic quidem est, quod doleas: rem decoram visu, sed pietati ac sancto proposito minimè necessàriam amisisti, non membra sed animum quærit Deus. Purum illi, totumque ei offer, quem, vbi acceperit, quicquid est reliqui, aceceptum feret, nil retinuit qui animam dedit. *D.* Corporeos amisi oculos. *R.A.* Si ad cælum niteris, consolare te cum Didymo, quem cœcum ab infantia, inque hac cœcitate vsque ad exitum, summo virtutum exercitio insignem, sacer Antonius senem visens, nihil moueri debere, ait eò quòd oculos amisisset, communes sibi cum muscis, & muribus & lacertis, sed gaudere quòd oculi, communes illi cum angelis, salui essent. Antonianum verè, cœlestisque magistri discipulo dignum verbum. Sin ad liberalium studiorum decus aspiras. Homerum, ac Democritum contemplare, quorum alter [vt fama est] dum mira illa, ac diuina dictaret, oculis non videbat animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ, vt ipse arbitrabatur, veri visus aciem impedirent: cuius factum, quàm vel laude, vel vituperio dignum fuerit, non disputo, sed inuenit imitatores. Quòd si picturam fortè, sculpturámue Apellis, aut Phydiæ artem tibi mente delegeras: amisisse te aliquid, non negem, nisi hoc ipsum lucrum est, ab incœpto humili tractum, cogi altiùs. *D.* Cœcitate inops, & inutilis sum.

R. Quid te ipsum, cœce, deseris? Nam Tyresias, de quo suprà diximus, cœcus visu, vaticiniis clarus fuit. Et Diodorus Stoicus, familiaritate Ciceronis, quàm secta notior sua, visum perditum, auditus solatio leniebat; cùm ei, vt Cicero ibidem ait, libri per noctes, & dies legerentur: quibus in studiis oculis non egebat. Hic & philosophiæ simul, & fidibus: quodque sine oculis fieri posse, vix crederes, geometricis quoque descriptionibus operam dabat; & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de his ingenio differebat. Caius Drusus absq. oculis, sed iuris ciuilis notitia tanta fuit, vt domus eius, consultorum frequentia, quotidie repleretur. Et videbant illi, qua iretur ad forum, rectiùs; quà iretur ad causæ victoriam, non videbant; atque ideò cœci ducis patrocinium implorabant. Sed clarissimus omnium, quos famosos cœcitas habuit, Appius Claudius, & re cœcus, & nomine: qui cœcitate pressus, ac senio, non priuatis modò consiliis à populo noscebatur, quisquis in iure, vel in facto scrupulus incidisset; sed authoritate ac sententia senatum regebat, vniuersamq; Rempub. gubernabat. Tu confestim, vno destitutus sensu, reliquos omnes atque insuper mentem ipsam abiicis, haud aliter, quam qui vnius damni leuis impatientia, & vitam, & vitæ instrumenta proiiciunt desperatione præcipiti. D. Cœcus sum, nec, quò pergam, video. R. At dux tuus videt; siue is est animus, siue vnus aliquis ex more, cœci gressum dirigens; cuius ductu, non modò rectum iter inuenias, sed ad contemptum vitæ, nobile [illegible], & præclaræ virtutis actus vltimos, ad fastigia summa peruenias: neque, nisi vis animi defuerit, generosum facinus lux amissa præpediet. Meministi, quid sacris Sanson in literis; quid ciuili bello, apud

apud Lucanum. Massiliæ Tyrrhenus agat in æquore; de quo quidem, si poëticæ tubæ minus est fidei, illud certius, atque recentius recordare, quod ætate gestum tua, videre oculis potuisti. Vt Ioannes Rex Bohemus, duorum sine medio, Romanorum principum, alterius filius, alterius pater, oculis semper infirmus, multos ad extremum annos cœcus, bello hoc, quod inter Gallum, cui ille fauit, ac Britannum regem, sex iam lustris agitur; dum pugna illa omnium asperrima, cui ambo reges intererant, inclinare fortunam suæ partis intelligeret, duces suos clara voce compellans: Dirigite me, inquit, ocyùs in eam partem, vbi rex hostium est, atque omne robur exercitus sui; quod cùm mœsti, ac trepidi fecissent, ille equo stimulis adacto, eò se præcipitem dedit quò spectare alij, cœcumque oculis prosequi vix audebant, vbi confertissima hostium in acie, non fortiter modò, sed horrificè pugnans ruit, ipsis mirantibus, & laudantibus, qui vincebant. Rem narro notam omnibus, sed, nisi mandata sit literis, oblivione perituram: & quid, oro gloriæ viri fortis obfuit, visu caruisse? nisi, vt quem virtus, & natura mirabilem fecerant, stupẽdum cœcitas faceret. *D.* Cœcus sum. *R.* Iocari incipiam, ni desistas queri. Nam quid aliud si vir es, attulisse tibi cœcitas quiuit, quàm, quod de seipsa cœcus effectus Asclepiades ait: vno, scilicet, vt puero comitatior gradiare.

De Auditu perdito. DIAL. XCVII.

Denegat auditus voces audire Sonoras,
Nec dictu, quæ sunt turpia, percipies.

DOL.

PErdidi auditum. *R A.* Iter ecce aliud tædio præclusum est. Multa oculis, multa auribus

hauriuntur tædia, multa vtrobique calle fastidia in animum penetrant; quibus euitandis, ex æquo penè optabiles videantur cœcitas, surditasque: habent tamen hæ suas incommoditates, vt reliqua ferè cuncta mortalium, amarumque aliquid, non nego, sed patientia mollius, ac virtuti impar. Vbi quænam sit has inter, proportio incommodorum, haud facilè dixerim; nisi quòd illa periculosior, ista ridiculosior. Nam quodammodo amentes, videri solent, qui surdastri sunt: cœci verò magis miseri iudicantur. Itaque surdos risu, cœcos miseratione prosequimur. Sapiens vtrumque contemnit; nec quid aliis videatur, æstimat, sed quid sit. *D.* Auditum perdidi. *R.A.* Adulantium iam susurros, atque obtrectantium iurgia euasisti: diuersimodum, sed par malum; nisi quòd aliquātò virilius est iurgiis, quam blanditiis adhibere aures. Illis namque medicamentū aliquando, his venenū ineſt semper. Illud ergò sæpè mordendo sanat, hoc mulcendo inquinat; atque ita peior est falsus amor, vero odio. *D.* Amisi auditum. *R.A.* Iam quod ars Vlyssi præstitisse fertur, tibi iam vel natura præstitit, vel casus aliquis, vt Sirenum cantus, surda tutus aure pertranseas. Felicem te, si æstimas, quod inde pericula penetrare in animum potuissent; quotque olim inde mendacia, quot errores, quot demum molestiæ subiere. *D.* Auditum amisi. *R.A.* Philomenam credo, vel citharam tibiasque nō audies; sed nec rudentes itidem asellos, nec grunnientes sues, nec vlulantes lupos, nec latrantes canes, nec sæuientes vrsos, nec rugientes audies leones, nec gementes pueros, nec altercantes auiculas. Nec postremò his omnib. grauiores vndique personantes stultorum risus ineptissimos,

& inconditos fletus, & confusas voces, quo nullus vsquam sonus inamœnior. *D.* Auditu careo. *P.* Multiplicibus ereptus es fraudibus. Nulla re crebriùs falluntur homines, quàm verbis. Nihil huic periculi est surdo. *D.* Obtorpuere saures mihi. *R.A.* Periculosa pars corporis, præcipuæque principibus, qui per illam adulatorum flatibus tumefacti, sæpè cum populorum risu, suaque pernicie crepuere. *D.* Auditus hebet. *R.A.* Si cum aliis loqui prohibitum est, tecum loquere Ciceroniani memor illius: Qui secum loqui potest, sermonem alterius non requiret; quamuis & colloqui surdo quoque permissum, legendo scilicet, scribendoque, cum antiquis nempe loquitur, qui legit; at cum posteris, qui scribit: ad hæc, cœlestis philosophiæ libros, & qui legit, Deum audit, & qui orat, alloquitur. In hoc quidem gemino colloquio, nec lingua, nec auribus opus est, sed oculis, digitisque, ac deuoto animo. Et hic igitur, vt in multis, nostri consilium Ciceronis amplectemur, vt sicut cœcus aurium, sic se surdus oculorum subsidio consoletur. Tu proinde si audire homines non potes; scriptos ab hominibus libros lege, & legendos ab hominibus libros scribe. Cælũ præterea, ac terras, & maria respice, horumque omnium authorem in silentio contemplare. Nil ad hoc surditas ista nocuerit, multum fortasse profuerit. *P.* Auditus me destituit. *R.* Quibus tonis aut numeris, aut diapente constet, aut diapason; quibúsve proportiones aliæ, quæ tractantur à musicis, nosse, vel surdus potest. Et quamuis humanæ vocis, fidiumque, vel organi modos, auribus non audiat; si tamen causas animo tenet, delectationem intellectus, haud dubiè, præferet aurium voluptati. Finge, & hos ipsos musicos numeros

surdo ignotos, modò virtutis numeri noti sint, seque in illis exerceat, bene est. Nil hic quoque surdatis nocet. Melius enim multò est, bonum fieri, quàm doctum; etsi abundè doctus, ac sapiens sit, quisquis abundè bonus est: at qui malus, idem & insipiens, & indoctus; omnium licet quæ sub cælo sunt, eruditissimus literarum. *D.* Auditus elanguit. *R.* Bene, quòd hoc tibi non prius accidit, quàm fidem, quæ auditu maximè constat, acciperes: illam habens quid quereris? seu quid quæris? Si hominum cantus aut volucrum non percipis, cantibus cor intende cælestibus, internamque autem Deo applica. *D.* Non audio. *R.* At cogita, & dic tibi: Si non audio, quid, seu ad me, seu de me homines loquantur; audiam, quid loquatur in me dominus Deus. Illi enim sæpè bellū, hic loquitur pacē semper. *D.* Nil penitus audio. *R.* Multi silentium appetentes, longis peregrinationibus fatigati sunt, vt aliquibus abditis & semotis in locis, quod cuperēt, inuenirent. Tu, quod ab aliis operosè quæritur, vbi liber tecum habes: disce iam bono tuo vti, & transfacti memor strepitus, veterumque tumultuum tandem incipe silentio delectari.

De Tædio Vitæ. DIAL. XCVIII.

Quos vitæ tædet, sperando viuere discant,
Lectio, scriptæ, lalo, tædia cuncta fugant.

DOL.

VItæ me tædium ingens tenet. *R.* Ex præmissis ortum malum, quo nescio an vix aliud periculosius; quippe molestissimum per se, desperationi quoque contiguum, atque ad illam via est; pro quo nominatim institutum est, ve-

vestris in templis, auxilium implorare felicium animarum quæ terrenis tædiis vinclisque corporeis resolutæ, cœlestibus perfruuntur gaudiis, ac securitate mentis æterna. *D.* Multa me vndique vitæ tædia circundant. *R.* Propellenda tædia cogitationibus lætis, ac spe bona, & amicorum solatio, & librorum, & delectationum honestarum alterna varietate, atque exercitiis iucundis: inertiæ fuga, sed imprimis patientia rerum, & longanimitate inuicta; neque vel præsentium odio, vel futuri desiderio; nec metu denique, nec spe vlla anticipandus vitæ finis, quod stulti quidam, ac miseri fecerunt; qui dum paupertatem, vitæque tædia ac labores temporales fugiunt, in æternos incidunt. Sine Ciceronem nostrum loqui. mortem Catonis huius vltimi, suis in libris officialibus, excusantem. Sine loqui Senecam, & hanc ipsam miris laudibus celebrantem, & multis in locis disputantem, certis ex causis arcessendam manu mortem: verior altera multoque melior Ciceronianâ sententiâ; qua & tibi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum. ne scilicet assignatum munus diffugisse videamini, quin, & illud è cœlo tibi etiam dictum crede: Nisi te Deus is, cuius est templum hoc omne, quod aspicis, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest: & ad summam, caue, ne aut vllo vnquam vitæ tædio ita mortem cogites, vt occupare illam tibi licitum putes; aut vllo gaudio ita non cogites, vt incautum illa animum improuisa deiiciat.

De Grauitate corporis. DIAL XCIX.

Crapula vitetur, moderatè sumito cænas,
Sic crassum tenui ventre leuabis onus.

DOL.

GRauis sum corpore. *R.* Queri posses, si vt volucris ad volatum, non vt vir ad virtutē, natus esses. *D.* Graue corpus, & inhabile est. *RAT.* Hanc querelam Roscio dimitte, atque Æsopo. Tu, si vel per arctum circulum flecti, vel per funem aëreum labi nequis, quid ad rem? Ito cum viris bonis gressu sobrio. Gestus, ac saltus histrionum sunt. Sapientem, vt in actibus, vtque in verbis, sic in incessu grauitas decet, atque modestia. *D.* Graui corpore sum. *R.* Hæc grauedo vna comitum senectutis esse solet, ne qui illam amiserit, hanc excludat, quamuis interdum non ætatis, sed naturæ comes inueniatur. Vnde fit, vt & iuuenes graues, & seniculos agiles videamus. Cæterum, & graui sub corpore, sæpè animus leuis, & sub leui grauis habitat; corporis tamen, atque animi proportio quædam, parilitásque si obuenerit, haud spernenda est. *D.* Moles corporis ingens est. *R.* Non minor, quamuis inuisibilis animi moles, & constantia: hanc illi obiice, nihil graue erit. *D.* Mole corporea demergor. *RAT.* Agilitate mentis emerge, & illam extenuare, ac discutere laborando stude: circumeundo res multas, & difficiles agendo, exercitio mentis, & corporis exilio voluptatum pelle otia, arcesse negotia, sperne libidines, odi inertiam, curas ama, molliciem abiice, sectare duriciem, asperis delectare; cibo, potu, acubitu, sessione, intentione perpetua, somno breui, ac sollicito. *D.* Mole corporea laboro. *R.* Alius contrario,

trario, alius alio laborat. Nullius sine labore vita agitur; sed quisquis suum nouit, alienum vel despicit, vel ignorat. *D.* Multum corporeæ molis excreuit. *R. A.* Si hominis nomen, quod mortale est animal, ab humo dicitur, sic maximè homo erit multa humo obsitus: non potest tamen sic cælestem naturam, terrestris obruere quin assurgat; nisi se surdam virtuti, & male suadenti credulam præbeat voluptati. *D.* Graue corpus animam premit. *R.* Ipsum collige animum, & enormem sarcinam magno nisi perfer; ac cogita sæpe cœlestia ingenia, ex hoc fasce corporeæ molis erumpere, & miram ad altitudinem peruenire. *D.* Corporis onere prægrauor. *R.* Etsi vinci nequeat natura, omni tamen studio enitere, vt indies & viribus tuis accedat aliquid, & sarcinæ detrahatur.

De Grauis Ingenij tarditate. DIAL. C.

Obtusum ingenium studijs molliscet, & arte,
Omnia cura frequens vincit, & ipse labor.

DOI.

AT grauis duróque sum ingenio. *R.* Graue do molestior, sed hæc quoque minuitur, si diligenter intenderis. *D.* At pigro, obtusoque sum ingenio. *R. A.* Quid tu igitur huic morbo indignatione, an lamentis succurrendum putas? Longè alio remedio res eget: non est indulgendum somno, non libidini, non cibo, non vino, non inanibus fabulis, non captandæ excusationum causæ, & reflexa in naturam culpa inertiæ succumbendum; sed vigilandum, cogitandum, suspirandum, anhelandum, enitendum, assurgendum, incitanda vis animi, excutiendus torpor, propellenda segnities, abstinendum volu-

ptatibus, incumbendum studiis. Nil tam graue, quod non leuet; nil tam durum, quod non leniat, nil tam obtusum, quod non acuat; nil tam pigrum, quod non vrgeat; nil denique tam defossum, támque obstrusum, quod non eruat: tam sopitum quod non excitet intentio. *D.* Ingenio tardo sum. *R.* Qui velocitatem ingenij laudem dicunt, tarditatem dicturos infamiam, certè scio. Malim tamen ingenium tardum, ac modestum, quàm velox, & præruptum. Nam vt inde non insignis gloriæ, nec spes operum magnorum; ita hinc errorum grauium, & turpis ignominiæ metus est; tolerabilius autem multò est, fieri inglorium, quàm infamem. *D.* Ingenio segni sum. *R.* Quod equis segnibus fieri solet stimulos adhibe; non hinc tibi corporis excusatio, sed laboris occasio data est. Sunt, qui statim quod non vltrò prouenerit, deserendum putent; at tu preme, insta contende. Generosum animum difficultas erigit alit labor, illic maximè nititur, ídque pluris æstimat, vbi resistentiæ plus inuenerit. Factum studio ingeniosum Socratem legis, disertúmque Demosthenem: & quàm multis idem accidit singulare quidem nomen, pauci occupant. Rarior est fama, quàm meritum. *D.* Ingenio hebes sum. *R.* Non tibi profectus ideò spes erepta, sed industriæ inuenta necessitas. Glorioſius autem tantò est, studio prouehi quàm natura; quantò satius proposito loqui, boni aliquid agere, quàm casu. *D.* Ingenio tardo prorsus, & inualido sum. *R.* Si litteris non potes, at virtuti stude. Nemo non ad illam satis ingenioſus, vbi non acumen quæritur, sed voluntas; ad quam quidam literas nil prodesse, alij obesse etiam opinati sunt: ideoque desertis studiis in solitudines abire, & exi-

eximiæ illis scientiæ loco fuit, ignorantia literarum; de quorum iudicio pronunciare difficile est. Idem [de quo constat] extremum accipe. Nemo te fallat, non te vulgi stupor, nec stultorum voces moueant. Maius tutiusque est virtute quàm literis clarum fieri. Itaque semper illud optabile, sæpè istud formidabile, res ostendit: quòd si ad virtutem animi, literarum lux accesserit, tum demum consummatum quiddam atque perfectum est ea quidem, si qua in rebus humanis potest esse perfectio.

De inopi, & infirma memoria. DIAL. CI.

Prospice nunc domui, comes est obliuio morus;
Colla libens subeat tarda senecta Deo.

DOL.

SEd memoria inopi, & infirma sum. *R.A.* Est hęc alia senectutis infamia, haud verior, quàm reliquæ; sed vt vera sit, huic quoque studij ope subuenias. *D.* Memoria labascit. *R.* Adesto, ne corruat; & labentem, iugi exercitatione sustenta. Fac, quod muro ruinam minanti; adhibe repagula opportunis locis, & fragilem crebris, ac validis adminiculis circunualla. *D.* Memoria fluxa est. *R.A.* Diligentia, & artificio illam stringe; cunctis ingenij, memoriæque defectibus occurrit industria. Nil patitur industria perire, nil minui. Hæc est quæ philosophos, & poëtas senes, virentissimo ingenio ac stilo; hæc est, quæ decrepitos oratores voce solida, validisque lateribus, ac tenaci memoria seruare potest: quod, nisi sic esset, nunquam Solon, & quotidie discens aliquid senescceret & supremum agens spiritum, ad colloquium assidentium amicorum, ex ipsa iam quasi morte consurgeret: non Chrysippus a-

cutissimum illud, ac profundissimum volumen coeptum iuueni, in extrema perficeret, senectute; non Homerus illa aetate diuinum, & scæleste opus excuderet, non Simonides octuagesimo vitæ anno in Pierium illud certamen, iuuenili feruore animi, senili autem maturitate, descenderet: non quarto, & nonagesimo Isocrates, ardens illud opus, ac mirabile: & propè centesimum Sophocles, tragici summum stili decus, suam compleret Oedipoden. Non octogenario maior Cato, nulla mutatione vocis, aut lucrum, nullo memoriæ lapsu, vel in graui se ipsum accusatione defenderet; vel clarissimos oratores vltrò ipse ad iudicium euocaret. *D.* Infida memoria est. *R.* Noli ergò illi fidere; sæpè calculum secum pone; quicquid credideris, confestim exige; & quod cras facturus fueras, nunc facito. Non est tuta dilatio. Si ex malis, si quid boni potes, elice. Fides socij desidiam parit, diligentiam perfidia. *D.* Memoria sum pene nulla. *R.* Ea est rerum conditio humanarum, vt qui pauciora meminerit, minor illi fletuum causa sit: vbi nec emendatio, nec pœnitentia vtilis locum habet, quid superest aliud, quàm obliuionis auxiliū?

De Eloquentiæ defectu. DIAL. CII.

Inuidiam sermone paras, hominumque fauorem.
Prodest apta loqui, non tacuisse nocet.

DOL.

ELoquium deest. *R.* Altero quærendi odij instrumento cares; naturæ beneficium agnosce; quæ, vt magnum tibi in ancipites reos, sic in te paruum fortunæ ius eripuit: multi propter eloquentiam periere; si hinc dubitas, vtriusque eloquij principes interroga. Nam minorum,

norum, ob hanc, causa passim pereuntium plena sunt omnia. In quibus, idem ipse periculo, qui excellentiæ, est proprior, ac notior fama. Sunt quibus obscurum nomen propugnaculum est salutis. Finge autem abesse periculum; disertis nunquam abest labor. Nihil est in rebus tam inane, pro quo tanti labores, tantæque vigiliæ vltrò suscipiantur; flatus volatilis, sic exercet animum: solida quasi virtus in verbis. *D.* Eloquentiæ nihil est mihi. *R.A.* Fortasse multum securitatis, quod non esset, si eloquentiæ multum esset, multorum quoque, in quibus & tuta forsitan vt vita, sic & tutior fama erit. *D.* Nihil est eloquentiæ. *R.* Cura vt sapientiæ sit aliquid, vt innocentiæ, vt virtutis. Illa enim paucorum, hæc sunt omnium. Non te insignis poetarum, non te maior oratorum raritas trahat Imò verò vide, vt subitò dictum mutem; si te raritas allicit, hoc age; hac ad illam itur via. Indignum quidem, vt nihil melius, sic nil rarius virtute Eloquentia ipsa, quam paucorum dixi, multò est crebrior, quàm virtus; adeò, quod omnes possunt, omnes negligunt. Quod pauci possunt, omnes appetunt, omnes experiuntur. *D.* Verborum inopsum. *R.A.* Rebus intende animum. In verbis enim flatus, & labor, & eloquium; in rebus quies, virtus, ac felicitas. *D.* Loqui nescio. *R.* Multi, qui minus sciunt, magis agere gestiunt. Equitandi inscium, equo impone; vix illum inde diuul seris; teloquendi ignarum, saltem pudor ad tacendum cogat; &, si loqui nescis, quod alij audiant, disce loquentes alios audire. Non est minus artificium tacere, quàm loqui; cum sit tutius, atque facilius *D.* Non possum exprimere, quod in corde est. *R.A.* Si intellectu volles, magnisque & altis, qui in animo sunt, sensibus: iucunda vox.

& volubilis lingua non ſuppetit, quieſce. Noli quod infeliciter ſuccedit, retentare. Quid ergo? bono tuo non tantùm æquanimiter, ſed lætè vtere. Alienum linque aliis neu linguam, ſtilúmque ſuperuacuo atteras. Sine, inquam, loqui alios, tu intellige: cùm ſecretior, tum maior ex ingenio voluptas, quàm ex eloquio percipitur; magíſque continua; & plus quietis, & inuidiæ minùs habens. D. Coram multis loqui, pudor impedit. R. Magnis hoc viris accidiſſe notum eſt; frontis imbecillitate, non vitio linguæ, vel ingenij; quod, ſi cum multis, refugis, at cum paucis, at cum vno loquere: vt clariores fatear conciones, dulciora eloquia non negabis: ſi ne id ipſum potes, ad te redi, tecum loquere, quod iam ſuprà monui, tuúmque domeſticum collocutorem excita. Semper ille quidem pręſtò eſt, non inſidiatur, non irridet, non inuidet, non faſtidit, non exactam, atque laboriosam quærit eloquentiam, confabulationibus gaudet familiaribus, interruptíſque ſermunculis, quia & multa ſæpè loquenti ſilentio acquieſcit. Diſce tu, illo teſte, contentus eſſe, cui non qualiter, ſed quid dicas, ſeu potiùs dicere velis, attendit. Diſce tibi theatrum honeſtiſſimum medio pectoris extruere. Diſce non hominum, ſed veritatis applauſum optare, & aliquando ſine ſtrepitu gaudere, contemnátque modeſtia, quem perfecta nonnunquam extinguit eloquentia. Diſce denique non ad pompam loqui, quo vi: maius malum vita hominum habet. D. Blæſi oris ùm. R. Fles ne aliquid tibi commune cum Moyſe, tali viro, & tam Dei amico? Atqui ſeu antiqua repetis, ſeu moderna circunſpicis, vt multi occurrent blæſi viri optimi, multíque diſertiſſimi ſcelerati ſic perrari, quibus vtrunque contigeit, ſingularis e-

lo-

loquentia, & excellens virtus.

De Amissione Linguæ, & Loquelæ. DIAL. CIII.

Ingentes pecudes atque effera monstra domantur;
Exiguum membrum nemo domare potest.

DOL.

QVid quòd linguam, & loquelam perdidi? R. Quid si securitatem, & requiem inueniſti? quàm multos manu innoxios, lingua pessundedit? est voluptas stulta quidem, sed communis volentium videri feciſſe, quæ non faciunt, nec possunt. Mentitus est qui Israëliticum regem, filiumque eius occidiſſe se dixit; & facti innocens, mendacij pœnam luit. Vt periculum ceſſet, quantus est labor loqui, respondere, fabulari, fingere, comere verba, sententias librare, cogitare quid, & qualiter dicas, quámque suauiter aërem verberes [ita enim vocem ipsam diffiniunt] qualiter quoque non linguam modò, sed reliquum corpus moueas. Nam & huic se porrigit pars vna rhetoricæ: qualiter meditabundus humi frontem defigas, quam, quorsúmve manum porrigas, quo terram ferias pede; an non satis hæc operosa concinnitas, & prærepta penè muſicis opera, vt dulciter sones, angi; an non verè loqui labor, & silentium quies? D. Nullatenus loqui possum. R. Quæ, de deficiente eloquentia dicebam, multò dignius perdita repetuntur lingua. Quando igitur loqui nequis, tace, & quod neceſſitas iubet, volens facito. Quid ipſi, qui loqui possunt, sæpè vtiliùs facerent; sæpè dolent, non feciſſe. Tace, inquam, neu te damnum pati putes, tacens cogita, & quieſcens tecum loquere; quæ meliora esse, quàm perorare, ne diſerti quidem

negent. *D.* Mutut factus sum. *R.* Si muti fuissent Cicero, & Demosthenes, diutiùs vixissent & leuiùs obiissent. *D.* Linguæ vsum omnem perdidi. *R.* Et mentiendi consuetudinem, & fallendi artes, & inimicitiarum, quærendæque infamiæ instrumentum. Plures enim lingua sunt, quàm factis infames. Nulla pars corporis ad nocendum promptior, ad frenandum difficilior. Meritò ergò quasi magnum aliquid, atque rerum protulit ille qui dixit: Custodiam vias meas, ne delinquam in lingua mea. Quod cùm sanctus quidam vir, qui ad discendum sacras literas accesserat, audiuisset; abiisse dicitur, nec amplius audire voluisse. Cúmque post longum tempus præceptor suus, illum admirans, sciscitaretur, quid tamdiu absens, cœptum opus omisisset; respondisse dicitur; quod primum illud ei verbum sat, supérque negotij attulisset, nec dum illud vnum omni studio posset implere: hanc tibi custodiam, & hoc frenum, seu à natura quidem, seu à fortuna oblatum, ne contempseris, libénsque te regendum præbe, néve contra tuam sortem calcitres. *D.* Linguam amisi. *R.* Nunc maximè, quod sapiens iubet, omni custodia serua cor tuum, è duabus custodiis ad vnam redactus; & dimidia laboris parte liberatus, faciliùs pauca custodies, & preciosa vigilantiùs. *D.* Linguam perdidi. *R.* In quibusdam paucis, nobile, & argutum membrum, in magna autem parte hominum, nocens, atque pestiferum, & quo multis caruisse sit melius. Sic non solùm in seruo verum cernitur, quod Satyricus ait:

Lingua mali pars pessima serui:

sed in plerisque etiam liberis, quibus nihil peius dedit natura, quàm linguã. Bella doli adulteria, corruptelæque omnes penè cessarent, nisi lingua ma-

malum semen, & spargeret & foueret *D.* Linguam perdidi. *R.* Si malam, lucratus es plurimùm. Magnæ enim diuitiæ sunt, esse inopem malorũ. Hæc, qui non habet, diues nascitur, at qui perdidit diues fit, & nouo auctus censu, perdendo inuenit, quod inueniendo perdiderat. Quod si bonam perdidisti, dico iterum: Cor conserua amisisti quidem, quo placeres hominibus, serua quo placeas Deo. Cui si lingua non potes, corde loquere. Si enim de malis scriptum est: Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. Cur non piorum in corde pia labia esse; & ipsi corde etiam loqui possunt, vbi sint aures Dei? Verumque sit, quod alibi scribit idem? Non occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto. Nulla enim secretissimarum quoque cogitationum abscondita est Deo, nec ratos minus quàm clamantes audit. Imò non est apud illum clamor altior, vehementiorque, quàm cordis clamor, ille silentio delectatur. Hunc clamorem, compressis labiis promebat ille gregis primùm, postmodùm populi pastor famosissimus, qui audire meruit vocem Dei, dicentis sibi: quid clamas ad me? non loquebatur, & clamabat, immò quidem loquebatur, sed corde. Sicut autem, qui Deum audit, surdus non est: sic quem Deus audit, non est mutus.

De Virtutis inopia. DIAL. CIV.

Virtutum dator est solus Deus, hunc petite nulli,
Quisquis opem poscet, denegat ille suam.

DOL.

AT virtutis inops sum. *R.* Verum damnum, iustus dolor; nisi quòd aliæ omnes inopiæ naturales, aut fortuitæ, ac violẽtę esse pos-

sunt; hæc vna proculdubio voluntaria est. Cæteræ enim, vel in corpore, vel ingenio, memoriáque, vel eloquio, seu vel externis in rebus sunt: quæ quidem omnia, non qualia exoptantur, obueniũt, sed qualia cuiuscunque sors tulerit; hæc vna autem in voluntate consistit, quam pro arbitrio sibi quisque moderatur, atque efficit. Neque verò alia potest homini voluntas esse, nisi quam vultis, cuius illa est, qua & hoc ipsum vult, & quæcunque vult alia. Alioqui, si, vt virium, vtque ingenij, siue eloquij, siue opum defectus, inuito accidit: sic accideret voluntatis: nec præmio digna virtus, nec supplicio digna esset iniquitas. Nunc autem non voluntas vobis hęc, aut illa, sed huius atque illius electio ac libertas nascentibus data est; quæ in bonum flexa, bonos facit; in aduersum malos; vti licet hac, vt libet; &, si vt libet, bene vti libeat: haud dubiè Dei donum: vt malè autem, peruersitas sit volentis: illud penitus non licet: vt non & voluntas bona virtutis & mala vitij radix sit: atque ita virtutis inopiam non patitur, nisi qui vult: quoniam prima, & maxima pars virtutis est, velle. *D.* Quid quòd virtutem volo, nec assequor. *R.* Multi se id putant velle, quod nolunt; id nolunt, quod volunt: sic quisque se fallit, séque boni auidum non modò aliis, sed sibi etiã persuadere nititur: nec cuiquam faciliùs persuadet, quã delectabilis vera virtus, falsa virtutis opinio sic delectat, vt populum, & amicos fallere, & falli insuper dulce sit. *D.* Scio me velle, nec posse ideò bonum fieri. *R.* Vt sit ita, velle non sufficit, desiderio opus est, eóque non modico, sed vehementi. Vos autem mala vestra feruentissimè cupitis, bona vultis tepidissimè. vnde fit, vt diuites multi sint; boni autem pauciſſimi. Nam quid miri est,

est si citiùs ad optatum ardens intentio, quàm voluntas lenta prouehitur? *D.* Vellem bonus esse, si possem. *R.A.* Stude, nam poteris, & si bona fidevis esse, iam incipe; sed segniciem vita. Si enim minima rerum non habentur gratis, quid de virtute speres. qua nil in rebus hominum maius est. nil altius? Non tu illam quasi diuerticulum curarum, sed vt rectum, atque vnicum iter ad felicitatem cogita. Vaca illi, & insiste summo nisu, totoque animi pondere: neque vero temporis particulam, vt iucundo cuidam exercitio, sed vt ordinario vitæ officio, quod te beatum, & nullius egentem rei faciet, vniuersum tempus omne studium impende, quod rebus sæpè vilissimis impendisti, & ad memoriam refer illud sanum, magisque efficax, quàm comptum verbum Marci Varronis, ex Satyrarum eius libro: Si quantum operæ sumpsisti, inquit, vt tuus pistor bonum faceret panem eius duodecimam philosophiæ dedisses. tempore bonus iampridem esses factus: quod sic accipias velim, non vt terrenæ philosophiæ. quæ ex frequẽtatis actibus habitum spondet. cuius quanta sit promissi fides, experti sciunt; sed cœlesti sapientiæ sospitatrici optimæ, suisque consiliis, atque auxiliis te virtutis, quæve per hanc quæritur, salutis debitorem statuas, sentiasque pia confessione, grato animo quodque est scriptum. Nemo potest esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientię, scire cuius esset hoc donum; tibi nominatim dictum credas, atque ad omnem virtutem intelligas referendum. *D.* Valde quidem, esse cupio, nec sum bonus. *R.* An valde cupias res docebit. Intensæ volũtatis iudicium, perseuerantia est, Siue autem gratuitum Dei donum virtus [& profecto eam largitor ille Sydereus ni-

si constanter optantibus, instantérque precantibus vix tribuit] siue tanta in re vllæ sunt, partes ingenij humani, & cùm intentione feruida res egeat, tum & cõtinua eget, & diuturna. Nam quod studio quæritur, repentè non prouenit; sic quocunque te verteris, perseuerantiæ opus est animo: omissis ergò, neglectísque omnibus, hic incumbe: idque fiet alacrius, si memineris, semperque descriptum ante oculos habueris, ad hoc vnum, atque ad nihil aliud, te venisse in hanc terrenam habitationem, & hoc à te vnum exigi; vt virtutum gradibus cælum petas; ita quicquid agis aliud, vel superuacuum, vel damnosum sit.

De Auaritia. DIALOG. CV.

Nomen auaritia si vis amittere, fias
Munificus, perdes nomen auaritiæ.

D O L.

AVaritiæ stimulis vrgeor. *R.* Bene ais, stimulis. Nam & quærendarum opum cupiditates, stimuli quidam; & quæsitæ opes, spinæ sunt. Ita enim illas vocat qui mentiri nescit. Præclaræ verò diuitiæ, quæ & quærendæ torqueant, & quæsitæ. At si corpusculum, si naturam, si vitæ respicias breuitatẽ, videbis te frustrà superuacuis curis angi, & paucorum egentem, multa desiderare. Insupérque dum quærendis inhias, parta non cernere, atque ita quodãmodo quærenda perdere, quo nihil est stultius. *D.* Multa quærendi vrgeor appetitu. *R.* Nec aduertis, quòd inter quærendum tempus, & vita, cui illa quærebãtur elabitur. Sic mira perplexitas incidit, dum vita abundare videmini diuitiis indigetis: dúmque indigentia illa præteriit, superuenit altera, & diuitiis abundãtes, indigeris vita. Nõ hæc ignorabat ille Sapiens, vbi Io-

loquitur de eo parsimonizãte, qui dicit: Inueniam requiẽ mihi, & mãducabo nunc de bonis meis solus; & nescit, quòd tempus prætereat, & relinquit omnia aliis, & morietur. Et idem alibi: Qui acerua t iniustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. O terribile dictum, sed commune, quotidiéque se oculis ingerens, nec iccirco proficiẽs in animis Auarorũ. Idẽ rursus; Auaro, inquit, nihil est sceleſtius: & nihil est iniquius, quã amare pecunias. Et tu scias, quoniam vero omnia consonant, vt ait Aristoteles, ecce vt ecclesiastico Sapiẽti consonat: Sæcularis pecuniæ, inquit Cicero fugienda cupiditas. Nihil est enim tam angusti animi, támque parui, quàm amare diuitias.

De Inuidia, & Liuore. DIAL. CVI.

Hic verè pius est, odium qui vincit amore,
Inuidus ipse sibi, non alius obest.

DOL.

INuideo. *R.* Superior affectus, vt bene tibi esset, optabat; hic, vt male sit aliis; tantò hic illo, & auaritia peior liuor. Bene ergò Sapiens idem, de quo modo dicebam: Nequam, inquit, est oculus inuidi insatiabilis oculus cupidi. *D.* Inuidia torqueor. *R.*

Inuidia Siculi non inuenere tyranni,
Maius tormentum:

Flaccus ait. Idq; ad vestros tyrannos, pestilenti austro impellente, translatum est. *D.* Inuidia crucior. *R.* Simul & peccas, & plecteris expedita iustitia. *D.* Felicitas vicini mihi parit inuidiam. *R A.* Credo hercle; nemo vestrum Regi Parthorum, aut Persarum inuidet: ne illi quidem vobis: fuit quando viciſſim inuidebatis, quia vicinitatem faciebat imperij magnitudo. Sed an non satis

est propriis malis angi, quæ tam multa sunt, nisi & aliena bona nos crucient, vndique miseri, insani? *D.* Vicinis inuideo. *R.A.* Tritus mos; Inuidia lippa est, longinqua non videt; vicinitas, atque prosperitas, inuidiæ sunt parentes. *D.* Inuideo alienis bonis. *R.* Si es inuidus, & pusillanimis sis oportet; omnibus ex vitiis, nullum pigrius inuidia; alios in animos non ascendit. Nullum quoque miserius. Itaque reliqua omnia bonum aliquod, licet falsum, præsupponunt. Hæc solis malis pascitur, & torquetur bonis; & quod aliis optat, iam sibi habet malum. Alexandri ergò Macedonis dictum placet: Inuidos homines nil esse aliud, quàm tormenta seu tortores suos proprios: leuis adolescentis verbum graue.

De ira. DIAL. CVII.

Iræ pone modum, gremio stultitia quiescit,
Iratus sensu cum ratione caret.

DOL.

SEd irascor. *R.* Ego aduersis opem polliceor, non vitiis: non fortuita enim illa, sed voluntaria sunt, & in vestra potestate: quis te igitur cogit irasci? *D.* Irascor offensus. *R.* Is fortasse qui offendisse te arguitur, se offensum abs te queritur. Non tantum est offensarum quantum insolentiæ. *D.* Ira æstuo. *R.* Furis ergò,

Ira furor breuis est,

Inquit Flaccus: fit autem à plerisque mala consuetudine, & impatientia longus furor. Ennius autem iram initium dixit insaniæ; cum plerisque nimis illam sequentibus, finis, & insaniæ sit, & vitæ. Si quidem hæc etiam pestis, vt superbior, etsi sæpè alios, semper tamen ante alios, possessorem suum torquet, & cruciat: vt mirer, vnde quibusdam videri potuerit, huic

nescio

nescio quid melle dulcius inesse: habet fortasse vl tio dulce aliquid: efferum, inhumanum. Ita nihil, nisi amarum habet. D. Irascor ob iniurias. R. Vix iracundus vnquam adeo quisquam fuit, vt nulla re lacessitus, irasceretur, nisi fortè Cœlius senator, iracundissimus ille mortalium: qui clienti suo in omnibus sibi consentienti, atque omnia confitenti, irascens exclamauit: Dic aliquid contra, vt simus duo. Durum caput, qualiter tulisse iniurias qui obsequium non ferebat? D. Irascor, quia offendor. R. Hac in parte vulgò plurimum erratur. Quæruntur causæ finguntur offensæ, inque his ipsis, quæ veræ sant causæ iræ modus exceditur. In tribus peccatis velum aliquod excusationis obtenditur; & est excusatio ipsa peccatum. Ta, quia non tibi vt Deo paretur, irasceris; & tamen Deus ipse quotidie verbis, ac rebus offenditur; nec semper irascitur; vos omne verbulum casu elapsum ad iniuriam capitalem trahitis. Impatiens genus. D. Irascor sic meritis. R. Si de te quidem, male; si de republica modò non ira, sed iustitia illa sit optimè. Et ad summã mordicus, vt dici solet, Ciceronianum illud est tenendum: Ira procul vt absit, cum qua nihil rectè fieri nihil considerate potest. Iure ergò laudatur Architæ Tarentini dictum, & Platonis amici sui factum; quorum primus, dum se studiis dedito, possessiones suas, culpa villici, destructas, aspiceret in eum versus: Sumerem, inquit, ex te debitas pœnas, nisi tibi iratus essem. Alter iratus seruo, non impunem dimisit, vt Architas, sed amico commisit, vt supplicium exigeret: veritus ne se irę impetus; quo non deceret impelleret: hęc, horumque similia frenare iram debent, ne sequaces suos, vt solita est, in infamiam, clademque precipitet.

De Gula. DIAL. CVIII.

Corporis atque animi mors est impletio ventris.
Liberat à morbis sobrietas varijs.

DOL.

GVla vellicor. *R.* Dixi iam, his medemur, quæ inuitis accidunt. Nam quis sponte ægrotantibus medeatur? *D.* Gula sollicitor. *R.* Proprie id quidem. Nulla res tam vilis, tam sollicitos vos habet. Stupor, & pudor est cogitare, quo se humanum inclinat ingenium ad maiora creatum, ni si respueret: Terrarum tractus, cæliq́ue, & maris abdita penetratis. Meditati estis retia, & hamos, & viscum, & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & prædari vobis docuistis, ad nil aliud, nisi vt gulæ satis fiat: quam, non modò explendo, sed onerando, fatigatis; & angustum ventrem, varia arte laxatis, ac premitis obsequendo; cui aliquandò vtilior fames esset; vtilissima verò sobrietas, & fœdo illi, ac misero sæculo, simul in syluis, & nubibus, & fluctibus pacem linquens. Ita tamen eunt res. Hic est mos nobilium ante alios; hę sunt artes, quę liberales fuerant, mechanicę euasere ipsiq́ue, qui bellorum duces, ac philosophi ac rectores vrbium ac patres patriæ, esse solent. Venatores atque aucupes facti sunt; vtque intelligas nullam esse reliquã spem salutis. Nobilitati tribuitur, quod est gulæ, aut proculdubio vanitatis. Hoc malum nullo melius modo, quàm generosa quadam indignatione, & rei ipsius æstimatione contunditur, vel sensim, vt Ciceroni placuit; vel repentè, vt Aristoteli visum est. Multum confert cogitatio exitus; quod cum omnibus vitiis sit commune, tamen huic proprium, atque.

De

De Torpore animi DIAL. CIX.

Emollit vires ignaua socordia mentis,
Pellunt torporem cura, labor, studium.

DOL.

TOrpeo in agendis. R. Quis miretur, si post gulæ studium, prægrauatumque corpusculum, animi torpor obrepat? D. Animi grauior torpore. R. Torpor hic ex imperfecta voluntate oritur: mox vt bonum velle cœperis, ardor erit, atq; impetus; qui cum ad multa sit pessimus, est optimus ad virtutem. D. Tòrpeo. & ad bona opera lentus assurgo. R. Est torpor quidã animis obsitus, nec minus ardor quidam generosa pars animæ; sed & hic ardor accendetur, & ille torpor excutitur, fuga temporis intellecta, quæ tanta est, vt vix metiri eam, quamuis celer animus possit: & specie virtutis adamata, quæ talis est, vt si corporeis oculis cerni posset [quod vult Plato] mirum sui amorem paritura esset. Hinc te amor igitur, illinc metus excitet; vtraq. res insomnis: neque qui amat enim, neq; qui metuit, torpere solet, & tamen hoc ipsum, ne torpor, soporque vos noxius premat, ad diuinas laudes surgentes nocte precamini: non est somno locus, aut inertiæ, vbi vos hinc mors territat, hinc honestas allicit. Quis enim inter magna pericula, magnaque præmia consopitur? vbi ad ista respexeris, redibit vigor ad animum, fugiet somnus a oculis cogitantis, quantum nunc etiam superest imperfecti, quantum transierit ociosi; quod, quia non fit, longas ætates inutiles effluxisse conspicimus; & senes attonitos, ac stupentes dicere: Quid hic, in tot annis, egimus? Comedimus, bibimus, dormiuimus; sero tandem ex-

perrecti sumus, cuius mali præcipua causa est torpor iste, quem quereris; abigendus in tempore stimulis industriæ, freno prouidentiæ, ne cunctando, ad inglorium finem, cum multitudine rapiaris.

De Luxuria. DIAL. CX.

Otia stollas, periere cupidinis arcus,
Comen ptaque iacent, & sine luce, faces.

DOL.

AEstu quatior libidinum. *R.* Atqui libidinem torpor gignit: gula autem illam parit. Quid miri igitur, si fidam post parentes sequi gulam certè & luxuriam, communes vobis esse cum belluis, maximeque bestialem vitam vestram facere, sapientibus visum est. Itaque cum sint alia grauiora mala, nullum vilius. *D.* Libidine rapior. *R.* Quo nam verò, nisi ad mortem animæ, & corporis, & infamem notam, seramque pœnitentiam, & fortasse inutilem? Nunc igitur, & raptantem sequere, quæ te tales raptet ad exitus. Cogita autem innumerabilium casus miserabile ac famosos, non modò singularium hominum, sed vrbiū, & regnorum, qui tibi partim visu, partim auditu, & maximè lectione debent esse notissimi; raptanti nequaquam, vt arbitror, manum dabis. Audi enim, quid hinc doctissimi viri senserint, ac scripserint. Voluptates, ait Cicero, blandissimæ dominæ, maiores partes animi à virtute detorquent. In hoc, inquit Seneca, nos complectuntur, vt strangulent: non aliter ergò, quàm latruncúli viatoribus insidiantes, eosque seducentes, ac per mētes, declinādæ sunt. In quod valde proderit, si illud præclarissimè apud Liuiū à Scipione Africano Masinissæ dictum

dictum, quod & sibi, quisquis hac peste laborabit, accipiat dictum. Vince, inquit, animum; caue deformes multa bona vno vitio & tot meritorum gratiam maiore culpa, quàm causa culpa est, corrumpas. Idque facilius fiet, si quis acriter rei vilitatem, obscœnitatem, breuitatem, finem cogitet; at longum dedecus, horæque fugacis, forsitan, aut momenti vnius illecebras, multorum annorum pœnitentia, vel externo fortasse supplicio puniendas.

De Superbia. DIAL. CXI.

Lucifer um pepulit de sede superbia cœli,
Luciferi fastus te faciet socium.

DOL.

SVperbia extollor. R. Quid superbis autem Terra & Cinis? tu ne tantorum malorum face oppressus extolleris? qui sit e, omnibus malis explicitus; virtutum omnium alis euectus attolleres, hoc vno, bona omnia corrupisses. Nihil est enim odiosius Deo, quàm superbia. Per hanc enim ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam, tu peccator, vis ascendere. Si sic illi, ob id vnum accidit, quid per hoc, aliis culpis adiunctum, tibi euenturum arbitraris; malum sarcinis tuis cumulum super imposuisti. D. Superbia vehor. R. Cur quæso, an non te mortalem, an non assiduè fatiscentem, an non peccatorem, an non mille casibus expositum, an non morti obnoxium incertæ, an non denique te miserum meministi, & non famosissimum illud Homericum audiuisti? Nihil miserius terra nutrit homine. Scire velim, quid te horum potissimè ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorũ, an vitæ breuitas, an cœcitas

animi, inter ſpes vrniſſimas; metuſque perpetuos fluctuantis; an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum, ac præſentium; an hoſtium inſidiæ, an mortes amicorum, an aduerſitas perſeuerans, an fugitiua proſperitas? Hæc, non aliæ vobis ſunt, quàm ad ſuperbi, ſcalæ: his aſcenditis ad ruinam. Atqui cætera hominum pericula, etſi iniuſtam, aliquam tamen excuſationem: ſuperbia, & inuidia nullam habent. *D.* Doleo me ſuperbum. *R.* De peccato dolere primus ad ſalutem gradus eſt: & ſicut ſuperbia eſt, extollere: ſic humilitas eſt, dolere, ſeque ſubmittere: facilè factu, quod quidem erit, mox vt oculos in te ipſum, tota intentione, reflexeris: quod cum ita ſit, nolo tibi, nec oportet, librorum partes ſcriptas aduerſus peccata congerere: hoc ſatis eſt cuncta arbitrij tui eſſe, deſitura illico, vt bona fide volueris, vtque aiunt receptui cecineris, teque ad tua ſigna conuerteris: quod ad præſens malum attinet, vnum illud adiecerim: Superbiam eſſe ægritudinem miſerorum, ac ſtultorum: tales nempe ſunt haud dubiè, qui ſuperbiunt: neque enim aliter ſuperbirent: neque verò ſine cauſa in libro ſapientiæ ſcriptum eſt: Omnes inſipientes, & infelices, ſupra modum animæ ſuæ ſuperbi ſunt. Certè animæ ſuæ, ſi ſaperent, modus erat, humiliati, conditionis imbecillitate cognita. Sic enim eodem libro ſcriptum legis: Rex hodie eſt, & cras morietur. Cum enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit: quoniam initium omnis peccati, eſt ſuperbia. Nota ſunt reliqua, quibus acriter circunſpectis, monſtrum eſt ſuperbus homuncio.

De

De Febribus. DIAL. CXII.

Sæpe ferunt animæ morborum verba salutem.
Ægrotus melius dixit amare Deum.

DOL.

FEbribus æstuo. *R.* Æstus hic, aut tempore finiendus, aut frigore; vtrumuis fecerit, bene erit. *D.* Febribus vrgeor. *R.* Omnis hic contra naturam motus, plus habet impetus, quam diuturnitatis: & sæpè duorum facit alterum, aut corpus expurgat aut animā absoluit. *D.* Febribus teneor. *R.* Non longum teneberis, expecta. Citò te vel sanum oportet esse, vel liberum: vtrunque optimū. *D.* Febribus laboro. *R.* Illicò requiescès. Natura cum morte confligit, operire exitum duelli: prope est hora vel hinc te morbo, vel omnibus exemptu ra. *D.* Febribus ardeo. *R.* Minus mali est, corpus ardere, quam animum, de quo præcedentes tuæ sentiē proximæ sunt querelæ. Quid si ardor, alterius, salubris est alteri? Quid si hic ardor, quanuis asper, optabilis est? quantum denique boni est præsentis vitæ mala, breui gustu peremnis admonere supplicij: vt infinitas amaritudines declinare studeant, qui tam grauiter paucis horis amariuscula tolerant: atque his angustiis discant illas euadere, quibus nec physicus, nec herba medebitur, nec dies criticus, nec mors quidem. *D.* Febribus vror. *R.A.* Vermium cibus excoquitur. Ir te aliis vri, cui toties alia vsta sunt? & de supplicio consilium cape; ex quibusdam malis remedia conflantur. Sępè paruus dolor ac pręsens, vt venturis, ac grauibus occurreretur, admonuit; fuitq; vtilis, qui molestus erat. Felix incēdiū breue quod ęterni refrigerij causa est. *D.* Febribus exerceor. *R.* Eris

iam bonæ valetudinis æstimator idoneus: vos homines Dei dona, nisi amissa, vel intermissa, non noscitis; ingratum genus. *D.* Febre vexor importuna. *R.* Diu simul esse non potestis. Nemo diu ardet; aut illa te deseret, aut tu illam.

De Dolore Iliaco. DIAL. CXIII.

Quem colori inuisum cruciat, vel tormina ventris,
Sit patiens, quoniam sit breuis ille dolor.

DOL.

ILiacum patior dolorem. *R. A.* Sperare incipe, quandoquidem, quod iam tristius metuas, nil est. Sicut autem ad extrema gaudij peruenisse, principium est doloris; sic extremitas doloris, principium gaudij sit oportet. Contrariorum hæc est lex; Alterum ex alterius fine oritur. *D.* Dolore torqueor iliaco. *R.* Spes est, fateor, acerba solatij, nil acerbius pati posse. *D.* Iliaco crucior dolore. *R. A.* Qui dolet, ac metuit, ille miser est; vndique, sibi pars altera miseriæ, metus eripitur. Nam quid, oro, metuat, qui ipsam, quæ ab omnibus præque omnibus metuitur, mortem sperat? *D.* Iliaco dolore discrucior. *R. A.* Disce viuens mori, quodque, non nisi semel fit, sæpius experire; facies securus tandem semel, quod tam sæpè tentaueris; nihil enim noui facies, simillimus dolor iliacus morti est; nisi quòd mors facilior breuiorque, vt qui hunc fortiter tulit, nisi metus alter interueniat, multò illam fortiùs sit laturus. *D.* Dolore rumpor iliaco. *R.* Magnitudo ipsa doloris finem spondet. Nemo enim diu moritur. *D.* Quid, quòd dolor extasim parit? *R. A.* Longos febrium dolores breui transigis suspirio. *D.* Aduentare extasim intelligo. *R. A.* Vix id quidem intelligere est. Nam & repentè

tè aduenit, & præsens intellectum viribus suis priuat. *D.* Linqui animo incipio. *R.A.* O felix, qui rem necessariam [vtque aiunt] durissimam sine sensu sis obiturus. *D.* Sæpè extasim incurro. *R.* Sæpè mortuus reuiuiscis *D.* Sæpè extasim mortiferam experior. *R.* Hanc plus, quàm semel, experiri nequis. Nemo enim pluſquàm semel moritur. Quod autem optimum mortis genus esset inter doctos, ac præclaros viros aliquando quæsitum est vbi Iulius Cæsar interfuit, summus vir, & imperio, & doctrina; qui, & ipse, tempore extremo, vt de illis scriptum est, repentè linqui animo solebat; quam quæstionem ille sic absoluit, vt repentinum atque inopinum interitum commodissimum diffiniret: quæ sententia, etsi pietati, veræque religioni fortassis asperior videatur; sic tamen & cuilibet sapienti & præsertim pio, vereque religioso viuendum est, vt sibi nil repentinum, aut subitum esse possit; & si quid tale incidat animo, celeritas ipsa non noceat, & prosit corpori.

De totius Corporis Dolore DIAL. CXIV.

Si corpus morbi totum inuasere molesti,
Crede salus animo certa parata tuo est.

DOL.

TOto corpore langueo. *R.A.* Si non languet hospes corporis animus, bene est; quicquid tuguriolo suo eueniat saluus eruperit. *D.* Toto corpore crucior; ingens malum. *R.A.* Stoici vnum, in rebus omnibus humanis bonum dicunt virtutem. Et quamuis alij aliter; hæc verior tamen, viriliorque sententia visa est; cui consequens est, vnum quodque quod huic bono obiicitur malum, esse vitium; quo fit, vt dolor corpo-

ris moleſtiſſimus ſit, malum tamen vtique non ſit. *D.* Hei mihi mi!ero, ego torqueor, tu diſputas; philoſophicæ fabellæ. *R.A.* Iure te miſerum dicis, vel hoc ipſo, quòd humanæ vitæ regulas, fabellas vocas. *D.* Sonora hæc in ſcholis, famoſa per libros, ſed nec eculeos; nec ægrotantium aſcenſura grabatulos, dicuntur, ſcribunturque facilius, quàm probantur. *R.A.* Immo verò, & ad dolorem, & ad ægritudinem, & ad mortem proſunt, ſed non omnibus; quippe quæ non omnibus inſedêre pectoribus: & profectò quibus credita non ſunt, ſalubria eſſe non poſſunt. *D.* Heu ego crucior, tu diſputas. *R.A.* Iſte tuus dolor neceſſariò, aut lentus erit, aut intenſus; atque ita, vel facilem, vel breuem patientiam requirit. *D.* Hei mihi, ſummo crucior dolore. *R.A.* Si ſummus, nempe breuis eſt dolor: parce gemitibus, aut fugiet, aut fugat, eſt neceſſe. Sic vtrinque libertas in foribus. Interim forti animo ferre mortalia, ſpecioſum, ac virile eſt. Specioſum dictu fateor: factu, ne poſſibile quidem reor. *R.A.* Non impoſſibilitas rerum eſt, ſed mollicies hominum, quæ virtutis innumeros deſertores fecit, & faciet; dum omne difficile, tanquam impoſſibile, reſpuitur; virtus periit, cuius materia difficultas quidem, ſed honeſta eſt. *D.* Sumus homines, non Dij; & moribunda corpuſcula, vim doloris ferre non valent. *R.A.* Fragilia corpora humana non negem, ſed non vſque adeò, quin vſque ad tolerantiam omnis aduerſi, ſat virium habitura ſint; niſi maior multò eſſet infirmitas animorum. Illa eſt, quæ viro indignos eiulatus, & muliebres, atque humiles voces elicit. Quid eſt enim, oro te, cur impoſſibile homini cenſeas, quod ſæpè olim, & potuiſſe vides hominem, & feciſſe? *D.* Heu mihi,

mihi, rursus ad historias vocor, & in medio dolorum æstu, vix præsentium, vix mei ipsius memor, in memoriam protrahor antiquorum. *R.A.* An non ergò clarorum recordatio virorum, qui similia fortiter passi sunt, magnum affert, in omni rerum asperitate, solatium, & lenimen? *D.* Sentio, ad imitandum rarissimos hortaris; glorioſa consilia, sed alta nimium, supraque hominem. *R.A.* Quid supra hominem dicis? non Deorum tibi, sed hominum rationes, hominumque exempla proponimus. *D.* Hominum fateor, sed paucorum; estque vltima, & exacta raritas, nullitati proxima. Non multùm inter phœnicem, & chimeram nihil esse volunt: apud alios namque Siciliæ mons est. *R.A.* Quasi verò imitandus tibi proponatur phœnix, & non acies virorum; quæ, quò rarior, eò dignior, cui similis fieri velis: quisquis raros sequi negliget, rarus esse vir non poterit. *D.* Video: vnum ex paucis fieri iubes, vnus ex multis sum. *R.A.* Propè nullum te maluerim, quàm ex multis vnum: nescio enim an non esse, an stultum esse, sit melius. Atqui plurimorum, idem, & stultorum è numero, sit oportet. *D.* Ego verò nil peius esse, quàm nil esse, scio. *R.A.* Nescis, quid mali sit, esse aliquid, nec esse, quod debeas. *D.* Ita hoc dicis, quasi, quod vni fortè accidit, debitum sit omnibus, idque ad omnes trahi velis. *R.A.* Male ais, fortè: virtus enim non fortuita, sed deliberatiua prorsus, & electiua est; non casu equidem quærenda, sed studio. Neque ego, quod vni casus dedit, ad cunctos, sed quod virtus multis tribuit, ad vnum traho, ad omnes tractura libentiùs, sed in vno etiam defatigor. *DO.* At, non omnia possumus omnes. *R.A.* Non poëticum modò, sed pa-

storium est verbum. Scio: sed te posse aliquid, quod non omnes possint, immo iam potes, velle cupio. *D.* Quid, heu miserum, inquietas; nonne satis igitur torquet dolor? *R.A.* Quietem potiùs afferre, & hunc tibi terrorem auferre meditor: quod, nisi tu, qui potes, manum dederis, sola non possum. *D.* Papæ, quid hoc est quod me posse ais: an possum dolorem non sentire, quem sentio, aut malum negare, quod pessimum experior? *R.A.* Primùm non requiro; obstat enim natura; alterum ne impetrem; non natura, non veritas, error solus obstiterit. *DO.* Proh superi quorsum hæc inania, quæ philosophica dicitis! scio planè dolorem non esse animi vitium, sed corporis. Scio dolorem aliud esse; quàm perfidiam: dolere aliud, quàm furari: hæc me, vt noua, ne doceas, satis magnum, etsi nil addideris, per se dolor, malum; cuius ego, non noscendi consilio, sed ferendi, seu, quod malim, depellendi egeo: noui enim, nossemque vtinam minus, quid est dolor. *R.A.* Et ego dolorem rem acerbam scio, immitem, horridam, amaram, tristem, naturæ aduersam, sensibus odiosam; sed quæ virtutis ope, non dico dulcescere, quod Epicurus dixit, secum ipse dissentiens; sed leniri, frangique, forsque etiam, si vera animum virtus amauerit, aut sentiri, partius, aut quodammodo, nec sentiri quidem possit. *DO.* Armatus, an inermis ego dolorem valde sentio, & malum grande profiteor. *R.A.* Professionem aliam ex te optabam. *DO.* Heu rursus ad speciosa retrahimur; delectant aures verba magnifica, sed vera animum. Quid si dolor enim corporis, animi patientia maior sit? *R.A.* Quid si nullæ corporis, vel illecebræ, vel molestiæ, nulli angores, stantis, atque

que obstantis animi viribus pares sunt ? Quid si in omni luctamine, modò non volens, terga dederit, sed toto nisu, ac bona fide restiterit, semper animus superior fuit, semper abiit victor? *DO.* Quid verò, si doloris intolerantiam morbi fœditas grauat, & fastidium, & pudor ? Quid si lepra putre corpus, ac miserum inuasit, quid hic mihi sermo tuus iste contulerit ? *RA.* Multum sanè, ni respuis; ostendet tibi te, qui cuncta respiciens, te non vides; iubebit meminisse terreum, & mortale corpusculum tibi esse, non aëreum, neque æternum ; nec mirari quidem oportere, nec indignari, si putredo in terram suam, si in sedem fluxerit: esse hominis mentem, & supremа eius, ni rebellent, ad felicitatem, perpetuitatemque dispositam ; eiusdem partes infimas, & morti obnoxias, & omnis miseriæ capaces. Seu lepra igitur, seu epilepsia, seu quid his turpius, aut tristius inciderit, cogitandum tibi acriter in miseriarum vasculum descendisse, quod suum erat, destinatumque illo figulo, ab æterno: contra quem lutea vasa ne murmurent, admonentur, quod illud in honorem, hoc in contumeliam, verùm cuncta fragilia finxerit, atque mortalia. *LO.* Ergò ego, te consule, fine murmure, & gemitu lepram feram ? *RA.* Planè me consule atque authore; cui, si ostenderis murmure, aut gemitum vtilem tibi leuamenque aliquod mali esse, versis vltrò consiliis, vtrumque permiserim seu iusserim. Quòd si indignatio, & querelæ nil aliud, quàm accessio mali sunt, quid morbo corporis, addere animi morbum iuuat, teque miseriorem flendo facere, & illum tibi forsan infestiorē, qui labores hominum ex alto videt, patientiamque considerat, quam aut remedio compenset, aut

præmio? An verò aduersus omnes corporeas pestes, seu quoniam nominatim vnam defles, parum solatij contra hanc ipsam est, nosse lepram superficiei vitium, vel coloris esse, non valetudinis, aut integritatis sensuum, atque membrorum? vt Augustino visum scimus, nec physici contradicunt. Sed vt cutem penetret, artusque dilacerans, in præcordia ima descendat; quod fegisse legitur Plotino ingenti Platonico; in animam certè descendere, nisi ipsa consenserit, non potest; qua incolumi, non pluris extrinsecus corporis sui habitus apud illam erit, quàm bene valentem, apud hospitem, hospitij fortè paries extimus ventis ac imbribus scaber sit. Quid, quòd lepra possessorem suum vulgo eripit, consortioque hominum sæpè eorum, quos, vt fugeres, recusandum nihil, nulliusque non auxilium implorandum erat? Vt ad calculum res redeat: multis illa corpus tædiis implicans, multis animum explicuit. *D.* Heu quid credam, rerum pessima laudanti? *R.A.* Rerum pessima, non corporis, sed animi vitia, morbique sunt: nec idcirco ego lepram, sed æquanimitatem & patientiam laudo, nec indignanter, nimiumque flebiliter ferre suadeo, humanarum tuam propriam rerum sortem, cum summo tibi præsertim Imperatore, ac philosopho, Constantino scilicet, ac Plotino, de quo modò diximus, communem. Postremò ante oculos habere cœli dominum, non lepram odisse, sed vitium: eumque ipsum Angelorum iudicem, atque hominum, de quo scriptum est: Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos: non tamen leprosos horruisse, seu fugisse, sed illorum domos adiisse, atque conuiuiis interfuisse. *D.* Tu me

me verbis ſuperas, dolor rebus; ego autem non philoſophorum nugis, hac in re, ſed ſenſibus meis credo; illi mihi, quid renuncient, ſcio. *R.A.* Primùm quidem propter philoſophorum aliquot, vt verè ais, nugas, quas nec excuſare poſſum, nec negare, philoſophiæ totius grauitas non perit, quæ in eo, quod nunc agitur, vt in multis, laboranti animæ, vna in terris tuta proculdubio arx eſt. Deinde nihil abſurdius, inter mihi amicos, quàm ſenſuum fallaci iudicio verum quæri; ingenio, ac ſtudio veritas eſt quærenda, non ſenſibus. *D.* Heu quid me crucias, & dolori meo addis tædium? proferas remedium: iam nunquam tu, nunquam philoſophia tecum faciet, vt non ſentiam, quod ſentio. *R.A.* Mos gerendus delicato, ac faſtidienti agro, permittendumque aliquid interdum, quod per ſe nociuum, ſed vtentis deſiderio fit vtile. Itaque facilè patiar, vt ſi langor ſi ſupplicium, ſi offenſio, afflictioque corporis mala ſunt, quæ incommoda Stoicis dici videntur honeſtiùs, ipſe quoque dolor hinc oriens, dici viderique malum, & ſi ita vis ingens, poſſit, ſed virtute ſuperabile; vtque iam litigio verbi cedam, amicus noſter Cicero, nos reducet in gratiam: Non enim dolorem, inquit, dolorem eſſe nego. Cur enim fortitudo deſideraretur? Sed eum opprimi dico patientia, ſi modò eſt aliquid patientia: ſi nihil eſt, quid exornamur philoſophia, aut quid eius nomine glorioſi ſumus? Hæc Cicero. Multa tibi præterea diuinè, contra hoc, ſeu incommodum, ſeu malum, in Tuſculano ſuo, ſcilicet ſecunda luce differuit; quinque dierum diſputationes, pari librorum numero, complexus, quem ſignaſſe tibi locum volui: valet enim miris modis, ad id, quo nunc eges, maximè pa-

tientiam, roburque animi; quo eneruato, atque amisso falsæ vulgi subeunt sententiæ, & indigni viro gemitus erumpunt. *D.* Nunc langori meo propius adhibes manum, docens, vbi illa reperiam, quæ in hoc statu Stoicorum opinionibus inhumanis, ac saxeis, potiora, & mihi opportuniora confido; quamuis, & confidendo diffidam: quia, dum remedij auidus, sæpè locum illum repeto, ad tolerantiam doloris, nunquam mihi per me, nunquam vel Ciceronis ipsius, vel cuiusquam ope, virium satis inueni. *R.* Ego hanc diffidentiam non reprehendo, sed laudo; nemo sibi multum fidat, inque omni difficultate, non ab homine, sed à Deo speret auxilium: at non ita, vt armatos venturos sibi de cœlo Deos credat; malis forsan interdum, nunquam certè diuinitas inertibus fauit; vt subsidio dignus sis quod in te est, facito: excitandus, attollendus, & armandus est animus, contraque suos hostes, in aciem educendus. *D.* Reliqua [nisi fallor] intelligo, vnum quæro. Quænam sunt hæc arma animi, quæ memoras? *R.* Bene habet: iam accipio spem salutis tuæ. Inter asperitates enim rerum, fiere muliebre est: consultare autem viri, obstare, implorare consilium, atque auxilium, id virile est, & ad vincendum efficax. Arma quidem animi, & bellandi artes, pro diuersitate hostium, multæ, & variæ sunt. Nec vllum philosophiæ munus vtilius, aut sanctius, quàm de his agere, quæ [vt reor] aliquantò magis ad vos pertinent, quam nosse quid agant astra, quid natam Iuppiter intuens, promittat; quid Saturno iunctus Mars minetur, quos Mercurius interpres vagus, à patre, fratreque mores capiat quos ab obuiis quibusque: vnde imber, & æstus

æstus; vnde tremor terris; qua vi maria alta tumescant; & non noscę, vnde æstus, ac tumor, tremorque, ac debilitas animorum; quibúsve remediis temperetur æstus, cõpescatur tumor; & tremor: & debilitas roborentur, ac firmentur: quo in studio, etsi Socratem ludat Aristoteles, idem tamen, mutato fortasse animo, huic rei non mediocrem operam dedit: sed hæc passim in philosophorum voluminibus sparsa sunt, quæ ignaris ingerere, operosum nimis; néque compendij huius est. Scienti verò superuacuum, cui non doceri expediat, sed moneri. *D.* Scio ita esse, neque de omnibus quærebam, sed hoc vnum, quæ tu mihi contra hunc hostem, cui nunc congredior, dolorem, arma monstrares. *R.* Ad id tibi nec melius, possum, nec breuius respondere, quàm Cicero: quærit enim, vt tu: Et quæ sunt, inquit, iste arma; respondétque illico: Contentio, confirmatio, sermoque internus. *D.* Ediffere, oro singula; legi quidem hoc sæpè olim; tamen vereor, ne mihi accidat, quod multis solet, qui apud se legẽtes, intelligere sibi omnia videntur apud alios locuturi, tum demum, nihil intellexisse se, intelligunt. Dic si libet; quænam ista contentio est? *R.* Satis id quidem, si parũ vltra progrediare, in ipsius Ciceronis verbis apparet. Sed ne quid me frustra poposcęris, dicam idem aliter. Multa sunt animis, corporibúsque similia: &, vt nullum tantum corporis robur; sic nullus animi tantus est vigor, qui non improuiso, & graui fasce curuescat. Fac prouideant, erigentur, ne vtrunque sua moles opprimat: sed deprehendat intentum: sæpe ad subitum magni hostis occursum, vir fortissimus licet, expauit: da spacium colligendi sese, ínque instans discrimen animum intendendi, venientem hostem

securus excipiet: visis cæstibus, pugnaturi athletę, brachia; viso onere, subituri illud, ceruix intenditur, & illã pugnam firmiùs obeunt, & hoc pondus intenta fert leuius, cui negligens, ac remissa succumberet. Ad hunc igitur modum, insigni difficultate conspecta, animus contra illam intendendus est; quod, si ad plenum fiat, terribilium omnium victor euadet. Alioqui [incredibile dictu est] lentus, atque imparatus animus, paruis sæpè deiicitur. Hæc est illa animi Ciceroniana contentio, seu sic dici mauis, intentio: ad hoc enim duobus his vocabulis, sensus idem, & origo, quæ, vides; apud illum in promiscuo vsu sunt, déque vnius verbi fonte descendunt. *D.* Video, téque libens audio: sed quid est confirmatio. *R.* Dicam: est, in ipsis quoque fortissimis animis, nescio quid admixtum diffidentiæ: & veris imbutos, falsa circunsonat: tantúmque coit errorum popularium ad arcem mentis expugnandam, vt iudicium tenere difficile sit. Subit interdũ torpor quidã subit, dubitatio, an vera sint, quæ à doctissimis, atque sanctissimis viris, de virtute patientię, de honesti specie, de splendore gloriæ dici solent: an id verius quod ab aliis disputatũ, vulgus probat, vacuitatẽ, doloris optimam, pessimum dolorem, voluptatẽ boni finem: & illæ quidem paucorum, hæ ferme omnium voces sunt: quarum sæpè tantus est sonitus, vt paucæ illæ voces adhortantium audiri nequeant, & custodes arcis exterriti, omissa defensione, fugam cogitent: in hoc statu dubium, nutantémque præsidiis firmare animum oportet, ne de sententia excidat: vt olim Dionysius Heracleotes; qui, cum Zenonis præceptoris sui, de dolore sententiam, dolore victus, abiiceret, à Cleanthe cõdiscipulo irrideri meruerit. Non, inquam

quam, excidat, sed resistat, inque arrepto vestigio sedem figat, intelligens, quid in rebus verũ, quid vmbratile; neque laruas horreat, neque clamoribus moueatur; certus, dolorem nihil, nisi ignauiã; virtute autem, & ignauiam, & dolorem, & mortem, & dura omnia vici posse. Inque hac sententia fixus & immobilis perseueret: promptus pro virtute pati fortiter, quod multis cogitare, terribile est; quodque nunquam ab homine fieri posset, qui non super auri, ac gemmarum speciem, super muliebrem formam, & super omne concupiscibile virtutis pulchritudinem adamasset. Hac confirmatione animi, & falsæ opiniones, & vani metus infirmantur, & acies doloris obtunditur. Fitque, quod Cicero idem vult, vt sicut in prælio pauidus abiectisque armis, viso hoste diffugiens; sæpè ipse sibi periculũ fecit; impauido periculum non fuisset; sic ignauum animũ, & sensibus obsequentem, sola cogitatio doloris exanimat; qui virtute firmatus, atque armatus incolumis, ac doloris victor, & propè nil molesti sentiens, euasisset. Patientia enim non modò animi vim augeri, sed asperitatem ipsam doloris imminui & pene ad nihilum redigi, atque hinc esse, vt acerrimo in dolore recti quidã, & immoti alij etiã læti sint: quod fieri non posset, nisi animus à sensu doloris auersus, ipsam de qua loquimur, firmitatem atq. constantiã induxisset.

D. Intelligere videor sed perge, quod est sermo intimus?

R. Et hoc dicã. Generosa mens æquè voluptatum, dolorúmque contemptrix, & vtrisque pariter cedere nescia; vbi adesse periculum, séque circunuentam hostibus suis videt, arma capit, obuiámque progrediens, séque in prælium cohortans, multa secũ, multa cũ Deo suo loquitur, quamuis hoc vltimũ Cicero vel nesciuit, vel non

ritè sciuit, non defectu ingenij, sed gratiæ. Tali sanè colloquio, ac decoris obseruantiam, atque ad illa, quæ diximus; ad incendendas vires, ad consumanda consilia nullũ efficacius. Aliis tamẽ verbis contra voluptatum blandicias; atque aliis contra dolorum minas, esse vtendum, & quibus, vtrobique pronum est, aduerte scienti, quænam vel hæ blanditiæ, vel hæ minæ, quamque impares sint virtuti. Sed quoniam horum de altero sermo erat, exemplo agam vnico, sed insigni, quo in reliquis omnibus instructior fias. Quis est hic in dolore sermo intimus? Meministi, quibus verbis Lucanus magnum Pompeium, inter carnificum gladios, vsum facit; sed quia hoc, pro qualitate personæ à poëta fictum, & secundum verisimilitudinem, animo viri illius, in quo statu, conuenientib. verbis expressum est; Exemplum verũ, recénsque alterum adiiciam. Hac ipsa ætate superant, qui viderunt adhuc multi, Samnitem illum imperterritum, & inuictum senem: qui, dum iussu illius, cuius nomen suppressisse silentio melius fuerit, curru per ciuitatem duceretur, nudus inter duos carnifices, candentibus forcipibus, hinc illinc membra carpentes: populo ad tam miserum, támque indignum spectaculum lachrymante: siccis ipse oculis, graui, & constanti voce sese alloquens dicebat: Quid facimus animæ? noli, oro, succumbere: nihil aut irascaris, aut metuas: grauia sunt ista, sed breuia, & pro nostra æterna, ne dubites salute: grauiúsque supplicium, hoc iubenti, fuerit, quàm ferenti. Erige te anime, & depelle formidinem; spera in Deo, statim erit finis. Quibus verbis, quantum sibi consolationis, certè pectoribus audientium, incredibile dictu est, quanta cum misericordia firmitatem, constantiam, securitatem,

tem, patientiam infuderit: etsi arctiùs æstimanti, non ille intimus, de quo agimus, sed extimus sermo esset; nempe qui [vt dixi] à multis exterius audiretur. Sed hæc, & his similia & ab aliis in silentio dici possunt; & ab hoc ipso forsitan dicebantur. Vicissim enim nunc tacebat, nunc in voces quas diximus, erumpebat. Potest & aliter ille idem sermo intimus videri, vnde non quo prodeat, cogitanti. Et huius quidem secum, ac cum Deo loquentis, in doloribus, inque periculis, nullum clarius exemplum, quàm Iob primi; Theodosius secundi; ille manu Dei tactus, atque vlceribus obsitus, quanta Deum libertate, iurganti similis, compellet; séque ardenti, & querula denotione in Deum erigat. Hic, cum paucis, innumerabili ac barbarico circũuentus exercitu, quo feruore, quibusve suspiriis, ceu præsentem Deum inuocet, audiuisti. *D.* Audiui plane, & memini, & exemplis doceor, quid velis; gratiámque non mediocrem Ciceroni habeo de cuius tribus exiguis grauis, tres, ingentésque aristas messui; ex quibus cultu adhibito, messis vberior nasci queat. *R.A.* Ita se res habet, doctorum hominum verba prægnantia sunt; plus continent sensuum quam prætendunt; vt nihil aliud, me loquente, visus es mihi dolorum, & querelarum tantisper oblitus: vnde elicis, vehementem quoque cogitationem rei cuiuspiam honestæ, atque in illam à rebus aliis quibuscunque, animi totius abstractionem multum & dolori, & molestiis omnibus posse remedium afferre. *DOL.* Potest esse, vt dicis sed mihi nunc etiam multum deest ad salutem illam, quam intendis animi; magnoque sum in dubio an his omnibus leniatur, seu tollatur dolor, an verba sint, animos occupantia, auréque

mulcentia, ad dolorem nihil. *R.* Verba corporibus non medentur [fateor] nisi forsitan incantationes, & anilia carmina fidei aliquid mererentur: at medentur morbis animorum, quorum profectò sanitas corporeum dolorem, aut extinguit, aut mitigat. Nunquam, si patientia nulla esset, tam multi de illa viri doctissimi disseruissent. Nunquam tot huiusce rei argumenta animo, oculisque, & auribus hæsissent, quot memoria imagines rerum tenes: quàm multa vidisti, aut legisti, quot historias audisti quibus non probatum tibi, sed demonstratum esse debeat, ita esse, vt dico, etsi non doloris omnem sensum patientia eripi: quod ipsum tamen, & fieri posse, & factum esse, contendimus: at doloris certè victoriam, ferendíque viriliter vires dari. Quid verò te pius habuit C. Marius vir litterarum inops, sed virtutum dives militarium: an non ipse carneus, atque osseus fuit? Quid plus Mutius: Pompeiúsque? Quid plus habuit Zeno? Quid Theodorus? Quídve Theodatus? Possidonius? Anaxagoras? innumerique alij, quorum quidam seruili conditione, sed animorum ingenuitate mirabili, omne supplicium pertulerunt, non modò fortiter, sed iucundè. Quid, si ad vestros animum, memoriámque reflexeris, inuenies in hoc numero pueros etiam, ac puellas, tulisse cum gaudio, quod vos viri sine fletu, & questibus non ferretis. Sed iam de re [vt aiunt] omnium asperrima, plura, quàm pro consuetudine, diximus: desinendum est: dolorem enim, si non lenit virtus, verba non lenient. *D.* Heu hinc tu me vrges, hinc dolor, & cui credam, nescio. *R.A.* Crede nobiliori: in quod illud quoque plurimum adiuuerit, meminisse summum illud, & eximium mundi decus, eum scilicet, qui diuinam, atque humanam in se

vniit naturam, tot tantósque pro te passum cruciatus, vt quę pateris, illorum collatione facilia, immo verò dulcia, longéque suauia iudicari possint. Validissimum hoc remedij genus scrutantes cuncta philosophi nesciuerunt.

De Furore. DIAL. CXV.

Stulta piis animis insania nulla nocebit,
Et peccare minus mentis inops poterit.

DOL.

NImius dolor, ne furorem pariai, metuo. R. Obsta illi cogitationib. bonis, & placidis. Quidam furori viam passionibus faciũt: ex multis affectibus non sanis, vera tandē prodit insania: sicut ex contrariis vera virtus: frequentatis actibus quæri habitum: philosophicum dogma est. D. Furere metuo. R. Si animi vitio, ille tibi armandus: armatura animi, virtus est; at si corporis consulendum, succurrendúmque illi est si qua rei huius ars est ipsos apud corporum magistros, qui physici nuncupentur: quę si in hoc, vt in multis aliis, aut nulla est aut professoribus suis incognita: ego artem hanc vnam tibi pręscripserim abstinentiam, & omnis excessus fugã. Notum illud atque antiquum: Viri sancti virtutibus corpus ædificãt: multum conferunt animo simul & corpori, frena libidinum, ac gulæ. Multos strauit luxuria, multos oppressit crapula, multos somnus, multos ebrietas sepeliuit: multorum vitæ feruor, atq; impetus, & furibunda licentia, verũ abiit in furorẽ. D. Timeo naturaliter in furorem agi. R. Quod natura infert, durũ potest esse, non miserũ: culpa enim caret, quæ miseriæ est radix. Quando autem prouidendi obtigit facultas, vnum facito, vt te

furor, si vitari nequit, in securo saltem statu animæ reperiat. Innocens si furere cœperis, aut innocens resipisces, aut innocens morieris. Nulla ætas, nulla sanctitas, nulla custodia, sic innocentiam conseruat, vt furor, qualem inuenit, talem reddit. *D.* Furere metuo. *R. A.* Heroas comites, ac reginas metuis. An fastidis Herculem, & Aiacem, Hecubam, & Cassandram? An ex alio genere, Lucretiam spernis, & Empedoclem? *D.* Furere pertimesco. *R. A.* Multa vaticinari solitos furentes, accepimus; sic, quo nullum acumen sani capitis peruenisset, vagus, & rapidus furor venit: atque hinc Graij, quam vos diuinationem dicitis, à furore Manticen, dici volunt. *D.* Horreo vim furoris. *R.* Et sanos mœstos, & furentes lætos vidimus, falsa quanuis opinione. Habet & error voluptatem suam. *D.* Furendi pauor animum exagitat. *R.* Laborum ferias quidam simulato furore quæsiere. Verus furor, ferias veras dabit.

De Veneno. DIAL. CXVI.

Pocula diuitibus sunt sæua timenda veneni,
Paupertas sola hac suspicione caret.

DOL.

VEnenum timeo. *R.* Potu abstine cibóque promiscuo, expertorum fides amicorũ excubet, suspectos limen arceat, vina turbida, fusca exulent, pulmenta, dapúmq; permixtio, cautio adsit, & sobrietas, & tarditas. Præcipitatio autem absit, quæ & aliis, & præsertim genere hoc mortis, multos perdidit. Si ad mensam lenta manus, oculus celer, animus vigil, memórque discriminis; nec tuis tantùm, sed tuorum oculis, atque animis obnixus inuigila. Magnis periculis magna

magna obstat intentio: nihil nō turbat incautum. *D.* Venenari metuo. *R.* Operosum remedium audisti. Vis audire facillimum. Pauper esto; veneni metum, periculúmque discusseris. Hoc siquidem mali genus, humilior fortuna non recipit, vna securitatis parens, & terrorum omnium extirpatrix; medicina illa quidem optima, atque promptissima, nullíque hominum negata, multis etiã ingesta nolentibus: neque verò efficax minus, quã parabilis; tuta hercle, quanuis amariuscula, atque horridula. Comprimit animi tumores, liuores diluit, bilem purgat, curat hydropisim: vestræ opes plenæ insidiarum, plenæque formidinum, non minus ciathos metuunt, quàm gladios; nec minus paropsides, quam sagittas: non mensa, non domus, non cubiculum periculis suis vacat. Dubia quælibet, atque suspecta.

Præsentémque viris intentant omnia mortem:

quod in tempestate ait Maro, in tranquillo vobis accidit: & hoc vestræ illæ tam dilectæ vobis afferunt diuitiæ, Paupertas verò, præter immeritò, apud vulgus, infamati nominis notam, tuta habet omnia: &, si quando turbæ insciæ puluis, ac strepitus cõquiescat: optabilia ac suauia penitus, & tranquilla. Tandem ergò fictilibus, & vitreis vasculis terreni homines bibite, atque edite, si securi bibere vultis, atque edere: aureis vasis, ac gẽmatis venena miscentur. Quorsum pergis auaritia? Ipsum quoque iam venenum gemmas amat, atque aurum. Contra hanc pestem, neque Pontici Regis, neque alterius efficacius Antidotum, quàm paupertas. *D.* Venenum hausi; non præcordiis innatat. *R.A.* Vbi semel moriendum esse decreueris, quod decretum esse debet omnibus, qui se meminerint mortales, quid refert, an id

silentio facias, an bibendo, an tuo sanguine madidus, an vino. Magnos compotores, factique huius habes comites Alexandrum, Hannibalem, Philippomenem, Mithridatem, ipsum Claudium, Theramenem, Socratem.

De Metu Mortis. DIAL. CXVII.

Cur mortem metuis, finis quæ sola laborum est?
Omnibus est tandem lex data certa mori.

MET.

MOri timeo. *R.* Hic non timor, sed cogitatus esse debet: qui, si nouus incipit, nec à prima ætate tecum creuit; si per interualla rediens, non assiduus fuit; improuidè vixisti. Inhæsisse medullitùs vtilissimum illud Flacci carmen debuit,

Inter spem, curámque, timores inter, & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:

vt is esses, de quo idem alibi:

Ille potens sui,
Lætúsque deget, cui licet in dies,
Dixisse vixi, Cras vel atra,
Nube polum pater, occupato,
Vel sole puro:

hoc est, nempe, illud à philosophis laudatum, sed perpaucis datum, viuere vita peracta. *M.* Mori timeo. *R.* Et nasci timuisses, & viuere. Vitæ limen, initium mortis est; vita ipsa cursus ad mortem; seu verius, mors quædam; viuendo ad moriendum ibas, vel [quod sapientibus visum est] in horas certè moriebaris. Quid nunc igitur times, si mors vitam vel comitabatur assidue, vel necessariò sequebatur? Illud quidem docti tantùm; hoc etiam vulgus intelligit; Quicquid natum, moritur; quicquid moritur, natum erat. *M.* Timeo

mori.

mori. *RA.* Mori times animal rationale, mortale, Atqui si primum verè esses; secundum, vt arbitror, non timeres: humanam quippe naturam, duo hæc in vnum iuncta, perficiunt; Ratio scilicet, & mors. Illa animam concernit, hæc corpus: sed inopia rationis metum mortis induxit. *M.* Mortem metuo. *RA.* Nihil est metuendum, quod affert necessitas naturæ. Qui naturalia enim odit, aut metuit, naturam ipsam oderit, oportet, aut metuat: nisi fortè partem eius alteram amplecti licitum, & laudare; respuere alteram ac damnare; quo nihil est insolentius, non solùm homini cum Deo, sed hominibus inter se. Itaque vel totum recipis, vel totum reiicis amicum; ne, si tantum grata deserpseris, non æquus amicitiæ cultor, atque arbiter videare. *M.* Mortem horreo. *RA.* Si quid in morte mali est, id ipsum metus mortis exasperat. At si nihil, magnum ipse metus, malum est. Stultitia est malum suum, vel augere, vel facere. *M.* Nomen ipsum mortis exhorreo. *RA.* Nomen mortis infame mortalium fecit infirmitas. Si quid animi vitium inesset, nihilò plus terroris, esset in morte, quàm in cæteris, quæ per naturam fiunt. Quid enim magis mori timeas, quàm nasci. adolescere, senescere, esurire, sitire; vigilare, consopiri? quod vltimum planè simillimum morti est. Atque ideò somnum, alii consanguineum, alij verò mortis imaginem dixere. Néve, seu poeticus lepos æstimetur, seu philosophicum acumen ipsa Veritas amici mortem, somnum dixit: & semel facere metuis, quo quotidie delectaris? Inconstantiam quidem hanc docti mirantur, atque arguunt. *ME.* Tria hæc apud philosophos, ac vulgata sunt, delectántque, dum resonant, interpone

silentium, timor redit. *RAT.* Imo equidem manet, nam si abiisset, non rediret, & est, non inficior, vulgi præcordiis timor mortis innatus. Sed eruditum virum vulgaria sapere, deforme est, quem deceat; vt modò dicebam, non turbæ vestigia, sed paucorum sequi. Nam quod de philosophis dicis, miror quid ita, cùm à nautis nauigandi, vel ab agricolis serendi, à ducibus bellandi consilium capiatis, viuendi consilia, à philosophis sumpta, contemnitis, & pro corporis cura, medicos euocatis, pro cura animi philosophos non aditis, qui, si philosophi veri sunt, vtique & animorum medici, & artifices sunt viuendi. Nam si falsi, & solo philosophiæ nomine tumidi, non modò non consulendi, sed vitandi sunt, quibus nihil est importunius, nihil insulsius, quorum abundantior est, quàm vellem, ætas hæc, cum egentissima sit virorum. Et quoniam à præsentibus, præter meras nugas, nihil est quod speres si ad priscos reditum, inuentúmque aliquid apud illos fuerit, quod ægritudinem tuam leuet, noli spernere, & dicere, quod indocti dicunt, à philosophis ista sumis. Respondebo enim tibi cum Cicerone: Metuebam, ne à lenonibus dicerés. Et re vera, vbi nã piscari, venaríque, nisi vbi pisces, feræque habitant, in aquis, atque nemoribus? vbi fodi aurum, vbi gemmas legi, nisi vbi hoc nascitur, illæ scatent, in terræ venis, maríque littoribus? vnde, nisi à mercatoribus merces, vnde statuas, & tabulas pictas, nisi à statuariis, atque pictoribus? Vnde demum philosophica, nisi à philosophis peti iubes? quæ etsi apud illos pro thesauris abdita, atque ab illis inuenta sint, eadem tamen ab aliis in apertam erui, & vel aceruatiùs, vel clariùs, atque expressiùs, vel breuiùs po-

postremò vel aliter dici possunt; audiendi similia omnibus spem datura, successum paucis, ea est vis ordinis ac iunctura: quod in poëticis elegantissimus Flaccus docet; & sæpè aliter, atque aliter, & aliquando potentiùs affectura animos, tanta est gratia, vel notissima renarrantis; tanta vetustis nouitas, tanta lux fulgidis, tantus formosis decor additur: quod non hic ideò dixerim, quin alibi non possem; sed quia tu hic materiam obtulisti. Nolo enim, [quia ignaræ superbiæ mos est] semel audita, nec fortè intellecta, dum repetuntur, quasi trita, & vulgata fastidias. *M.* Acquiesco; rectè quidem in his monitis te versatum video; etsi ab incepto procul: adhuc enim mortem nihilominus horreo. *R.* Sunt quædam nomine, & opinione hominum, maiora, quàm re: multa horrori eminus fuerant, quæ vicina sunt risui; temerè creditur inexpertis. Nemo, ex his mortis infamatoribus, comperti aliquid loqui potest. Nihil ipse expertus, nihil ab experto didicit. Mortuum quemuis interroga silebitis, cui iam rei veritas nota est; garrient, quibus incognita, & vanis auguriis astruent, quod ignorant; hinc apertissima, hinc occultissima rerum, mors: arcanum, & coniecturale negotium, suspicionibus agitur: in dubio, bonis opinionibus inhærendum; tenendúmque potius, quod iucundum faciat, quàm quod mœstum animum. *M.* Animus mortem timet. *R.* Sa sibi, superuacuus timor: immortalis est enim ipse: si corpori, sui hostis curam gerere, pietas indebita. Sin dissolui metuit, nimis carcerem, & compedes suas amat; stultus amor. *MET.* Timore mortis exagitor. *RAT.* Stulti omnes mori metuant: neque id miror, quibus felicitas

omnis in corpore est, quod extingui morte, nõ est dubium. Iure igitur boni sui finem, pauidi cogitant, mœsti vident. Natura enim hominis hæc est, vt felix esse nolle nequeat, virum doctum, cui non alia corporis, quàm vilis mancipij cura est, cui in cultu animi omne studium semper fuit, omnis amor, omne desiderium, omnis spes, mortem corporis non aliter, quàm digressum matutinum è nocturno quodam inamœno, & incommodo prorsus hospitio spectare decet. *M.* Mortem non timere non possum. *R.* Posses vitæ huius exitum non timere, si alterius ingressum sperare posses, aut optare: tuus hic timor inde oritur. Quamuis enim formidati vulgò exitus, multę tradantur causæ, omnes tamen, vitæ illius spe proposita euanescunt. *MET.* Mortem metuo. *RA.* Metum hunc parit impræmeditatio maximè, & inopina necessitas moriendi. In viro docto, ac sapiente turpissimum, & præsertim sene; cuius, si ritè doctus, veréque est sapiens, vita omnis meditatio mortis est: quod, si philosophiæ visum fuit antiquæ; quid nunc nouæ pietati, quæ summa philosophia, & vera est sapientia, videatur? Aspice, vt qui alieno imperio parent, subitò longum iter iussi agere, solliciti, & tristes, raptim complicandis sarcinulis inhiant, Vt queruli, quod prædictum eis antè non fuerit, indignanteſque abeunt, vt sæpè in tergum versi & nũc quoq. hoc, nunc illud obliti, murmurant. Atqui nulla via est longior; quam mori, nulla durior, vt perhibent, infestiórque latrunculis: nulla denique obscurior, supectiórque, & incertior: quæ vt cuncta cessarent, certè irremeabilis via est, quo attentiùs prouidendum, ne quid obliuiscamini, quoniam hinc digressis, non licebit, quod viantibus cæteris

ris, atque aliud quodcunque iter agentibus, literis scilicet, aut amicis, oblita committere, quæ ad suos perferant; nec remandare aliquid nec subsistere quidem, nec diuertere, licitum, nec reuerti; iter necessarium, impossibilis reditus: ire illò necesse est Milites, vnde redire non est necesse. Hoc militibus suis, dux Romanus, apud Senecam: hoc dux vobis vester edicit. Itaque cum oporteat ire, nec liceat redire, cúmque itineris sit certa necessitas, hora autem mortis incerta, vnum est remedium, vt parati animo sitis semper, & vocati respondere, & iussi obtemperare, compositisque omnibus, ad primum ducis Imperium, iter illud alacriter agere, quod vtique vobis, aut lætis, aut tristibus peragendum est. Ea res maximè, & metum mortis imminuet, & dolorem: nec securos modò, sed cupidos hinc abire vos faciet. Alioqui improuisis, & incautis eueniet, quod Bruto suo, in epistolis, verè olim vaticinatus est Cicero: Opprimemini, mihi crede, Brute, inquit, nisi prouideritis: sic est, inquam, sic illi accidit: sic omnibus, qui ventura non prouident. Sed, cum cunctis in rebus, prouidentia necessaria sit, tum in his maximè, quæ amplius, quàm semel fieri nequeunt: in quibus error vnus sufficit, vbicunque pes lapsus fuerit, actum est. *MET.* Valde nunc etiam mortem horreo. *RA.* Altè radicata non facilè diuelluntur. Scio, vt dixi, metum mortis sensibus insitum, præcipuaque vulgarium: philosophi verò mortem, neque malum, neque bonum, eóque per se ipsam nec timendam diffiniunt, nec optandam, inter indifferentia numerantes: quæ, pro qualitate fruentium, nunc mala, nunc bona fieri volunt. Quod illi etiam ex vestris video probari, qui

peccatorum peſſimam, pretioſam verò ſanctorum mortem ait. *MET.* Mortem metuo, mortem odi. *RA.* Equidem, vnde hic mortalibus metus mortis, vnde hoc odium, miror: niſi mollicies animorum nota ſit, quam hunc ſcilicet, alioſque degeneres augetis, atque alitis pauores: an non vides, vt magna pars mortalium, ipſum nomen mortis exhorreat? Quod, quid eſt aliud, quàm naturam propriam horrere, atque id odiſſe, quòd natus ſis? quo nihil inter homines ſtultius, nihil ingratius in Deum. Quàm multi autem nomen illud ægrè audiunt, quod ſemper internam aurem pulſare debuerat. Nempe ſine quo, non eſt, qui ſe ipſum cogitare poſſit: quid namque ſe cogitet, niſi quod eſt animal mortale? Quoties in ſe quiſque reflectitur, nonne ſibi illico nomen mortis occurrit. Sed refugitis, quaſi per aurem mors irrumpat; & auertitis animum, atque id cogitis obliuiſci, quod mox ſui memoriam vel inuitis ingeret. Recuſatis ecce mortem cogitare, quam confeſtim, & cogitare oportebit, & pati, cuius paſſio faciliùs ſequeretur, ſi cogitatio præceſſiſſet. Nunc ſimul in anguſtiis altera alteram exaſperat. Omne enim inopinum ac ſubitum animam quatit. Æquè ſtultum eſt, vel appetere aliquid fruſtra, vel vitare velle, quod nequeas: eóque ſtultiùs vtrumque, quò damnoſius futurum impleſſe, quod cupias: atque nil damnoſius in humanis malis, quàm Dei, ſuiſque ipſius, & mortis obliuio: quæ tria numero, ſic connexa ſunt, vt vix valeant diſſolui. At vos veſtri memores, videri vultis: & principij, & finis immemores. Obſeruaſti hos, qui domui ſuæ diſponunt, vix eſt qui dicere audeat, cùm moriar, ſed, ſi moriar: quaſi in dubio ponitur, quò nihil

eſt

est certius. Neque id ipsum, si moriar, clarè sonat: sed, si quid de me esset aliud: quid nam est hoc aliud, quæso, & non potius idem ipsum, quod de omnibus, fuit, erítve, vel qui nati, vel qui nascituri sunt? quibus, vt vitæ, sic & mortis, multa sunt genera, necessitas vna moriendi. Hanc tu cupis excutere, quam nec patres tui, nec vlli vnquam reges gentium excussere, nec excutient quidem. Tergiuersamini, vt libet, ita vobis eueniet, vt his, qui contra hostilis ferri aciem oculos claudunt, quasi periculum, quod non vident, nec sensuri sint. Feriemini, Moriemini, Sentietis: an cœci autem an videntes id in vestra manu est. Optate igitur bene mori quod ipsum, nisi bene vixeritis, frustra est; optate, inquam, & enitimini; &, quod in vobis est facite; reliquum illi committite, qui vos in hanc vitam vltro, non vocatus, intulit: egressuris, non nisi vocatus & rogatus manum dabit. Non mori autem nolite optare. Non modò non impudens, arroganſque, sed inefficax etiam, & inane votum est. Assuescite. O mortales, naturæ legibus, & ineluctabili iugo colla submittite. Et si vos ipsos amatis quòd nati estis, amate; non quòd nati non esse velletis. Neque enim naturam vobis, sed vos illi obsequi par est. *MET.* Pauorem mortis abiicere, diu quidem frustra nitor. *R. A.* Miror quid tam diu frustra niteris, quò te debuit cogitatio prona perducere. Turpis est enim tam breuis periculi [si periculum, non natura, & periculorum finis, est mori] turpis est, inquam, viro tam momentanei discriminis tam longæuus pauor, & tot anni anxij, atque suspensi, ad horæ seu suspirij vnius euentum. Vis ne autem mali huius vltimum remedium, vis mortis metu perpetuò liber esse? Bene viue, vita laudabilis

mortem spernit, sæpè etiam cupit: denique hęc terribilium omnium summa est, siquidem labor, dolor, aduersitas, infamia, carcer, exilium, damnum, bellum, seruitus, orbitas, Paupertas, Senium, ægritudo, & mors; fortibus viris nil sunt aliud, nisi experientiæ schola, campus patientiæ, gloriæ palæstra.

De Voluntaria in seipsum manuum Iniectione.

DIAL. CXVIII.

Quid tibi præscriptam properas abrumpere vitam?
Quæ tamen ipsa breui sponte sua fugiet.

DOL.

MOrtem mihi consciscere propositum est. R. Rem vnam nunc metuere, nunc optare, hæc tota constantia vestra est. Nunc tu mortem muliebriter formidabas, nunc eandem inhumanè appetis: subita, rogo, quæ nam mutandi animi causa est? D. Cogor ipse mihi manus iniicere. R. Si cogeris, iam non voluntaria manuum iniectio est: quamuis dicatur, quòd coacta voluntas, voluntas est; sed profectò non libera, nec voluntas propriè, quæ nolēdo fit. A quo autem cogeris, nosse velim. Iniici autem manus vel inuito possunt: tu tibi illas iniicere, nisi volens, nequis. D. Magnæ sunt causæ, quæ me mori velle cogunt. R. Magnæ fateor, si cogunt: sed non cogerent, si vir esses: nunc in vestram animi molliciem, nihil est inualidum. Vide autem an, quæ sint hæ causæ, ritè præsagiam: ira, indignatio, impatientia, furor quidam in se versus, obliuio denique tui ipsius. Nam si te hominē meminisses, humana omnia æquo animo tolleranda cognosceres; neque parui mali, immo ne mali quidem odio, maximum in malum velles incidere. D. Iniicere mihi manum cogor, extremis malis.

R. Non

R. Non sunt extrema, quæ te premunt mala. Summum illud, & extremum malum, quod te viget, desperatio: cæteris enim malis aliquid; huic vni, nihil potest esse remedij. Quæ sunt autem hæc extrema, quæ dicis, mala? nisi labor forsitan, & paupertas: hæc sunt enim, quæ poëta commemorat: in his agens:

Qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucémque perosi,
Proiecere animas:

de quorum sera pœnitentia, mox adiecit:

Quàm vellent æthere in alto,
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores?

Sunt ne autem tam grauia mala hæc, quorum primum boni omnes, forti, atque æquo animo tulere; de quo suo loco diximus: quidam sponte insuper elegerunt, atque hinc glorioſi ac in æternum diuites facti sunt. Sæculum viris conuenire, apud Crispum; atque ad id nasci hominem, apud sanctum illum, & afflictum senem legimus. At vos inquietissima animalia, quicquid non ad nutum auaritiæ vestræ fluit, vestræque libidinis; iustam voluntariæ causam mortis opinamini. Tam delicata, tam præceps luxuria vestra est, vt leuibus ex causis, non fortunæ tantùm, sed vobis ipsis irascamini: inq; ipsum Deum calcitrantes, impia ora laxetis; quasi quicquid id est, in quo non vobis dominus videtur obsequi, iniuria grauis sit. *D.* Magnis malis victus, mori eligo. *R.* Tædio vitæ, credo, familiari vitio stultorum omnium. Sapientibus enim omnis vita iucunda est: lætam libenter, tristem ferunt patienter; &, si in rebus ipsis nequeunt, patientia delectantur. Nil in rebus lætius, nil dulcius est, virtute. Illa est, quæ molesta lenit, obliqua dirigit, dura mollit,

ac mitigat; ardua, atque aspera quæque complanat: cessant querimoniæ, cessant præcipitia. Et, ad summam, sapientis vita nil serenius, neque tranquillius: hi autem animorum fletus, atq. angores, hæ nubes, ac procellæ, quæ in scopulos fragilem vitæ cimbam trahunt, è sola stultitia oriuntur. *D.* Morbi impatientia, mori eligo. *R.* Stultè eligis, ac superbè: sine dominum de corpore tuo, quod ipse fecit, suo arbitrio statuere. An quid tibi tuo in ædificio vis licere, in quo non ligna, non lapides tu fecisti; in quo denique, præter structuram, nihil est tuum, id in suo licitum domino omnium, non vis: qui non in illo tantùm carnem, & ossa, & sanguinem, & spiritum; sed cœlum, & terras, & maria, & omnia, quæ in eis sunt, creauit ex nihilo: nec dicas apud temetipsum, corpus meum, graui dolore angitur; nec tu dominium, sed vsum corporis accepisti, breue ad tempus. An tuæ luteæ te dominum domus credis? Iuquilinus es. Qui fecit omnia, is est omnium Dominus. *D.* Dolore cogor, vt mori velim. *R.A.* Fortassis ad experientiam dolor datur; qui, si molestus est, esse poterit vtilis: si intolerabilis, longus certè non erit. Expecta domini reuocantis edictum. Cumque vocatus fueris, respondè, & non prius. Fixa est dies tua, quam nec anticipare fas est, nec differre possibile: præoccupauerunt tamen hanc multi, & dum paruam fugiunt, breuemque molestiam, in æternas se, atque irremeabiles demerserunt: habuitque hæc opinio magnos authores, Annæum Senecam in primis, qui ad eam tam constanter, & tam sæpè reuoluitur, vt mihi quidem veriùs videatur, ne non propria sua sit: mirarique cogat interdum, vnde tam tristis sententia tanti viri pectus inuaserit: vtque alia sileam, quæ prosequi lon-

longum est, quadam ad Lucilium epistola: Si inutile, inquit, ministeriis est corpus, quid ni oporteat educere animam laborantem? De hinc paucis interiectis: Profiliam, inquit, ex ædificio putrido ac ruenti. Male ais, ô Seneca: & multa benedicta, vno polluis male dicto. Non migrandum nempè, sed expectandum est. Sine ædificium tuum ruat, vt, antequam fugias, opprimaris. *D.* Non possum pati, quæ imminent, mori malo. *R.A.* Ab hoste forsitan inferendam mortem? quæ si fortiter lata sit, turpis esse non potest: cùm hæc voluntaria non possit esse non turpis: quia contra domini superioris imperium est, contra quod, nihil bene fieri potest. *D.* Mori malim, quàm quæ instantia sunt, videre. *R.A.* Non est viri non posse, erectis oculis, vtramque fortunæ faciem spectare: muliebre est trepidos oculos auertere. Quid est autem, quod te turbat, vsque adeò, vt solias opem mortis implores? Tua ne forsitan, an tuorum, an patriæ laborantis aduersitas? Lenta illa duo quidem: nihil enim potest fortuna, cui non possit virtus obstare. Tertium hoc pium sed pietate languida, & inerti. Siquidem patriæ seruitus, & tyranni facies, morte potius repellenda, quàm declinanda sunt. Idem enim viri opus, hoc fœminæ. Qua tamen in re Catonis mortem, miris laudibus, Seneca idem effert sua illa peculiari opinione, de qua diximus. Non sic Cicero; excusasse contentus, laudibus abstinet. Ait enim Catoni incredibili grauitate naturæ perpetuaq. constantia, moriendum potius, quàm tyranni vultum aspiciendum fuisse; quem tamen Brutus aspexit, & illius potius morte tollendum, quàm sua morte fugiendum censuit, quod quàm bene, seu quàm male fecerit, non laboro: fecit tamen. Cicero

autem,dum Catonem excusat, suæ illius sententiæ melioris obliuiscitur, quam ante annos plurimos libro sexto Reipubl. posuerat. Ea verò est huiusmodi: Dum P. Africanus minorem in cœlo, cum patre, atque auo colloqui somniantem: & audita immortalitate animæ, ac felicitate vitæ alterius, moriendi auidum induxisset; Patrem mox inutile desiderium castigantem fecit, his verbis: Non est ita, inquit ille; nisi enim cùm Deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest: homines enim sunt,hac lege generati,qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides qui terra dicitur:quare & tibi Publi,inquit, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus assignatum à Deo diffugisse videamini. An non satis Ciceroniana hęc excusatum arguunt Catonem? Et planè,si ab imperatore terreno, ad custodiam loci cuiuspiam deputatus, non auderes iniussus te remouere, ferrétque ille hoc grauiter,si contrarium feciſſes; quid cœlestis putas Imperator, cui tantò plus obedientiæ debetur,quantò maior Deus est homine. Fuit nuper priscæ virtutis Stephanus Columnensis, non hac solùm, sed omni ætate vir clarissimus futurus: hic ab ingenti illo suo hoste, cui potentia impar erat, obsessus, turrim, vbi plurimum periculi videbatur, vni suorum conseruandam,certus de illius fide, commiserat; quæ, dum cuniculis suffosa latentibus, tremeret, ac ruinam minaretur, fugientibus sociis, atque hortantibus, vt saluti suæ descendendo consuleret, cùm iam nihil vtilis mora esset,sibi

verò

verò periculosa etiam, & funesta: Non descendam, nisi ille me reuocet, à quo hic positus fui. Id dum Stephano nunciatum esset, & ipse illi metuens, atque illum reuocaturus, accurreret; turris fundamentis fatiscentibus, magno corruit fragore. Sic fidelis custos oppressus est, quem vix erutum ruinis, dominus suus mœstus, ac lachrymans sepeliuit. Eumque dum vixit, & piè desiderauit, & fidem eius sæpè meritis laudibus, in familiari colloquio prosequutus est. Quid his verbis velim, vides. Talis enim tibi commissi corporis custos esse debes Deo, qualis hic, creditæ sibi turris, domino suo fuit. Fuisse tamen nihilominus non me latet, mortem Catonis, illa ætate laudatam à multis, ac opinione hominum gloriosam. Notumque est illud Iulij Cæsaris, qui dum victor Vticam properaret, vbi ille se peremerat, audita eius morte, Cato meæ gloriæ inquit, inuidit: Et ego suæ inuideo. Præclarum aliquid, haud dubiè videbatur, cui vir maximus & glorioſissimus inuideret. *DO.* Quid igitur obstat mihi, aut quid prohibet Sapientis viri mortem, inuidiosam summo hominum, & excusatam Sapientibus, ac laudatam sequi, vitæque difficultates innumeras, auxilio spontaneæ mortis euadere? Mori volo. *RA.* Vide ne te inanis spes rerum fallat. Sunt nempe alij; quam pares eloquio, nihil ad rem; at certè sententia potiores, qui Catonis hanc mortem, neque laudent, neque excusent, sed grauissimè reprehendant. In quibus Augustinus, scrutator veritatis acerrimus, non hanc fuisse illi arcessendæ mortis causam disputat, ne sub Cæsaris Imperio veniret, cum filio suo, cum ipse author fuerit ad Cæsarem confugiendi, deque

illius clementia sperandi omnia, nec fefellit; quod si turpe credidisset, cur non filium secum, vel veneno, vel ferro, vel morte qualibet, ab eiusmodi turpitudine liberasset? cum Manlius Torquatus sit laudatus, quod filium ipse suum, qui contra patris imperium pugnasset ac vicisset, occiderat. Neque enim turpius dici potest, procacis hostis esse victorem, quàm superbo parere victori. Quid ergò? Cæsarem dignum iudicauit, qui filio vitam daret, atqui sibi, vel indignum censuit, vel inuidit. Et ad summam, mortis illius solam causam fuisse deprehendit inuidiam, quod nec Cæsar ipse dissimulauit, vt modò diximus. Aliud enim timere quid poterat? aut quid principem non tulisset, à quo pridem consule curia eiectus fuerat, & coniectus in carcerem? & qui se tanta, tamque præsenti iniuria, non occidit quo inani metu, quá ue falsa opinione superbiæ, aut credulitatis occideret. Quid tam horrificum vultus Cæsaris habuit, vt esset morte etiam fugiendus, viri omnium, non tyrannorum modò, sed principum clementissimi, atque mitissimi, et si potentiorem nullum, multos certè ferociores, sua ille viderat ætate; imò verò nullum viderat mitiorem. Iure igitur alter quidam scriptor egregius, & fide clarus, & eloquio: Mihi, inquit, Cato videtur causam quæsisse moriendi, non tam, vt Cæsarem fugeret, quàm vt Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, suúmque nomen grandi aliquo facinore clarificaret. Cui quid mali potuerit accidere, si viueret, non inuenio. Cuius enim Cæsar, vt erat clemens, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipso belli ciuilis ardore, quàm vt bene mereri de Repub. videretur, duobus optimis ciuibus Cicerone, ac Catone seruatis. En

tibi

tibialia præter inuidiam causa moriendi. vanitas stulta, vtraq. nec Catone digna, neq. illa prorsus anticipandæ mortis sufficiens causa est. R. Mori malim quàm sic viuere. R. Quid scis, an hæc tibi tam tristis vita, multis optabilis, multis inuidiosa sit? Sed impatientia res cunctas exasperat. D. Mori opto. R. Vt timidis metum mortis, sic desperatis vitæ odium extorquere difficile est: vitam tamen æquanimiter perferendam, mortem fortiter exspectandam: hæc nostri remedij summa sit.

De Morte. DIAL. CXVIV.

Debita naturæ solui, lætare triumpho,
Corporeo tandem carcere liber abis.

DOL.

MOrior. P. Ad extrema peruentum est. Iam nec mortem metues nec optabis; de quibus duobus, totidem me proximis tractatibus, fatigasti, iam præterea nec dolebis, nec corporis, animiq. defectibus subiacebis; nec rerum tædiis, aut morbis, aut senio, aut hominum dolis, aut fortunæ varietate lassabere; quæ si mala sunt, mali finis vtique bonus est. Tu paulò antè de his omnibus querebaris, nunc eorundem de fine conquereris; vide, sis iniquus, vnam rem qui simul doleas esse, & finiri. D. Morior. R. Iter patrum, immo omnium; latum, tritumq; iter gradieris. Solus ne tibi nescio quid aliud demum maluisses? Perge autem, non est aberrandi metus, tot sunt viæ duces, comitesq. D. Heu morior. R. Si quis est, quem flentē mori deceat, ridere dedecuit viuentem, cum instare, semperq; supra verticem videret vnde mox flendū sciret. Risum illum, haud dubiè, fletus hic non lōgo seiunctus spacio sequebatur. D. Morior. R. Nō

est ferendus, qui sui generis sortem luget; non moreris vtique ni mortalis esses. Sin id defles, quòd mortalis sis, non est flendi locus, vbi esse desinis, quod inuitus es; flendum erat ab initio, dum inciperes esse, quod nolebas; nunc gaudendum; esse enim incipies immortalis. *D.* Morior. *R.A.* Omnes hi, qui lectulum tuum modò ambiunt, omnes præterea, quos vidisti vnquam, omnes, de quibus audisti aliquid, aut legisti, & quantula ea pars hominum est, quam nosse potueris, omnes omnino, qui vel olim nati sunt, vel omnibus terris, ac sæculis nascentur, iter hoc egerunt, acturique sunt. Cerne animo longam præcedentium, longamque sequentium caterua, comitumque, & hac ipsa hora tecum simul obeuntium, non paruum numerum: pudebit, credo, sortem publicam priuatis vrgere querimoniis, dum ex omnibus vel vnum, cui inuideas, non videbis. *D.* Morior. *R.A.* Hoc est impassibilem fieri, & iugum fortunę pariter, ac mortis excutere. Geminum ingens bonum, quod viuenti nulla vnquam prosperitas largiretur. Cogita autem, quæso, quot tibi, & quam graues curæ, quique supereſſent labores, si, non dicam infinitam, sed annorum mille [qui vnius iam præteritæ diei spacio comparantur] certam vitam accepisses; quod optimè æstimabis, si huius breuis, ac fugacis, & incertæ vitæ tædia, proque hac toties susceptos labores, molestiasque memineris. *D.* Morior, *R.A.* Ita mortem fletis, O mortales, quasi magnum aliquid vita esset: quod si esset, magnum aliquid etiam muscæ haberent, & araneæ, & formicæ, si semper beneficium vita esset, semper maleficium esset mors: quę magnum beneficium est interdum, dum vel ab intolerabilibus malis, vel ab

his

his,quæ ſumma ſunt mala,peccatis inſtantibus animam eripit,præſeruatque. Atqui,vt magnum aliquid, inter vos, ſola eſt virtus: ſic, ſi per ſe ſpectetur, vita hæc miſeriarum innumerabilium officina eſt;quam,qui claudi dolet, is ferias reſpuit malorum,& quietem odit:quam, qui appetit, laborioſæ finem vitæ cupiat, neceſſe eſt. Quando nullus alius eſt, vel laborum, vel malorum finis, quid fles igitur? Dies adeſt,qui,ſi traheretur,votis erat optandus: & fortaſſis, vt res hominum ſunt,& fortunæ vis immenſa,& inſultus varij, ſæpè etiam votis optatus eſt tibi. *DO.* Morior. *RA.* Immo ex terrea, & caduca domo, ad æthereum,atque æternum migras habitaculum; & in limine pedem habens, mœſtus auelleris, atque inuitus,& neſcio quid retro anxiè reſpectans, an ſordium, quas dimittis,oblitus: an bonorum, ad quæ pergis incredulus? Profectò, ſi quod paulò ante dicebam, & quod magni dixerunt viri, veſtra, quæ dicitur vita, mors eſt: illud eſt conſequens, vt eius finis, quæ mors dicitur, vita ſit. *D.* Morior. *RAT.* Rex te tuus carcere liberat; iam vincula franguntur, quæ feciſſe mortalia primum patrem libuit. Idque vel maximè ad illius miſericordiam pertinere, & Plotino viſum, & veſtris approbatum ſciens, quid queraris, neſcio. *D.* Morior. *RA.* Vocat te Rex tuus, felix nuncius. Sæpè eſt enim, nec videtur fauſtum quod inuitis acciderit. Conſenſum adhibe, tunc ſentire incipies, quàm bene tecum agitur: hic,quem metuis,carceris exitum, & mala vitæ reputans,& mortis bona præſagiens, quaſi olor ille Socraticus, diuinationis particeps, & ob id ſacer Apollini,moriendo cantabis:ſi non voce, ſaltem animo; & niſi,quod abſit, graue nimis inex-

piatorum te criminum pondus premit, quod fe-
ciſſe Veſpaſianus corpore legitur, tu facies men-
te, vt aſſurgas moriens, nec te dignum cenſeas ia-
centem mori. Neque minus, hac in parte tibi tri-
buas, quàm ille ſibi, quòd non vt ille, ſis princeps:
Mors enim neſcit imperium: Principes non a-
gnoſcit, adæquatrix optima, multa forſan in vita,
certè in morte nihil illi licuit, quod non liceat
tibi: quin & pluſculum diuinæ opis tibi, ni re-
ſpuis, affuturum ſpero. Non quia tu melior, ſed
quòd gratuito Dei amore felicior, qui negata
magnis, & ſapientibus abſcondita, conceſſit par-
uulis, & reuelauit indoctis. Adde quòd cùm v-
tiliùs, cùm faciliùs tuum erit aſſurgere. Illius e-
nim conatus corporeis viribus egebat, quas mor-
bus extenuat, mors extinguit: tibi ad aſſurgen-
dum non niſi animi viribus eſt opus, quæ vicinia
ſæpè mortis augentur. *D.* Morior. *R.A.* Quid
in tuto trepidas? quid in plano ceſpitas? quid in
prono hæſitas? Non tibi ingeram, quæ hoc loco
diſputant philoſophi. Multa ſunt enim, quæ
morientis occupatio, & anguſtiæ temporis non
admittunt: debuit tibi profundè admodum hæ-
ſiſſe, quicquid vbique de hac re ab antiquis phi-
loſophis diſputatum eſt. Vt enim ipſi idem vo-
lunt, aſperarum rerum omnium remedia ſuper-
uacua facere poteſt, rara quidem, ſed in finem
rara proſperitas: quæ aduerſus mortem diffe-
runtur, ea ſemper vtilia, ſemperque neceſſaria
vt ſint, moriendi non fortuita, ſed naturalis, &
inuicta neceſſitas facit. Inter cæteros ſanè mul-
ta, & valida in Tuſculano ipſo cuius ſupra memi-
ni, prima luce recolligit Cicero; quæ niſi olim
didiceris, nunc docendi ſpacium non eſt: qui-
bus efficit, ſiue in malis ſit, qui moritur, ſiue in
bo-

bonis esse videatur: quia tamen, ex quo fortunæ iaculis patet omnis hominum status, à malis eum, non à bonis, morte discedere; quod acer quisque humanarum obseruator rerum, haud dubiè, verum sentit. Morte igitur non offensum se, sed sibi consultum iri existimat, iam lætè illam cogitans, & cum venerit, visurus, vt liberatoris sui nuncium, seu ministrum, & cum transierit respecturus, ceu fenestram, vnde mundi laqueos, & carcerem carnis euaserit. Illud Cicero idem disputando consequitur; seu petit animus, seu transfertur, vt vel mali nihil, vel boni plurimum sit in morte; argutè fortassis apud suos; apud nos nempe non philosophis modò, sed ne vulgò dubium, credo hercle, nec apud eum ipsum, de quo sæpè loquimur. Ciceronem; quod magnificentissimè multis testatus est locis; sed vel sui collocutoris, vel illius ævi diffidentiæ seruiebat. Ad summam igitur, sic teneto, vt scias immortalem esse animam, quod non solùm concors vestræ gentis opinio, sed philosophorum omnium excellentissimi tenuerunt. Nulla tibi spes in occasu animæ, cui naturale est, vt mori nequeat; neque hinc fidas, nil mali superesse post obitum, quòd nulla sit futura anima, quæ pati possit: sed quia creator animæ, ipse est mitis, ipse pius, ac misericos, opus suum non despiciet, seque veraciter inuocantibus prope erit. In illum preces, in illum vota, in illum spes vltimæ ferantur, in illius nomen extrema desinant suspiria. I securus, nil timeas; natura parens benignissima nihil fecit horrificum, mortem formidabilem error facit hominum, non natura rei prouidæ: si quid magnum voluis animo, si quid altum struis, humiles, & ineptas vulgi voces, actaq; despice: verùm illos suspi-

ce, quorum imitatio ad veram gloriam via est. Apud nostros quidem lætè, feliciterque morientiũ innumerabilia sunt exempla. Si antiquiora perquirimus, multi occurrent, qui mortem non modò ferant fortiter, sed accersant: quod, in Marco Catone, sicut modò diximus. *M.* Cicero excusat? Seneca autem & laudat. Nobis verò neutrum sat probatur; sed secundum minus, quia tolerabilius est errorem excusare, quàm laudare. Nos vtrumq; reiicimus, quoniam, vt vocatum respondere, & reuerenter parere laudabile; sic imperatoris iniussu, commissa de custodia, & corporis statione discedere, capitalis est habenda defectio, & vel exilio graui, vel summo plectenda supplicio. Sciens repeto, vt altiùs imprimam. Abundè enim [nisi fallor] hęc omnia superior tractatus explicuit. *D.* Morior. *R.* Immo carnis tributum, naturæ debitum, persoluis, mox futurus liber: fac libens quod vel nolens faceres; & vt bene ait quidam Mortis hortator:

Cupias quodcunque necesse est.

Non est vtilius, immo quidem non est aliud in necessitate consilium, quicquid fit à volente, fit leuius; & desinit esse necessitas, si voluntas accesserit. *D.* En morior. *R.* En te dominus præstolatur. Accelera, ne titubes, ne cunctaris, pone suspicionem; non tu tibi cariores quam illi. Quis vocatus ab amante, diffidit? Adhuc fortè miraberis timuisse, quod optandum esset. Multa enim, solutus, scies, quę vinctus nullo vnquam studio didicisses, vsque adeò, vt arcana rerũ nosse volentibus, ad quæ, mortali vel obsita acies vestra non penetrat, quæ profectò cupiditas naturalis est homini, sed vehemẽtior studioso; nil morte melius putem, nilq; quod breuius

nius adoptatum ferat. *D.* Morior. *R.A.* Imo obdormis, vitæque fessus, vt arbitror, requiescis. *D.* Morior. *R.* Vade in æternam requiem, nunc primùm viuere incipis. Bona mors, initium est vitæ.

De Morte ante diem. DIAL. CXX.

Tardius an citius, nil refert, si moriare,
Semper enim iusto tempore mors venit.

DOL.

QVid quod ante diem morior? *R.* Ante diem nemo moritur, sed non omnibus dies idem. Imo, vt vates ait eximius.

Stat sua cuique dies;

ad quam quisque cùm venerit, metam attigit. Et quoniam, nec redire datum, nec subsistere, transeundum est. *D.* Ante diem morior. *R.* Posset id verum esse, si in diem debitor fuisses; purus debitor, semper debet: semper itaque nutum sui creditoris obseruet. Et semper in numerato habeat, quod debet. Habet autem semper, dum mortale corpus habet; nullo mutuo, nullo opus est fœnore: domi habet, imo quocunque ierit, secum habet, &, vt dicitur, in manu habet, vnde se liberet. quo soluto nil naturæ amplius, & nil iam cœlestibus vllis debet, vt Vergilius ait. Pone igitur hanc querelam. Ante diem non reposcitur, quod omni debetur die: quin pro eo, quod dicebam, gratias age, quia scilicet, ad id debitum, nec prece, nec possessione, nec pignore, nec vsura indiges: quod vltimum dixisse fertur Spartanus ille vir fortis incognitus, sed dignus agnosci, cum ad mortem ductus, ob hoc ipsum imperterritus iret, atque alacer, quòd capite suo satisfacere Lycurgi legibus posset. *D.* Morior ante diem. *R.A.* Non intelligo, quid sit, ante diem mori: nisi quod vulgò dicitur, ante lucem

seu cum primum eluceſcit : quæ exercitiis eius, quam nunc agis, animæ, aptiſſima hora eſt. Alioqui quis omnino hominum ante ſuum diem moritur, cum ille ſit ſuus dies, in quo moritur, non alius? *D.* Ante tempus morior. *R.* Neque ante tempus, neque poſt tempus, ſed in tempore morieris: niſi ſic forte tempus accipis, quod tu tibi, non natura, ſeu fortuna præfixerat. Ante illud enim ſic non mori poteſt, ſicut nec poſt illud viuere. *D.* Morior ante tempus. *R.* Quis, niſi amens, queritur ante tempus abſolui vinclis, & carcere relaxari? Lætandum, medius fidius, ſi ante tempus accidiſſet: ſed nec accidit, nec accidere potuit: ſuum tempus habent omnia: hic te terminus manebat, hic metam fixerat, qui te in hoc vitæ ſtadium induxit. Si de hoc fine quereris, & de alio quolibet queri poſſes. *D.* Citò morior. *R.* Citò natus eras. Non moritur citò, qui iam ſenuit. Quod ſi non ſenueras, ceſſat altera pars querelæ: quanuis, ſi portio vitæ vltima eſt ſenectus, non ſenuiſſe non poteſt quiſquis moritur. Sed intelligo ſenectutem, vt vulgus annorum congeriem multorum, cui non, vt reliquis, finis eſt alius, quam mors: de initio diſcrepatur variis ſententiis, ſed pro viribus ſeneſcentum, proque valetudine corporum atque animorum habitu ad concordia redigendis. Tota denique res huc redit, vt vel mortis incuſare celeritatem deſinas, vel moleſtias vitæ prolixioris, quæ de mortis ipſius tarditate proueniunt. Sed vos vobiſcum diſſidentes, nec mori vultis, nec ſeneſcere: cum vtrunque certè, vel alterum ſit neceſſe. *D.* Amplius viuere poteram. *R.* Immo certè non poteras. Nam ſi poſſes, puto viueres: ſed hoc dicere vis, volebam, ſeu ſperabam; &, vt eſt animus mortalium

vitæ

vitæ auidus, spei credulus, vtrobique perfacilè tibi assentiam: at si dicere vis, dicebam, quia paucu-los adhuc dies viuere ætati non indebitum vide-retur, non æque consenserim. Quidam enim se-rius obeunt, multi ocius, nunquam nullus: hæc inter nihil in commune, nisi vt omnes mortales vna lex teneat, vnum mortis imperium, alio ta-men, atque alio moriendi genere, diuersisque vi-tæ spaciis. Sic rei vnius modus multiplex, tem-púsque peruarium est. Æquo animo igitur quis-que suum mortis genus, suum diem mortis expe-ctet; nec auiditate vitæ, nec fastidio, quod indocti ingrati omnes faciunt, de naturæ legibus quera-tur, aut litiget. *D.* Modicum vixi. *R.* Nul-lus tamen vixit, vt non sibi modicum vixisse vide-retur; & est planè modicum, quicquid hic viuitur: itaque si diu viuere delectat, vitam illam quærite, vbi semper viuitur; quæ, etsi hic non sit, tamen hic quæritur. *D.* Vixi modicum. *R.* Quid si diu vixisses, nunquid ideò, non vixisses modicum? Spacia vitæ huius imparia, & incerta sunt; vnum omnibus est commune; cuncta sunt breuia: vixit aliquis octuaginta annos, quid hic, quæso, plus ha-bet, quàm qui octo; verte acriter te in te, nec te fal lat vulgi furor. Qui plus, inquam, habet, qui diu-tius vixit, nisi fortè curas, laboréque, & dolores, & tædia, ac peccata in lucro ponitis. Aut quid plus haberet, si vixisset octingentos. Est in expe-ctatione fateor, plusculum aliquid. At cum spa-cium vtrunq. trãsierit [mihi crede] nihil inuenies, quo plus vixisse felicius sit. *D.* Morior, dum bene agere cogitabam. *R.* Quid agere cogitabas, nec a-gebas? sic forsitan in perpetuum cogitasses. Sunt, qui bene agere semper cogitent, nunquam ta-men incipiant. Quod si bene agere cœperas, ne

dubites, quanuis boni operis finem, mors præuertat: apud cœca hominum iudicia, fortasse aliquid, sed spernendum; apud infallibilem rerum æstimatorem, nil tibi subtrahitur, integra merces tua est, non actuum modò, sed votorum. *D.* In medio rerum apparatu morior. *R.A.* Hæc non mortis, sed morientium culpa est, qui breuissimam vitæ telam, tum maximè ordiuntur, dum præcidenda erat: quod nisi sic esset, non tam sæpè inexpletis vitæ muneribus morte præuenirentur, seu expletis, ac transactis viuerent, qua profectò nulla dulcior vita est. Hanc tamen dulcedinem non tam vitæ breuitas, quàm viuentium torpor hominibus eripit, quibus nulla ideò longa est vita, quia quantumcunque sit temporis, nunquam viuunt, semper viuere meditantur, & iam senes inter noua vitæ consilia fluitantes, celeri fine, serum pincipium antecedunt. *D.* Morior, dum magna pararem. *R.A.* Hoc multis magnis viris, feréque omnibus accidit. Falluntur homines, cum in multis, tum in morte præcipuè, quam venturam nemo est, qui nesciat, dilaturam sperant, & abesse procul fingunt sibi, quam vicinam semper, hinc vitæ breuitas, & fuga temporum facit: hinc fortunæ vis, & casuum humanorum circunfusa varietas. Et ô cœcitas mira, quòd quid vobis sit sperandum, in aliis saltem aliquando non discitis. Sed sic est, ægrè ad amaras cogitationes animus redit, itaque dum sibi quisquis longissimum vitæ spatium spondet, dúmque vel æuum Nestoris, vel [vt ait Cicero] Metelli fortunam sperat, denique dum se quisque prędilectum naturæ filium credit, de primordiis agitantes, finis occupat, & multa deliberantes, improuisa repente mors aggreditur, mediósque intercipit appara-

paratus. *D.* Viridi morior ætate. *R.A.* Vt nil in hoc aliud boni sit prouisum, tibi est saltem, senio ne marcescas. Senectus enim quamuis non sit grauis, vt apud Ciceronem ait Lælius, vtque à nobis supra disputatum est; aufert tamen eam viriditatem, in qua quidem, vt Scipionem ille, sic tu nunc etiam & te fuisse commemoras; multis tu fortasse desiderio, nulli iam fastidio futurus sis, quod in longa ætate vitare, quantalibet virtute, subdifficile est. *D.* Iuuenis morior. *R.* Nosti, quid in vita passus fueris, quid passurus ignoras, & mihi crede in hoc tam vario tamque immiti fortunæ regno, qui præmoritur, comitem fallit. *D.* Morte præpedior, ne cœpta perficiam. *R.A.* Iniustè quidem: agitis enim semper, quæ peregisse pridem decuit, peractique nihil est: hoc maximè vobis grauem mortem facit, ac miseram: & si quidem absque tua culpa, cœpta peragere nequiuisti, sufficiat voluisse: sin per ignauiam distulisti, displiceat neglexisse. Quod si forsan hæc lamentis causa prætenditur, verè autem nihil aliud, quàm vitæ prolixitas & dilatio mortis optatur inanis, licet publici voti, tandem te, vel sero pudeat. Audite enim me mortales, vsque adeo vitæ cupidi; quæro ex vobis, sequestrato virtutum exercitio, quid omnino aliud vita hæc, quàm segnis, & inutilis mora est? quæ, quantulacunque fuerit, nequit non esse breuissima. Dictum ergò placet illius, cuius Augustinus meminit, quem in extremis agentem, cum amici solarentur, ac dicerent, ex eo morbo minimè periturum esse; Respõdit, si nunquam bene; at si aliquando, cur non modò? *D.* Interruptis rebus morior. *R.A.* Si ad mentem redeunt aut rebus gestis, aut ingenio clariores, magna pars inexple-

tis operibus obiere. paucis in hac breui vita contigit, vt concepta, seu iam incœpta perficerent. Tu verò, quoniam communi hominum more, hasce in anguſtias impegiſti, nec præterita retractari poſſunt, vnam hanc emergendi viam arripe, non vt ad multa interrupta flebiliter, inutilitérque reſpicias, ſed vt viriliter, quod vnum reſtat, expedias, bene mori.

De Morte Violenta. DIAL. CXXI.

Vnicuique modum moriendi fata dederi;
Et bene qui vixit, non male obire potest.

DOL.

SEd violenta morte pereo. *R.* Si nolens moreris, violenta mors eſt: at ſi volens, nulla. *D.* Per vim morior. *R.A.* Si quidem vitæ vis affertur, quid intereſt, febris, an gladius, dum liberè egrcdiare? quid refert, an ergaſtuli tui fores ſponte, pateant, an frangantur. *D.* Vi morior. *R.* Multæ ſunt ſpecies mortis, ſed mors vna, quæ an violenta ſit, an non, morientis arbitrium eſt; vim vis maior ſuperat, conſenſus extinguit. Sapiens ſic inſtructus eſt, vt quibus non poteſt obſtare, conſentiat: quid tu, inquies, Percuſſori meo, vt conſentiam, iubes? quidam non conſenſerunt modò, ſed gratias egerunt: inuentus eſt, qui percuſſorum ſuorum ignorantiam excuſaret, & ſupremo illius anhelitu veniam precaretur. Neque ego te cruento conſentire carnifici, iubeo, ſed inuitæ ſorti; cui, qui non ſponte paruerit, vi parebit. *D.* Morior hoſtili manu. *R.* Quid tu igitur, amici manu, mori poſſe, credideras? quando id tibi, niſi ab ignorante contingeret? *DO.* Hoſtili dextra pereo. *R.A.* Hoſtiles euadis manus. Ille, dum iræ ſuæ obſequitur, libertati tuæ conſulit, poteſtati

ſuæ

ſuæ detrahit, nilque amplius in te poteſt. Satius eſt ſub iniuſto hoſte procumbere, quàm ſub iuſto rege. Illic enim occiſoris eſt crimen, hic occiſi. Hoſtili ferior manu. *R.* Quid tua magis interest qua dextera, quàm quo gladio feriare? Non de manu, ſed de vulnere quæritur: quanuis & Pompeius manu Cæſaris ferri, pro mortis ſolatio videatur, apud Lucanum, optare, & apud Statiũ, Capaneus Ipſeum; apud Vergilium, Æneas Lauſum, Camilla Ornithum, quòd illorum manu occidantur, conſolentur. *D.* Ferro morior. *R.* Communis tibi cum maximis fortuna, cúmque optimis viris: bona pars eorum, quos vel præſens vita feliciſſimos habuit, vel æterna ſanctiſſimos habet, gladio perire; quos ſi numerem, non breuiloqui monitori, ſed longi opus erit hiſtorici. *D.* Gladio pereo. *R.* Alij aliter, quidam laqueo, quidam lapſu, quidam vnguibus leonis, aut aprí dentibus, multis ferri copia defuit, dum optarent gladio perire. *D.* Ferro ferior. *R.* Quid ſcis, an maiori exitio ſubtraharis, quódque miſerrimum cenſes, grauioris miſeriæ fuga ſit? dixi ſupra, vt Plotinum, alterum à Platone philoſophiæ decus, peſtilens lepra percuſſit. Id non dixi, vt alterum, ab Homero, poëticæ Graiæ lumen, Euripidem, canes morſibus lacerarunt: Lucretius veſtrorum vatum primo proximus, cui tam multa Vergilium auferre non puduit, amatorio poculo accepto, in morbum, rabiémque compulſus, gladio ad poſtremum pro remedio vſus eſt. Herodes rex Iudææ, tam fœdo morborum agmine circumuentus, interiit: vt compendioſior ferri mors, inuidioſa ſibi eſſe potuerit, vtque auguror, fuerit. Romanus princeps Adrianus morbi tædio victus, impatientiam doloris, ferro abrumpere ſi licuiſſet, o-

ptauit. Magnum quendam virum, hac ætate, vermes toto scatentes corpore; mures alium, exedisse narrantur. Inter tam multa ludibria humani corporis, si electio tribuatur, quis imbecillis adeò, vt non ferrum ambiat? *D.* Ignibus pereo. *R.* Quidam animæ vim, naturámque igneam æstimantes, id facillimum mortis genus opinati sunt. *D.* Flammis absumor. *R.A.* Vermibus ereptum corpusculum, non putrescet. *D.* Fluctibus obruor. *R.* Piscibus conuiuium, bustum tibi amplum, nobile nitidum. Et quid refert corpus terrenum, terræ reddas, an pelago? *D.* In freto morior. *R.A.* Non vbi, sed qualiter moriaris, adrem pertinet; vbique bene mori licet, vbique male. Non in loco, sed in animo est, quod felicem mortem facit, aut miseram. *D.* In mari pereo. *R.A.T.* Persuasum multis scio, in mari miserum mori, quòd æthereus, atque ardens spiritus, suo contrario videatur opprimi. Sed, vt dixi, nihil locus ad miseriam, animus totum. Itaque de hac re, nautæ nescio cuius responsionem probo; quem cùm quidam interrogasset, vbi nam pater eius obiisset, in mari, inquit. Cúmque idem ille de auo, & proauo, atque atauo nominatim quæsiuisset, ex ordine responsúmque ille idem de singulis accepisset, intulit: Et nunquid tu, inquit, mare ingredi non times? Respondit, Nauta dissimulans; & vbi nam tuus obiit pater? Suo, ait, in lectulo; vbi auus, inquit? & is ait, & proauus, & maiores mei omnes, suis in lectulis obiere. Tunc nauta; Non tu, inquit, tuum non times in lectulum ascendere? Eleganter quidem, aliquantóque plus, quàm nauticè. De morte igitur, natura viderit, quæ mortales fecit; at de genere mortis, de loco, de tempore, viderit fortuna. *DOL.* Veneno morior.

R. Co-

R. Comites tibi illustres pridem, dum de hoc vno ageretur, exposui. Regia quidem mors est gladius, sed venenum magis. Et ad summam, ridiculum valde est, vbi de morte decreueris, de instrumentis esse anxium.

De Morte Ignominiosa. DIAL. CXXII.

Si meruit scelus infamite morte perire,
Aequo animo qui fers, sustine, saluus eris.

DOL.

SEd ignominiosa mors est. *R.* Mortem ignominiosam facit, non genus, aut qualitas, sed causa supplicij. *D.* Ignominiosè morior. *R.* Nemo bonus male moritur; Nemo malus bene: honestam mortem, non funeralia non ministri, non purpureę faciunt exuuiæ; non inuersi clypei atque enses, & flens dominum familia, & vulgi clamor, ac lamenta, & mœrore vxor insignis, & pietate filius, & deiecta ceruice, ante feretrum, nigro indutus; ac lachrymis grandibus humeris, & non postremò funereus laudator homo, & imagines aureæ diuitis sepulchri, defunctíque titulus, victurus in marmore, donec sua quoque [licet sera] lapidibus mors sit; sed virtus, & clarum meritis viri nomen, non vulgaris egens auræ, sed suapte eminens maiestate, quod non præceps, & cœcus fauor hominum, sed rerum series, & innocens vita peperérit, atque vsque ad mortem veritatis, & iustitiæ susceptæ defensio. Intérque medias mortis minas imperterritus, atque infractus animus, ac generosa fiducia. Contra his decoribus honestam mortem, quis ignominiæ, quæso, locus est? aut quomodo turpiter mori potest, qui sic moritur? Seruilem in modum virgas adhibe, & torrores, & laqueos, & secures,

fige cruces, & rotarum radios attolle, & quadrigas in diuersum age, lacera huc, & illuc membra rapturas; adde ignes, & craticulas prunis impositas, atque oleo vasa feruentia, & ferarum dentes fame armatos, adde vncos, & gæmonias, ac tracta per vicos laniata cadauera, & quicquid iniuriæ, atque opprobrij, seu viuum, seu exanime corpusculum pati potest; dura mors fortasse videbitur, ignominiosa certè non fuerit. Imo verò non nunquam eò clarior, quò durior. Itaque apparatus hic exterior, & tumultus, & tubæ, & carnificum truces vultus, & irati vox tyranni, nihil prorsus ad rem; intra te ipsum te reflecte, ibi te quære; atque excita. Omnibúsque, quæ supersunt, animi virib. ad extremos casus accingere; aures ab inuiso strepitu, à supplicij pompa oculos auerte, tacitúsque totam animam recollige, atque hortare, résque ipsas examina, non vmbras rerum. Tu, si mortem ipsam, rectis oculis, spectare audes, nec ferrum, puto, nec restim, nec liuentes calices, nec stillantes carnifices horrebis: vanum est enim ipsum hostẽ cùm contempseris, eius faleras, aut signa, metuere. *D.* Ignominiosa morte damnatus sum. *R.* Sæpè actor, seu delator infamis & obscœni testes, & obscurus iudex; reus autem ipse clarissimus: sæpè ignobilis vulgò mors, nobilis verò, glorioſúsque, qui moritur. Iam, vt sileam reliquos, quòd & nimis multi, & multò impares sunt; quæ vsquam ignominiosior mors, quàm crucis? in qua pependit eximium illud, & prænitidum cœli decus, ac terræ; ne tale aliquid ignominiosum sibi censeat vlla sors hominis. Et quoniã summo nihil est altius, in hoc defino. Omne genus mortis honestare potest virtus, virtutem nulla mors inquinat.

De

De Morte repentina. DIAL. CXXIII.

Cùm mortis genus, & metam nescimus, & horam,
Ad tempus mortis nos præparare decet.

DOL.

AT repente nimis morior. *R.* Paulo ante, si recolo, senuisse te dicebas. Miror quomodo repentina mors seni est; qui, nisi, non dicã, delirat, sed insanit; semper ante oculos mortem habet. Námque, cum omni ætati salubriter sit consultum, vt omnem diem sibi vltimum credat; hoc amplius ritè consulitur senectuti, vt omnẽ horam sibi putet extremam, neque illud modò non audiat, quod est apud Tullium, nemo tam senex, qui se annum non putet viuere. Sed ne id quidẽ, quod Seneca ait, diem. *D.* Subitò morior. *R.* Quid hic dicam, nisi vt repetã, quod ille olim summus hominum, nec minor ingenio, quàm fortuna, vno, ne integro quidem, ante suũ obitum die, quasi iã verum experientiæ vicinitatem præsagiens, dũ de hoc ageret repentinã, atque improuisam mortem commodissimam iudicauit; quod iudicium ab ea videbitur religione dissentiens, quæ ab hac morte liberari, flexis genibus, Deum orat: neq; ego hanc sententiam, vbi sit libertas, amplector; aliud tibi nempe cogitandum est; neque verò hanc optabilem, sed, vbi fit, tolerabilem mortem dico. Siquidem sapienti, quíque eminus cuncta præuiderit, inopinum nihil accidere posse, non ambigitur. Vnde fit, vt improuisa mors non sit, cuius prouida vita fuit. Nam quo pacto rerum maxima negligat, qui parua, qui minima etiam librare sit solitus? humanis autẽ in rebus, quid mihi maius morte monstraueris? quid par morti? *D.* Velociſſi-

mè morior. R. Impræmeditata modò non sit mors, quò velocior, eò facilior: suppliciũ enim [si quod est] vtique breue est, sensumque ipsum celeritate præueniens, & morti detrahitur, quod est in morte durissimum, metus mortis.

De Aegrotante extra patriam. DIAL. CXXIV.

Sæpe solum natale miser felicius extra,
Aegrotat, quàm si viueret in patria.

DOL.

ALiena in patria ægroto. *R.* Quid refert, cuius sit patria; ægritudo vtique tua est. *D.* Ludis me, ego extra patriam ægroto. *R.* Qui extra vnam patriam est, intra aliam sit, oportet; extra omnem patriam nec ęgrotare, nec sanus esse quisquam potest. *D.* Diuerticula verborum quæris. Extra meam patriam ægroto. *R.A.* Vnum hoc bonum huic ineſt malo. Nemo grabatulum tuum premet. Non importuna vxor, aut filius, sui vterque sollicitus, negligens tui. Quoties putas viro vxor, patri filius, fratri frater, in vltimis laboranti, puluinar iniecerint, & mori adiuuerint, quẽ alienigenæ vetuissent? Sæpè ibi maior est caritas, vbi minor creditur. Certè nullus astantium morbo tuo gaudebit nullus tibi mortem optabit; quęris causam? Nullus hæreditatem tuam expectabit; omne in facinus spes, & cupiditas impellunt. hæc tranquillitas non facilè tibi in patria contigisset. Multi stratum circunsisterent, sub officij specie funeri inhiantes; quæ cogitatio, ægrotanti ægritudo [nisi fallor] altera est. Obsessum hinc lupis, hinc vulturibus se cernenti, iam cadauer mente captãtibus. *D.* Extra patriam ęgroto. *R.* Quid scis, forsitan nunc in patriam redis. Rectum, & breue

ue iter in patriam est, mori. *D.* Extra patriam æger sum. *R.* O superuacuæ semper, & inanes hominum querelæ. Quasi verò ardentior extra patriam febris, aut durior sit podagra. Malum hoc omne, quod videtur, voluntarium est, atque in vestra positum potestate, vt pestes aliæ, quascunque falsa animis inuexit opinio.

De Morte extra patriam. DIAL. CXXV.

Sæpe solum natale mori felicius extra
Contigit ægroto, quàm peruisse domi.

DOL.

MOrior extra patrios fines. *R.* An peregrino id accidit, an exuli? Iam, seu te in his terris visendi, dicendíque studium, seu religiosa deuotio detinebat, & gaudendum, quòd honesto te mors reponit in actu; seu iusta sententia, & ferendum non modò fortiter, sed libenter. Nullo enim melius modo iniusti scelus hominis, quã iusti supplicij spontanea, ac tranquilla perpessione diluitur. Sin potentioris iniuria, neque id tamen ideò dolendum, sed satis [vt arbitror] de exilio disputatum est. *D.* Extra patriam morior. *R.A.* Dicebam modò, hoc est in patriam redire, nullus rectior trames erat, nullus breuior. An tibi Eudemus ille Cyprius, familiaris Aristotelis, è memoria lapsus est? de quo & Aristoteles idem scribit, & Cicero. Qui cùm grauiter in Thessalia ægrotaret, vidit in somniis, se quamprimùm ægritudine liberandum, & post quinquennium in patriam reuersurum. Tyrannũ verò verbis illius, vbi tũc erat, Alexandrũ Phęreũ illico periturũ. Cúmque ipse paucis post dieb. insperatæ redditus saluti, etiã tyrãnus à cognatis esset occisus, atq. ita verã

per omnia visionem ratus, promisso tempore reditum in patriam expectaret, quinti anni ad finem, pugnans Syracusis, occubuit; eóque illum modo in patriam suam rediisse somniorum interpretes dixere, nequa penitus pars somnij falsa esset. Ego, quid de somniis sentirem, dixi alibi: De hoc in patriam reditu, quid occurrerit, modò dixerim. *D.* Extra patriam mori cogor. *R.* Dixi, dum de exilio loqueremur, & repeto: aut nemo extra patriam moritur, aut omnes. Doctis quidem viris placuit, omnem mundi plagam patriam esse, & præsertim forti animo, quem non huius, aut illius partis amor astrinxerit. Aliis enim tantùm, vbi bene esset; contra, nullam hic esse homini patriam, quibusdam visum, illa communis, hæc altior philosophia est. *D.* Morior procul à patria, in qua natus sum. *R.A.* Vbi moreris, illa demum verior patria tua est. Illa te diutius possidebit, nec vagari sinet, & proprium, perpetuúmque incolam, sinu amplexa, constringet: discehanc terram pati, quæ te ortum alibi, transformabit in se. *D.* Procul à patria mors me manet, & sepulchrum. *R.A.* Et cælestes illi diuiníque homines, cœlos vna ætas, & eadem media mundi parte genuerat, toto orbe dispersi sunt, mortibus, ac sepulchris. Illum Ephesus, illum Syria, illum Persis, illũ habet Armenia, illum Æthiopes, illum Indi, illũ Achaia, illos Roma, illum vltima seruat Hispania: quosdam tamen ex his, loco mortis, ablatos esse, nunc in Italicis vrbibus fama est, qua terreni erãt; pars quidem ætherea pridem, haud dubiè cælum tenet. *D.* Extra patriam mori oportet. *R.* Quid secundi ordinis viros loquar? Illum Stridoni Bethleem prius, & post Roma; illum Gallia Pannoniæ, atque illum Athenis abstulit Parisius; hunc Græ-

Græciæ, atque nunc Hiſpaniæ rapuit Roma; hunc Mediolanum Romæ viuum, hunc defunctum Africæ Sardinia; mox Sardiniæ Ticinum, occidentis duo lucida ſydera, æqua meritis, iuncta animis, vicina corporibus; qui ſunt, de quibus loquor, intelligis; atque ideò multa feſtinans tranſeo. Sed ne tertij ordinis exemplum deſit. Illum Paleſtinæ Cyprus tulit. Illum Nurſiæ Campania, hos Hiſpaniæ Italia, illum quidem Bononia, hunc Patauium. *D.* Intelligo planè ſingula. Sed adhuc inuitus procul à patria morior. *R.* Et ego planè cauſam rei huius intelligo, quòd ſcilicet ſanctiſſimis ſpiritibus, cælóque ſemper hærentibus, nulla iam terrenæ patriæ cura eſſet, quæ nondum tibi depoſita [ſed mihi crede] ſi cælo inhias, deponenda eſt. Attingam tamen de hinc alios virtutis amicos, cœli memores, nondum tamen cæli ſtudio, terræ oblitos. Samij oſſa Pythagoræ Metapontus texit: Ciceronem Arpini ortum, Romæ altum, Caietæ ſinus exanimem vidit: Plinium, quem infantem lauit Atheſis, grandæuum veſeui cinis extinxit: Vergilium mundo dedit Mantua, Brunduſium [ſiue vt alij perhibent] Tarentum rapuit, nunc Neapolis tenet: Ouidium Sulmo compegit, Ponticum ſoluit exilium: Terentium Comicum, vt fama eſt, Carthago genuit, Roma docuit, Archadia ſepeliuit: Flaccum Horatiũ Apulia: Ennium Calabria: Statium prouincia Narbonenſis: Auſonium Vaſconia: tres Annæos, ſiue [vt alij volunt] quatuor, duos Seneca, videlicet, Gallionem, & Lucanum, miſit Corduba; & hos omnes, & Plautum Arpinatem, & Lucilium Aruncum. & Pacuuium Brunduſinum, & Iuuenalem Aquinatem, & Propertium Vmbrum, & Valerium Antiatem, & Catullum Veronenſem, &

Varum Cremonenſem, & Gallum Forliuienſem, & Actium Piſaurenſem, & Caſſium Parmenſem, & Claudianum Florentinum, & Perſium Volateranum, & mille alios; Roma retinuit, ac magna ex parte humo condidit; Tito Liuio Patauino vix ſerum, velut ad ſepulturam, patriæ reſtituto; ſicut ex diuerſo, multos Roma eadem genuit, alibi morituros. Orbis terræ, quaſi domus anguſta eſt, & ipſe quadrangularis, cuius ab extremo ad extremum tranſitus. Et hic viuere, illic mori, non pluris eſt fortibus animis, quam pro vario vſu balneum triclinio, ſeu brumali, æſtiuum thalamum mutare. Trita eſt omnibus, maximéque illuſtribus, alternatio hæc originis, & ſepulchri. *DO.* Scio ſic eſſe, extra patriam tamen mœſtus morior. *RA.* Nihilo lætior in ea ipſa, quam tuam dicis patriam, moreris; ſed indulgetis fletibus, tanquam ſua illis inſit delectatio. Quod ſi animum vulgi erroribus circumuentum, ſanctæ, doctæque ſimul, ac diſcretæ paupertatis exempla non adiuuant, fortunatioribus agam, ſi quod doles, Regibus, ac Cæſaribus accidiſſe monſtrauero, ducúmque clariſſimis, maximorum ne hominum fortunam ſis recuſaturus, videro. *D.* Quid dictura, quóſve in medium prolatura ſis, ſentio. Sed quid opus eſt verbis, doleo extra patriam mori, mortíſque moleſtiam locus grauat. *RA.* Medicam manum horres, video, pergam tamen, quàm feliciter tu videto, mihi verum dixiſſe ac fideliter monuiſſe ſat fuerit. Alexandrum Pella genuit, Babylon peremit; Alexandria conditoris ſui nomen ac cinerem cuſtodiuit. Alterum Alexandrum Epiri Regia pauerat, Lucanus amnis obruit. Cyrum Perſis Regem tulerat, Scythia truncum tulit. Marcum Craſſum, magnumque

que Pompeium Roma, & Romanum imperium omne suspexerat, quæ viuorum magnitudinem toleraſſet, vtique mortuorum [si sors sineret] suffectura cineribus. Sed alterum trans Euphratem tellus preſſit Aſſyria. Alterum Ægyptiaci gurgitis vnda contorſit. Catoni huic vltimo Roma principium, ac nomen, finem, cognomenque dedit Vtica. Cornelios Scipiones Roma progenuit nobiliſſima, & Reipubli. ſaluberrima germina, quibus ſeruanda ſæpè eſſet, & ornanda, hos ſic ſua ſors diſtribuit, vt duo hi, qui dicuntur magni, Hiſpania tellure obruti, Superior Africanus Linterni, Naſica Pergami, Lentulus intra Siciliam, ſeiunctis habitent ſepulchris. Soli ex hoc numero Aſiaticus, atque Africanus minor Romæ iaceant, melius quolibet in exilio iacturi. Ille carcere multatus, hic morte. Sic perſæpè, vbique melius viuas, melius moriare, quàm in patria. Nuſquam durius iaceas, quàm domi: tres Decij, etſi duos tantùm fama celebret, extra patriam animoſiſſimè ceciderunt. Cum Latinis pugnans pater, cum Hetruſcis filius, addidit Cicero, & cum Pyrrho nepos: quid nunc ex ordine occurrentes eximios duces ſequar, omnes Romæ genitos, ſed extinctos alibi? Attilium Regulum, pro ſeruanda patria ſimul, atque hoſtifide, quò crudelius, eò glorioſius morientem, vidit Africa, & ſequenti bello, Gaium Flaminium Cortona, Æmilium Paulum Cumæ, Claudium Marcellum Venuſia, Tiberium Gracchum Lucania procumbentem vidit. Nulli horum Romæ mori contigit, duæ ſpes ingentes imperij Romani, in ipſo ætatis flore ſucciſæ, Druſus, & Marcellinus. Et ambo in patriam reuerſi, ambo tamen procul à patria, ille in Germania obiit, hic in

Baione. Quid nunc, tu ne Tarquinio superbior? tu ne potentior Sylla es? Atqui ille Cumis exul, hic dominus Puteolis expirauit. Quid minores loquor? Augustus Cæsar, pater patriæ, extra patriam obiit apud Campaniæ Nolam. Tiberius dispar moribus, imperio par, apud Campaniæ Misenum. Vespasianus, ac Titus optimi principes, vt patrẽ, & filium decebat, vna & eadem villa, quamuis prope, extra vrbem tamen obiere: at Traianus in Occidente natus, in Oriente defunctus est. Septimius Seuerus in Africa humilem habuit originẽ, Romæ superbum imperium, Eboraci autem in Britannia sepulturam. Theodosium in Hispaniis ortum, defunctúmque Mediolani, Constantinopolis accepit, quæ iam prius aliunde editum sui nominis possidebat authorem. Quid de aliis dicam? Lycurgum Sparta profugum, Creta suscepit. Eadem Creta Saturnum regẽ, pulsum à filio, abeuntem vidit; Italis finibus abditum, humatumque audiuit. Africæ lumen, Annibalem tegit vrna Bithinica. Thesea Themistoclem, ac Solonẽ, tres Athenienſiũ coronas, sic fortuna disperſit, vt primum Syria, secundum Persis, tertium Cyprus sepeliret. Imparia tãtis cadaueribus sepulchra; dies me deficiet singulis immorantem; neque historiis obruere proposui, sed monere. *D.* Teneo: sed hos omnes, & quoscunque alios potes, extra patriam defunctos, fateor, sed volentes nego, dolentésque arbitror. *R.* Vnde hoc tibi, nisi quòd stulti omnes, secundum se alios æstimant; neque quod sibi difficile est, cuiquam possibile suspicari possunt? Et fortasse illi veteri potius prouerbio præbuisti aurem: Bonum est peregrè viuere, mori malum, cum vtrunque potius bonum fit, modò bene fiant longanimiter, atque honestè; malum vtrunque, si

male, si flebiliter, atque ignauè dicam, quod mireris, quodque prouerbio penitus sit aduersum: si qua locorum querimonia iusta est, hanc ego faciliùs viuenti permiserim, cuius vtcũque forsan intersit, quàm morienti, cui omnis loci cura superuacua est, iam locis omnibus abituro. *D.* Tangis animum adhuc tamen in patria mori mallem. *R.* Voluntas humana, nisi virtus, ac sapientia illam firmet, per se ipsam indomita, & effrenis est. Quid si altiùs attendas, totum hoc ad te nihil pertinere fatebere: quando neque hic amplius esse potes, neque ossibus tuis superesse sensus aliquis, quo discernant, vbi durius, aut molliùs cubent: neque, quò tendis, aliunde faciliùs peruenisses, aut breuiùs. Eleganter Anaxagoras peregrè moriens, an in patriam referri vellet, amicis interrogantibus: Nihil necesse est, inquit: & adiecit causam: Vndique enim ad inferos tantundem viæ est: quod responsum non minus conuenit ad cœlum ascensuris quàm casuris ad inferos. *D.* Vtinam domi morerer. *R.* Si illic esses, forsan alibi esse optares: sic enim habe, & quod viuens debueras, disce vel moriens: perdifficile est vobis ô mortales, morem gerere, delicati, & queruli, quibus, quod habetis, omne viliſſimum est semper, & solum id optatis, quo caretis. *D.* O si domi morerer. *R.* Multa ibi forsitan videres, quæ mortem tibi efficerent grauiorem: vnde ideò te semotum crede, vt reiectis curis omnibus, Deum solum, atque animam cogitares.

De Morte in peccatis. DIAL. CXXVI.

Heu malè decedit, vitam qui crimine finit;
Orandus Deus est, det bene posse mori.

DOL.

MOrior in peccatis. R. Hæc iam nec naturę, nec fortunæ, sed tua propria culpa est. D. In peccatis morior. R. A. Primùm, peccare quis te compulit; deinde quis vetuit commissa diluere? Postremò, quis nunc etiam, licet, pœnitentiam impedit? vsque ad extremum spiritum liber est animus. D. Peccata mea moriens mecum fero. R. Caue, ne id facias: venenosum mortiferumque viaticum depone, dum vacat dumque est, qui illud tollat, ac deleat, vt scriptum est proiiciatque post tergum suum in profundum maris, & quantum distat ortus, ab Occidente, longè facia tabs te, hanc tu horam ne neglexeris, quæ semel elapsa nō redibit, quo licet horis omnibus sit commune, vt eant semper, nunquam redeant. In vna tamen omissum hora, in altera forsan restaurari datum sit. At extremæ horæ negligentia prorsus irreparabilis est. Itaque, quod in arcanis animæ disputationibus inuentum ferunt, vitæ huius errores, quasi leues quidā lapsus, in plano sunt, vnde facilè possis assurgere. At peccatum mortis, graui, & ex alto, præruptoque simillimum est ruinæ, vnde facultas nulla sit resurgendi: huic tanto discrimini, cui post hac nunquam succurrere valeas, nunc occurre, dum vales, & memento, non modò quid vestri dicant, sed quid Cicero, qui de morientibus in diuinatione sua disputans: Tu, vel maximè, inquit, laudi stude: eos namque qui secus, quàm decuit, vixerunt, peccatorum suorum maximè pœnitet. Quid

à quo-

à quoquam, quæso, religiosius, quid vtilius dici po teſt? Fiat modò, quod dicitur pœniteatque, vel ſerò: anceps, fateor, ac periculoſa dilatio, & quę plurimos fallit, qui purgatione animæ, quæ feſtina ni mis eſſe non poteſt, ſcientes, volenteſque procraſtinant, & in finem trahunt, quo tempore circunuenti, & arctati, viciniaque mortis attoniti, nihil de conceptis expediunt. De quo, quoniam multa dicuncur à veſtris, haud impertinens eſt audire, quid hic quoque Vergilius, & ipſe teſtis externus, dicat; quibus verbis hanc deſidiam, neglectamq. confeſſionem notet, ex illius ore mirabile; vbi apud inferos iudicem illum facit iuſtitia, & æquitate notiſſimum, qui, vt ipſe ait,

Caſtigatque, auditque dolos, ſubigítque fateri,
Quæ quis apud ſuperos furto latatus mani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Sed quamuis hoc periculoſum adeò ſit, nihil tamen deſperatione periculoſius, nihil peius veſtræ ſalutis hoſtis inuenit. Cætera enim ſuis cuncta remediis leniuntur, hoc malorum maximum atque vltimum, abeuntem vbi animam oppreſſerit; nullus iam remedio locus eſt: huic ergò, cùm ſemper, tum in fine vehementiùs obſiſtendum eſt; quod & tunc vrgere acriùs ſolet, & iam nihil eſt reliqui, quo ſalutis conſilia cunctando reiicias, neque verò te hinc metus arceat, nec te pudor, dolorque dilationis impediant: peius eſt nunquam, quàm ad veſperam expergiſci; & omnino quicquid malè differtur, peius omittitur. *D.* Morior abſque vlla ſpe. *R. A.* Malè ais; immo verò ſpem proiectam recipe, & admotam pectori, totis animæ vlnis amplectere, ſtringe, confer tuo. *D.* Magnum eſt peccatum meum valde. *R. A.* Nullum

tam magnum peccatum hominis esse potest, quin multo maior misericordia Dei sit. *D.* Quis poterit tot peccata dimittere? *R.* Et quis, putas, nisi ille, de quo sui hostes admirantes litigabant, & quærebāt: Quis est hic qui etiam peccata dimittit? *D.* Quis tantorum veniam merebitur peccatorum? *R.* Nullus fortasse merebitur, aut meritus fuit; multis tamen data est gratis, & dabitur, modò sit, qui illam fideliter, ac reuerenter imploret. Nullam quidem esse remissionem criminum ingentium, persuadere aliqui, vt perhibent, Constantino Principi voluerunt. At id falsum esse, non modò apud vestros constat, apud quos remissio peccatorum per baptissimum, & per pœnitentiam nota est: sed apud paganos etiam fama fuit; falsa licet: quorum morbis ideò inefficax erat medicina, quòd eis nondum medicus cælestis aduenerat. Proinde, nisi mundari à peccato animus, & deleri posset iniquitas, frustra id toties peccator ille primum maximus, postmodum vir sanctissimus precaretur. *D.* Peccati conscientia spem præcidit. *R.* Peccati memoria pœnitentiam, & dolorem animo afferre debet, non vtique spem auferre. Sed vos omni ex parte fallimini: in peccato feruidi, post peccatum gelidi. Peccando quidem exultatis, memorando autem desperatis. Multi passim peccant, sub spe veniæ. Contrà verò multi cùm peccauerint, veniam desperant. Et vtrique errant. Nam & illis ab initio spem damnosam pellere; & his in finem salutiferam spē tenere, consilium erat. *D.* Grauem culpis mors præcipitat: quid agam? *R. A.* Quid, nisi quod egisse iam pridem decuit, vt infaustam sarcinam festinanter abiicias, qua leuatus, ibis planè, non præcipitabere. Ibisq. non curuus, non titubans: sed erectus, certo, ac stabili vestigio, & spe bona. Age ergò, ne

differas, neu diffidas: est, qui exoratus, ab humeris illam tuis transferat, qui grauiora iam transtulit, cui nil graue, nil difficile est. Et quamuis pigra dilatio excusatione careat, laude tamen non caret emendatio, vel dilata: satius est serò, quàm nunquam resipiscere. Confortare, respira. Multos à limine tartari, paucæ piæ lachrymulæ reuocarunt. Stat dexter ad lectuli tui caput qui non solùm infecto illi, se mundare velle respondit, sed quadriduano iam fœtenti, vt surgeret, imperauit; teque etiam nunc expectat, vt mundari velis, ac surgere. Non minùs ipse hodie, quàm tunc pius: nec solito minus potens. Adhuc, quo in statu mori velis, in te est. Adhuc sine peccatis mori potes, non quòd peccata non fuerint, sed non erunt. Etsi enim in præteritis nullum ius, nisi obliuionis, habere Deum, Plinius Secundus existimet; habet tamen, quod ille vir curiosissimus non vidit, ius etiam abolitionis. Itaque facta licet, infecta esse non possint, ex facto tamen oriens peccatum sic deleri potest, vt iam amplius non sit, ita, vt sicut scriptum est, quæratur peccatum, & non inueniatur, non quòd se peccati vinculis absoluere, potentię sit humanæ: sed quòd piæ hominum voluntati, contritoque cordi, diuinum nunquam desit auxilium.

De Moriente sollicito, quid de patrimonio, ac liberis futurum sit. DIAL. CXXVII.

Nil te sollicitent morientem commoda rerum,
Nil feret è mundo, qui nihil intulerit.

DOL.

QVid de patrimonio sperem, quid de liberis? RA. Et patrimonium dominos inue-

niet,& liberis ſua fors erit. *D.* Quid de tantis diuitiis fiet? *R.A.* Ne dubita, ne hæredi nimiæ videantur; nunquam tantæ erunt, quin aliquid deſit: de his tamen illa viderit, quæ res veſtras, haſque tam dilectas opes, huc illuc iaculatura, contorquet. *D.* Quid facient filij? *R.A.* A terreno patre deſertos, in ſuam curam cæleſtis pater accipiet, non relicturus, vt tu, neque orphanos facturus: ille eos nutriet, & docebit à iuuentute eorum, modò dociles ſe præbeant, & vſque in ſenectam, & ſenium, vſque ad mortem, & ſepulchrum non deſtituet. Spes naſcentis hominis Deus eſt, non genitor, quamuis diues, quamuis ille Rex ſit. Non eſt ædificandum in arena, ſed in petra. Omnis ſpes de homine breuis, & caduca eſt. Filij igitur tua ſpe deluſi, ponent in Deo ſpem ſuam, & cantabunt cum Dauid: Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: dominus autem aſſumpſit me. Multorum indolem filiorum, & virtutum ſemen mentibus inſitum, parentum blanditiæ extinxerunt, ſicut ex aduerſo, molliciem ſæpè diſcuſſit orbitas, ac paupertas. *D.* Quò deuenient opes? *R.A.* Vnde venerunt, reuertentur: hoc eſt, ad fortunæ manus. Inde rurſus ad alios, atque alios abituræ, apud neminem diu manſuræ. Vagæ ſunt enim: ſtare neſciunt. Neque ſine myſterio, rotundam numi formam opinati ſunt, quod volubilitatis indicium eſſe dixerunt quidam [facetè non inficior] ſed non minus triangularis, aut quadra volubilis haberetur: quod attinet ad diuitiarum fluxum: quarum natura eſt labi aſſiduè, ac volui: odiſſe vnius ſeras arculæ, crebris, ac variis poſſeſſoribus delectari: ſiue vt rubiginem motu vitent, ſiue vt fallant circuitione, quàm plurimos, ſiue vt cum dominis

minis suis de instabilitate contendant: hanc tu igitur moriens, vel viuenti, superuacuam curam pone: quin si locuples moreris, agnosce fortunæ fidem raram, vsque ad exitum è vita, diuitiasque. iam tibi non necessarias, aliis linque. At si pauper, expeditus proficiscêre: seu ingentes, seu exiguæ, seu nullæ opes tibi fuerint, modicum ad te olim, post hac verò nil ad te pertinet, nisi quòd inopem vixisse securius, quando laboriosa hæc vitæ vel præsidia, vel tormenta mortem quoque sollicitant. *DOL.* Quid erit de filiis? *RA.* Erit, vbi viuat tuum nomen, si sint boni. Si qua ea consolatio mortis est, non totus interiisse videberis; in illorum vultibus, inque actibus te sibi redditum amici credent, & gaudebunt. At si mali est cur cupidè deseras, quos corrigere nequiuisti; & corrigendos, ac domandos mundo tradas, ac fortunæ, néve illos moriens suspires, qui te morientem segnius suspirant & forsocyus mortuum suspirabunt. *DOL.* Quid de opibus? *RA.* Times, ne à te dimissæ, non sint dominos reperturæ? Expectantur, optantur, æstimantur, neque tam de contemptu, quàm de certamine metuendum: proinde iam nunc hæ diuitiæ suæ esse desinent; cuius autem sint futuræ, quid filios aspicis? sciri autem non potest quidem, nec oportet; sat est scire tuas fuisse: si fuerint tuæ, & non potiùs illius [rerum dominæ, transeuntium atque mortalium, quæ fortuna dicitur; sed sic tuas dico, hoc est, tibi ad breue tempus obsecutas; iam verò tempus est abeundi, cedendique aliis; sine illis parumper obsequantur, & vicissitudinem suam seruent: nisi ambitiosè mori [& quod stulti quidam fecere] tua tecum tumulo vis inferri

quandoque sepulchrorum effossoribus profutura: denique iam terræ, metallique curam proiice, cœlum, tandemque te ipsum cogita. *D.* Opes meæ fugiunt. *R.* Putaba-ne manſuras, cum fugeret vita, tum tu ipse continuè rapereris. *D.* Quid de opibus meis erit, postquam meæ esse desierint? *R.* Quid de eis erat, antequam tuæ esse inciperent? *D.* Opes tantas linquo, nudus abiens. *R.* Nudus intrasti, nudus egredere; non est, quòd queraris, sed est, vnde gratias agas. Alieni vsus, medio tempore, tuus fuit, nil tuum tibi præripitur: sed expleto vsu, reposcitur alienum: è vicinia migrantes aduenæ, vltrò, si quis est pudor commodata vasa restituũt. *D.* Heu, nil tantis ex opibus mecum fero. *R.* Aufer, quantum attulisti, vel si mauis, quantum reges auferũt. *D.* Quid impuberes nati agent? *R.* Adolescent si vixerint ac senescent, & ipsi suas agent vias, fortunamque suam, & labores vitę obibunt, interim sub tutela Dei erunt, & tu forsan sine patre impubes vixisti.

De Moriente ánxio, quid vxor, eo mortuo, sit actura.

DIALOG. CXXVIII.

Ne quæras post te, tua quid factura sit vxor:
Discessu namque est libera facta tuo.

DOL.

QVid dilecta vxor post me faciet? *RA.* Nubet forsitan, quid ad te? *D.* Quid faciet chara vxor? *R.* Tuo iugo absoluta, vel subibit aliud, vel libera ceruice vagabitur, vel iam fessa subsistet, & quietem sola meditabitur. *DOL.* Quid aget vxor amantissima? *RA.* Quid cùm te euaserit, actura sit cogitas? cum tibi subiecta, quid egerit, nescias. Magna pars mortalium quid

quid domi suæ fiat, nescia, quid in cælo agatur, quídve in terris sit agendum quærit. Sanè, quid deinceps agat vxor ipsa eadem, vel maritus alter viderit, ad te amplius cura ista non pertinet. *D.* Vereor, ne, post meum obitum, nubat coniunx. *R.A.* Quædam viuentibus viris nubunt. Fecit hoc apud Hebræos Herodias, apud Afros Sophonisba, apud Romanos Martia, & Liuia, quamuis has duas virorum consensus, ac iussus excuset. Tuæ, vni viro licet mortuo, nubere non licebit? Atqui paucæ viuis coniugibus fidem præstant, tu gelido etiam cineri fidem poscis? Si fida tibi vsque ad diem vitæ vltimum vxor fuit, quid ni totum cõiugalis fidei munus impleueris? *D.* Ne secundò vxor nubat, metuo. *R.A.* Ne primò nuberet magis forsitan metuendum erat. Id ad te pertinuit, hoc ad alterum pertinebit. Sic est autem, metuenda contemnitis, spernenda metuitis; nil in rebus iusto pretio æstimatis. Maritalis chori duellum securus intrasti, non cogitans, quid periculi adires, id intrare alium times? *D.* Nollem fateor, vxorem alteri nubere. *R.A.* Perfectæ quidem pudicitiæ secundæ nuptiæ, quantum licet [fateor] vitandæ sunt; sed viranda magis periculosa viduitas. Est, vbi nubere non tantùm permittitur, sed oportet. Difficile est formosam solam castè viuere. *D.* Dulcis alteri coniunx nubet. *R.A.* Raræ sunt, earum etiam, quas honestas dicunt, quibus non super præsentem coniugem, alter iam animo desponsatus sit. Mortalis mihi, inquiunt, vir est, quid si hic obeat? Num ille mihi, aut ille erit aptissimus, quem virtus, quem forma conciliet. *D.* Vxor mea nubet alteri. *R.A.* Tua quidem vxor minimè; ne tua enim sit

amplius, mors faciet; nec mirabere, si coniuges separat, quæ corpus atque animæ vincla dissoluit. *D.* Nubet iterum vxor mea. *R.* Et Romanorum duces iterum nupsere vxores; fer communem cum maioribus fortunam. *D.* Nubet vxor alteri. *R.* Et Romani duces, & principes viduas duxere. Et sanctissimus rex Dauid viduas duas in coniugium duxit, quæ eorum fuerant vxores? & fortasse te maior aliquis tuam ducet: hanc tu illi tamen linque sollicitudinem, qui eò pergis, vbi non nubitur. *D.* Nubet alteri dulcis vxor. *R.* Si meliori nupserit, gratulare prosperitati eius, quam amasti. Sin peiori, gaude saltem, quòd tu illi iam notior, cariorq; futurus sis. Multæ primos viros nosse, ac diligere, secundo demum matrimonio didicerunt.

De Moriente sollicito, quid post se patriæ euenturum sit.

DIALOG. CXXIX.

Fac patriæ casus perituræ non moueantte;
Inueneo aliam, sed sine morte, domum.

DOL.

QVid post me de patria mea erit? *R.* Bonorum omnium patria vna est, & malorum altera: harum cui te ascribi in ciuem feceris, videto. Tertia enim patria nulla est, sed diuersorum transitus. *D.* Quid de patria mea erit? *R.* Patria illa, quam petis, vno semper in statu est. Ista, quam deseris [quod sæpe iam diximus] non patria, sed exilium tuum fuit. *D.* Quid patria post me aget? *R.* Regia cogitatio esse solet, quid post se regnis atque vrbibus euenturum sit: qualem fuisse legis, aut magno illi regi Assyriæ, aut Romano illi principum maximo: priuatam fortu-

tunam hæc cura supereminet. Quando verò ad vltimum sic affectus es, vt illam miseriæ officinam, atq. illud hospitium doloris, vbi rapidum vitæ tẽpus, multis in laboribus, ne dicam gemitibus exegisti, patriam nunc etiam tuam voces, & vis scire, quid actura sit, dicam: faciet nempe, quod fecit, & quod faciunt aliæ: at quid, inquis? Tumultuabitur, diffidebit, nouarum rerum sectabitur, & partium simultates: mutabit dominos innouabit leges, vtrumque sæpè in peius, in melius rarò. Calcabit præterea egregios ciues, attollet indignos, pellet immeritos, prædones ærarij colet, blandos diliget, veridicos oderit, bonos spernet, venerabitur potentes, libertatis hostes adorabit, defensores Reipublicæ persequetur, flebit, ac ridebit inaniter: aurum, gemmasque mirabitur, virtutes abiiciet, amplexabitur voluptates: hi sunt mores vrbium. Nemo tibi non certus horum vates fuerit, ni si qui semper ruri vixerit, vel obtusis auribus, ac oculis vrbes intrauerit. *D.* Quid post me patriæ accidet? *R.* Quid sollicitus, quídve anxius es, quicquid patriæ acciderit, tua iam domus ab incendiis à furibus, à ruinis tuta erit. Nihil ad te pestilens annus, nihil annus exuberans, nihil æstus, nihil siccitas, nihil imbres ac grandines, niuesque, & glacies, & nimium gelu, nihil feræ, vel volucres, nihil brucus, aut locusta, nihil denique terræmotus, ac fremitus procellarum, nihil annonæ caritas, nihil hostium incursus, aut bella ciuilia. *D.* O quis patriæ status erit, seu quis demum finis? *R. A.* Quis, putas? nisi qui maximarum vrbium fuit, qui que omnium erit, puluis, cinis, sparsi lapides, nudũ nomen; possem id innumeris argumentis ostendere, sed rẽ tenes. Ad summam, nihil ab homine sit æternum, nil humanum, præter animam, immor-

tale. Cœpta desinent, sita deficient, structa ruent: quid plus æquo angeris, quid æstuas? si in cœlo eris, & hoc ipsum, & mortalia cuncta despicies. Nã qui ad inferos descendunt, caritate amissa Deum, atque homines, Deique opera simul, atque hominum odisse, credibile est.

De Studio Famæ in morte. DIAL. CXXX.

Si bene vis de te post mortem fama loquatur;
Illustrem reddant te bene facta tua.

DOL.

QVid de me, post fata dicent homines? *R.* Intempestiua sollicitudo; nec à iuuentute prouisum esse debuit. Qualis ferè hominum vita talis est fama. *D.* Quid de me loquentur? *R.* Quid respondeam, nisi illud doctissimi atque omnium eloquentissimi Ciceronis; Quid de te alij loquantur, ipsi viderint, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille angustiis cingitur his regionum quas vides, nec vnquam de vllo perennis fuit sed obruitur hominum interitu, & obliuione posteritatis extinguitur. *D.* Quid de me dicent homines, qui post me nascentur? *R.* Dicerem aliter ista, quàm Cicero, si meliùs dici posse crederem. Quid autem, inquit interestab his, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante te sunt nati? Vnum addidit, quod tunc forsan dubitabile, forsan falsum, nunc certissimum, & absque vlla prorsus hæsitatione verissimũ est. Qui nec pauciores, inquit, & certè meliores fuerunt viri. Nã quis est [Oro]iã, qui dubitet, nunquam quales fuerint, futuros homines; ita in peius inclinata omnia, ruinæque proxima. Cura ergò mirabilis, ignotorum, atque imparium dicta metue-

metuere, cum excellentium, ac notorum opiniones, ac verba contempseris. *D.* Quæ mihi fama erit extincto? *R.* Facilè melior, quàm viuenti, cum fluerit liuor. Rarò enim vitæ hominũ superstes inuidia est: vt autem virtus radix est gloriæ, sic deceptrix inuidia, vtque liuidus pollex præsens impedit, sic amotus verę laudis restituit incrementum: itaque multis busti limen, inuidię inaccessum, magnæ gloriæ vestibulum fuit. *D.* Quantum me longa manet fama? *R.* Longa forsitan, vt vos longum dicitis: verè autem apud vos nihil est longum, vt verò non modò longa sint omnia, sed æterna, sola virtus efficere potens est, præcipueque iustitia, de qua scriptum est: In memoria æterna erit iustus: quod, vt potuit, Poëta noster expressit [vbi ait]

Sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

D. Quali post obitum fama ero? *R. A.* Quid refert quale sit, quod mox vel nescies, vel contemnes: quid ad te hominum flatus, dum tu flatu carituras sis? Spirantem vesci, delectari auris, non miror: at defunctum, stupeo. *D.* Quid de me post obitum dicetur? *R.* Et quid putas, nisi quod mereberis bonum, malum, multum, parum, nihil; in quibusdã mendax, sed in pluribus verax fama est, alioqui lõga vtique non est: diuturnitatis fundamentum, veritas. Ruinosum, atque imbecille, mendacium. *D.* Qualis mihi post exitum fama erit? *R.* Qualis ante exitum fuit vita, nec minus exitu. De hoc ergò tẽpus omne præteritum, sed in primis præsens hora viderit. Sic enim habeto, quali quisque dignus sit fama, post mortem, nulla re meliùs, quàm morte censeri, quippe cum multos per omnem vitam in-

& obscuros, sola [dictu mirabile] mors illustret.

De Moriente sine filiis. DIAL. CXXXI.

Mors leuior multò sine natis, prole carentem
Natorum infidiæ, nec mala fama premet.

DOL.

SIne filiis morior. *R.* Eò alacrior mori debes atque expeditior proficisci, nil post tergum linquens, quod te vellicet. Ille ingens morientium dolor cessat ex commiseratione oriens deserendæ prolis, immaturæ præsertim, & paterno præsidio indigentis, perque ætatem, inopiamque consilij, & iniuriis, & casibus multis expositæ. *D.* Nati, quos optabam, sperabamque superstites, præcesserunt. *R.* Habes ad quos ire cupias, non à quibus doleas abire, non exiguum solamen. *D.* Mors acerba filiorum, orbus vt moriar, cogit. *R.* Hoc si miserum censes, quid est, vel quod orbum mori cogat vel vixisse coëgerit? Cum, vnde tibi filios eligas, ingenuorum iuuenum tanta sit copia, eò fortassis obsequentiores, & tui amantiores habiturus, quàm, quos tuo de sanguine genuisses, quòd illos casu quodam, hos certo iudicio quæsiuisti. Filij illi antequam noti, hi autem noti, & dilecti, & electi antequam filij: itaque totum illi hoc naturæ, hi beneficio tuo imputent, quòd filij tui sint: vnde fit, vt sæpè hęc fuerit facta successio, cui tutò, non mediocre tantum patrimonium, sed summum imperium crederetur. Nosti, vt Iulius Cæsar, prole carens, sibi Augustum; ille Tiberium, penè inuitus quidem: vt post Nerua Vlpium Traianum, ille Ælium Adrianum, vt is rursus Antoninum piam; ille Marcũ Aurelium, sibi filium fecit, feciſſetque ille alium

alium quemcunque feliciùs, quàm Commodum genuisset, nulli commodum, cunctis incommodum, vnicum tanti patris infortunium, vnumq. ex paucis, Romani imperij probrum ingens atq. apertissimum argumētum quantò adoptio sit felicior genitura: quod cum primi ex ordine diu, ac feliciter imperassent, hic tantorum vestigiis ducum spretis, iter deuium ingressus, breui, & turpi non imperio, sed tyrannide, cum Remp. fœdasset, miserò quidem, sed se digno fine procubuit; publicūq. ludibrium in se vertit. Iam inde pręterea antè hos, longè secundum illud fulmen belli Punici, malleumq. Carthaginis, Africani illius magni filius, in decus gentis assumpserat, hoc scilicet facto, vt quam vrbem Auus concussérat, hanc nepos eius euerteret, vt Florus ait Historicus. Ex Æmilia in Corneliam familiam translatus, vtriusque decus vltimum fateor, nō minimum. Ex his vides, quòd nec tibi, nec principi deesse filius potest, quodque est optimum. Bonis bona non desit electio: quæ, si adsit, talem tibi fortasse filium dabit, qualem non dedisset vxor, & votiuum matrimonij effectum, coniugalibus expeditus vinclis, inuenies: sic naturæ defectui lex prouidit. D. Quomodo nunc domui meæ disponam? orbus morior. R. Magnam verò pietatis, magnam laudis oblatam tibi [ne respuas] materiam; & quod filiis forsan ingratis, ac vel male cumulaturis, vel quoniam vterque mos est in vsus pessimos versuris, breuique omnia profusuris, conferre decreueras; confer honestiùs, confer vtiliùs, confer stabiliùs. Pergami quidem Rex Attalus populum Romanum, nec egentem certè, & Asiaticis profectò diuitiis corrumpendum, testamento sibi hæredem fecit. Ego tibi alium populum, quem instituas ostendam. Hinc te ami-

corum, hinc egentium turba circunstant, ex vtraque tibi filios adoptare permitteris; quorum alij te digressum dulci secum commemoratione detineant, alij te quò pergis, pia precum festinatione præueniant, vtque hic erogaueris, illic centuplicata reperias, fœnus vberrimum, certissimumque viaticum, iter istud acturis. *D.* Morienti mihi nullus est filius. *R.A.* Quid, si multi essent, an ex his tibi, seu custodem domus, ac pecuniæ, quæ tua certè amplius non erit, eligeres? seu in prælio mortis Athletam, ipsum quoque mortalem? seu denique comitem ad sepulchrum? vltra enim nec te tui quidem comitentur, nec Metellum sui, breuis à lectulo mortis ad sepulchrum via est. Quid refert an hic solus iaceas, an ibi; friuolæ prorsus & ineptæ causæ filios optandi. Nam si in illis, vt vulgò dicitur, seruari, ac perpetuari tuum nomen optabas, ipse quoque vulgariter fallebaris. Si quidem filiorum obscuritas profectò creberrima, nec illustrare ipsa vtique, nec seruare paternum potest nomen. At perrara filiorum claritas, vt ipsos semper filios claros facit, sic parentes interdum vicinitate sua contegit, obscuratque, quasi minora Sol sydera; quod nusquam euidentius, quàm in Iulij Cæsaris patre cognoscitur, quem penè ignotum filij splendor fecit. Et ad summam; quisquis in filio sui nominis spem reponit, rem pertenuem, labilemq; in vase fictili locat, ac ruinoso, quodque est inconsultiùs, non suo; rem maioris apud vulgus, quam apud doctos precii, neutris tamen contemnendam; sed cum honestius tum certiùs locandam in suis corruptibilibus vasis, ac solidis, in virtute propria, in rebus gestis, in literis. *DOL.* Sine natis morior. *R.A.* Non sunt, in quos tuæ sese spargant curæ, in te versæ omnes, quò

quò instructior, liberiórque digrediare, te vnum respiciens, te metiens, scis, quàm miser, & quàm felix moriare; nec incertus moreris an vel miserię sit addendum, vel felicitati detrahendum tuæ, aliena seu turpitudine, seu fortuna. Etsi enim aliis aliter videatur, in quorum ego sententiam sum pronior, vt magnis tamen scimus visum esse philosophis, filiorum euentibus imminuitur paterna felicitas. Imbecille bonum, quod in crastinum prominet, & pendet ex altero: quòd si opinionem hanc admittimus, quid hinc sit, intelligis: dubitare enim nequit, quin multi feliciùs obituri fuerint, si sine filiis obiissent.

De Moriente, qui metuit insepultus abiici.

DIAL. CXXXII.

Non sis sollicitus, quo tu condare sepulchro,
Cùm tua sit tandem restituenda caro.

DOL.

INsepultus abiiciar. *RA.* Alitibus inuides, an feris, an piscibus? Nam si metuis tibi, baculum seu custodem iuxta te poni iube, quo à cadauere depellantur. *DOL.* Ludis in malis meis, nam profectò nil sentiam. *R.* Quid igitur times, quod non sentias? Nam si sentias, probes: sentientem enim sepelire, necare est. *D.* Inhumanus iacebo. *RA.* Tu, nisi te tellus presserit, illam premes; te nisi terra contexerit, cœlum teget. Notum est illud:

Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Illud quoque notissimum.

Facilis iactura sepulchri;

facilis inquam sic, vt nulla facilior. *D.* Inhumatus ero, graue dictu. *RA.* Dictu nescio; re autem profectò leuissimum; multóque tolerabi-

lius sepulchro exui, quàm domo, quàm lodice, quàm sagulo. *D.* Inhumatus ero, fœdum visu. *R.* Fœdum fortasse aliis, tibi autem nihil minùs. Omnem quidem sepulturam non nisi viuorum causa institutam esse, doctorum omnium authoritas, & res ipsa consentiunt. Idque sic esse sepulchrorum species indicio est, quæ introrsus insulta, & horrida, rude incolis suis saxum obiicit, exterius multa impensa, & artificum ingenio elaborata; marmoreas spectantibus, atque aureas prætendit imagines. *DOL.* Insepultus ero, turpe aspectu. *RAT.* Parúmne, oro negotij tui habes, ni suscipias alienum? prouideant, quos res tangit, hanc tu enim turpitudinem non videbis. *DOL.* Insepultus linquar, miserum. *RAT.* Et magnus Pompeius tantus vir insepultus iacuit, imò nec iacuit, sed iactatus est fluctibus, obrutúsque. Neque adeò te delirum reor, vt opinione tua factus ille felicior sit sepulchro, sicut nec collega eius Marcus Crassus infelicior, quòd, qui eum sepeliri iuberet, nemo affuit. In reliquis enim penè pares exitu fuere, nisi quòd Crassi caput vt ditissimum, auarissimúmque omnium decebat, auro grauius fuit seruatum; tamen vtrunque ludibrio, nisi fortè tertius horum collega felicior, quòd altissimi, atque pulcherrimi colossi situs in vertice ostenditur celsa etiam templa despectans: bello quidem, fortunatiorem fatear, busto negem. Sic, hoc saxum illo pulchrius, fateri oportet, non felicius. Quæ enim ista felicitas non sentientis, seu saxi, seu saxo abditi? Alioqui si sepulchro felix fit, nemo felicior Mausolo. *DOL.* Inhumatus ero. *RA.* Inhumati essent Paulus Æmilius, & Claudius Marcellus, tales viri, nisi hostis illos

illos infestissimus sepeliisset, admiratione virtutis [nisi fallor] & verecundia victus, non pietate vlla, quæ in illius viri præcordiis nulla fuit, vt sepulturam ego illam, penè inuisam futuram ipsis arbitrer sepultis; & si eis optio data esset, inhumatos se iacére maluisse. Insepultus quoque Cyrus iacuit, Persarum Rex, neque id sibi, neque vter Scythicus infamiæ fuit, sed cruenti mores, quibus acerrimam illam exprobrationem, iniuriámque promeruit. Quid verò nunc singula nuda cadauera colligo, & vel Romanos principes, vel externos reges, non solùm sepulchri vltimo, & optato quidem, sed inani honore spoliatos? quin etiam laceratos discerptósque, & membratim sparsos, vt inuidiosum diceres, integro cadauere iacuisse, cùm obseruentur animis inhumatarum strages gentium, atque [vt ita dixerim] insepultus orbis. Nempe, cum ipso, quem dicebam, Cyro, ducenta Persarum millia, & cum Crasso sexdecim florentissimæ legiones, & ad Cannas Romanorum ciuium, ac sociorum octuaginta quinque, eo amplius millia, quinquaginta sex millia Pœnorum, Hispanorum, Ligurum, & Gallorum, ad Metaurum amnem, ipso cum duce hostium; & ad Aquas sextias [id est loco nomen] ducenta Theutonum, haud procul ab alpibus, vtrobiq; duce Mario centum quinquaginta, vt quidam sunt authores, & qui minus dicunt sexaginta non amplius Cimbrorum millia insepulta iacuerunt. Apud Philippos verò regum gentiúmque omnium auxilia, & Italici sanguinis flos, vigórque [sic placitum superis] hoc sepulchro carentes, Campos Æmonios, feráfque & vultures impinguarunt. Quid ad Ægates insu-

las deleta Carthaginensium classis? Quid Massilienſium ante portus ſui oſtia, inque ipſo fidelis patriæ proſpectu? Quid [ne ſemper Italos labores loquar] classis Athenienſium ante vrbem Syracuſiam demerſa, quale habuit ſepulchrum? Sileo Salaminam, & Marathonem, trecentáque milliaillic fuſa Perſarum, etſi alij duplo ampliùs dicant. Tranſeo Hebræorum conflictationes, Scytharúmque, & Amazonidum, Arabúmque, & Parthorum prælia & Medorum. Prætereo Alexandri Macedonis in Oriente victorias, ſtragéſque illas inermiũ populorum. Peſtes taceo, tales ſæpè, vt cadauercharum licet, abſtraxiſſe parumper pietas fuerit. Incurſus quoque ſerpentum, atque immanium belluarum, quarum impetu Dicearchus docet [vt ait Cicero] quædam hominum genera eſſe conſumpta. Tempeſtates præterea & quotidiana naufragia. Nam qui flammis pereunt, non egentes buſti dixeris. Omitto furores domeſticos, inteſtinámque diſcordiam, de qua dictum eſt: Bellum ciuile ſepulturam vix ducibus præſtare poteſt, quod de externo veriùs etiam eſt Bello. Nec ruinas vrbium ſequor, Trolæ, Hieroſolymæ, Carthaginis, Corinthi, Numantiæ, ac Sagunti, aliarúmque multarum, vbi magna pars ciuium muris oppreſſa labentibus, & ſic patriæ conſepulta eſt. Mitto denique terræmotus, quibus multi ſæpè mortales obruti, pro ſepulchro totum terræ matris vterum habuerunt: quod cum olim nupérque crebrum malum fuerit, diuerſis in locis: huſquam tamen, quàm in Aſia inſignius, vbi duodecim vrbes, vno die horrificis terræ hiatibus hauſtæ memorantur: hic iam multa dixerim, vt ridiculum tibi metum eripiam qui morte magis damnum metuis ſepulchri, atque illud huic vni corpuſculo deeſſe,

fers

fers grauiter, quod tam multis hominum, & bellatorum, & quod fuit indignius, sanctorum insuper millibus defuisse, compertum est. *DOL.* Defuncto mihi terra negabitur, prædurum. *RAT.* Non id durum, sed tu mollis, qui nec sentiens, lædi queas. *DOL.* Mortuo mihi terra negabitur, indignum. *RAT.* Quid ita? illáne tibi igitur, an tu illi debitus? Atqui terra tibi fortasse negabitur, non tu terræ: poterit bustum tibi casus aliquis, vel iniuria hostilis eripere: tu è terra veniens, in terram redeas oportet: id tibi, domini tui ore prædictum, falsum esse non potest. *DOL.* Non me gremio tellus teget. *RA.* At tu illam teges nudo corpore, quid ad te plus hoc post mortem pertinebit, quàm nunc pertinet, vbi olim vnguium, aut crinium excrementa, vbi febris erutum sanguinem: vbi denique puerilis tunicæ, seu fasciæ infantilis fragmenta dimiseris? An oblitus es Theodori Cyrenei, apud Tullium, elegans responsum, cui cùm Lysimachus Rex mortem crucis [vt auguror] minaretur: Istis, quæso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humine, an sublime putrescat. Te, nisi tellus sinu excipiat, at superficie sustinebit, hinc te gramina vestient, hinc ornabunt flores, læti hospite, hinc te imbres madefacient, hinc Sol vret, hinc glacies stringet, hinc mouebunt auræ, & fortasse naturalius fuerit, vt compactum ex quatuor Elementis corpus, in totidem resoluatur. *DOL.* Inhumatus linquor, horridum auditu. *RA.* In opinione horror, non in re: quandoquidem apud alios horridum, terra tegi: pulchrum igne consumi, quod maioribus vestris visum scimus. Apud alios pulchrum à feris, aut canibus laniari; innumeri de hac re

sunt gentium ritus, quos curiosiùs à Crispo collectos strinxit Cicero. Tu nuda iacebis humo: & illum premit Lapis horridus, illum putres glebæ obruent, illum mersum volent vndæ, illum venti pendulum agitabunt: Grando feriet, lacerabunt corui. Demum pretiosissimè conditos ac velatos purpura, vermes rodent. Quid verò habet amplius, qui marmore tegitur, atque auro, quàm qui siens apud poëtam ait:

Nunc me fluctus habet, versántque in littore venti.

Etsi ille erroris publici morem sequens, iniici sibi terram oret, nisi forte nunc etiam fabulis acquiescis anilibus, centum annos errare animas insepultorum hominum, circa tartarei amnis ripam, quas sana vtique, ac religiosa mens respuit. *DOL.* Bustum mihi patrium eripitur. *R.A.* Patrius cespes si relinquitur, bene est; habes quod tibi Phocion, vir magnus, inuideat; quem ciuem, de se aliter meritum, ingrata Athenarum vrbs, defunctum quoque suis finibus expulit; inaudita crudelitas. *D.* Insepultus abiiciar. *R.* Age res tuas, curam hanc relinque viuentibus.

INDEX

A

ABdolominus ex hortulano rex 404
Achates gemma 150. insignis Achates Pyrrhi ibid.
Adamas pretiosissimus gemmarum 147
Adamantis lis cum magnete 304
Adolescens vnguētis delibutus coram Vespasiano 104
Adoptio filij 255. incerta 256. Adoptatio filiorum 721
Adrianus canibus busta construxit 134
Adriani de Ælio Vero dictum 243
Adriani mors 700
Adriani facti principis verbū generosum 292. & 296
Aduersa valetudo 377
Aduersa & prospera fortuna 37
Aduersitas abigit simulatorem 42
Ædes latę nō meliores 1
Ædificando gloriā quærentes 349
Ædium magnificentia 139
Ægrotans extra patriam 701. vsque ad 665
Ælius Pertinax libertini filius 393
Æsopus quidam histrio 120
Ætas florida 43. in ascensu 44. Indecerpta 46
Ætas omnis bona, & mala 576
Ætatis est maturitas 582
Ætatem pręteritam lugent penè omnes 577
Æterna vitæ spes 353
Affectus contrarij 550
Affectus veri iudicij hostes 452
Africanus infamatus 448
Agricultura olim in pretio 207
Alcibiades tibiarum studium abiicit 100
Alchimiæ quales exitus 333

Alchimia ars, fallendi ars 332
Alchimistarum qualia promissa 331
Aleæ ludus 114. alea honesta 115
Alexander conuiuiis indulsit 94
Alexãder temulẽtus 89
Alexander præceptori offensus 481
Alexander equo tumulum erexit 131
Alexander de Homero 449
Alexander impatiens caloris 601
Alexander paternis laudibus inuidens 486
Alexander Macedo spurius 390
Alexander Deus dici voluit 266
Altitudo humana 85
Amanda ne sola quæ videntur 236
Amantiũ amentia, cantu se consolantium 237
Amare peccatum miserum ibid.
Amari volens, amet 191
Amatoria poëmata 237
Amaturus sapiens ibid.
Ambiguus status 553
Augustinus vt caneretur instituit 100
Amethystus gemma 155
Amicus fidelis rarus 296
Amici ficti 524
Amici infideles 453
Amici veri qualis habenda cura 298
Amici vt diligendi, ex Biantis præcepto 465
Amici incogniti 193
Amicí mors 503. 504
Amicitia morte non tollitur 504
Amicitia & infidelitas non coëunt 453
Amicitiæ non placentes diffuendæ 454
Amicitiæ quomodo extinguantur ibid.
Amicitiæ Regum 190
Amicitiæ rarum bonum ibid. 191
Amicorum absentia 505
præsentia ibid.
Amicorum abundantia 109
inter Amicos discordia 359
Amicũ quærere melius quàm hostem tollere 307
Amicus quomodo probetur 192. quæratur 295
Amor Dei, virtutis 235
Amor fratrũ qualis 262

Amor

Amor & odium indifferentia 235
Amor est morbus 587
Amor amicitię quis 237
Amor facilè perditur 264
Amor populi 109.252
Amor accenditur canendo 239
Amoris remedia ibidem 240
Amor nexus animorum 250
Amor fœminæ incertus 292 fortissimos viros emollit 235.ibid.
Amores grati, gratæ insidiæ 232
Amphiteatri spectacula 106
Amphiteatri lapsus Fidenæ 129
Anacreon 138
Anchora bona spei 227
Angusta domus 525
Anima hominis facilè eripitur 277
Anima immortalis 688
Animæ pulchritudo 43
Animus hominis indomitus 218
Animus hominis secum discors 575
Animus neglectus 122
Animus in tres partes diuisus 552
Animi arma quæ 659. 660
Animi discordia laborans 550
Animi fluctuatio 552
Animi pax sperata 354 bellum animi potiùs ibid.
Animi rumor nocet ingenio 481
Animal nullum bello vacat 355.357.359
Annibal vnguentis delibatus 105
Antiochus magna regni parte priuatus 562
Antipatri Philosophi responsum de oculis 621
Antonia murænam in auribus coluit 220
Antonius Verus equo suo qualem cultum exhibuit 131
Apes industrium animal 362
Apum bella domestica 306
Appius Claudius 244
Appius Claudius cæcus 411
Aranea Palladi infesta 56
Aranearum insidiæ 361
Architas Tarẽtinus ins-

tus noluit villicum punire 644
Arces nō impediunt oppugnationem 141. sunt inertiū latibula 142
Archimedis inuentū balista 303
Arcium munitio 104
Arcibus vt opus sit quid effecit 141
Arcibus spoliatus 569. arces compedes libertatis 570
Arionis fabellæ 106
Aristippus naufragus 399
Aristophanis fabella 478
Armentorum abundantia 213. incertę diuitiæ ibid.
Artium liberalium professio 183
Aruspex aruspicē ridet 336
Aruspicum promissa 333
Arx Prænestina 141
Arx vera quæ 142
Arx tutissima sine muris 570. 571
Athanasius canēdi vsum interdixit 107
Athenarum leges de alimentis parentibus à filiis præstandis 401
Attalus Rex Romanos hæredes fecit 722
Attilius Regulus 4
Auaritia & luxuria imperia euertunt 569
Auaritia lucro crescit 518
Auaritiæ vis 202
Auaritiæ stimuli 591
Auari opes faciunt inopem 143
Auaro nihil scelestius 642
Auditus perditus 624. consolatio 626
Auellanę radix generosum lignum ad pocula 158
Aues loquaces 222
Auium nocturnarū cantus infestus 597
Auguriorum amētia 337
Augustus Dominus dici vetuit 265
Augusti origo ambigua 387
Augustus corinthiis vasis delectatus 166
Augustus imperium dimittere voluit 290
Augustus, vt somnū redintegrare solitus 587
Augusti gemma sphinx dicta 159
Augustus fœlix habitus 3[illegible]

Augustus à moriente delusus 524
Augustus Cæsar scænis libenter interfuit 126
Augustus equo sepulchrum instituit 131
Auiaria 121
Auorum prosapia 84
Aurei velleris fama 348
Aurelii Veri cana 294
Aurelij Alexandri odiũ in fures 521
Auri desiderium crescit habendo 203
Auro animus probatur 236
Aurisodina 202. ambiguus 203

B

Baię atq. Puteoli põte iuncti 292
Baliſtę primus inuentor 303
Bella animalium 355
Bellorũ iustorũ finis 312
Bellum in anima 187
Bellum ciuile 547
Bellum inter Angelos 366
Belli metus 541. remedium 547
Bello victus 547
Bene viuere, remedium aduersus metum mortis 676
Bene viuere, arx tutissima 570
Beneficentia duo venena 228
Beneficia in multos collata 281
Beneficiorum exprobratores 456
Bernardus quibus vsus præceptoribus 480
Bias 509
Bona animi 547
Bona præcordiis hærent 510
Bona quæ, lõga lis, inter homines 327
Bonis exutus 142
Bubo Agrippę finem miseria prædixit 337
Bubonis cantus 597

C

Cæcitas 620
Cacorũ multorũ insignium virorum nomina 621.622
Cæcus vno puero fit comitatior 623
Cœlius Senator iracundus 644
Cœna Aurelij Veri 294
Cæsar captus à prædonibus 522
Cæsaris clementia 468
Caius Drusus cæcus 623
Calculorum ludus 114.

Camelorũ possessio 215
Camillus exul 534
Caninius 524
Canis erga hominem caritas 355
Canibus gaudere 133
Canis quidam Alexandro missus 355
Canibus busta constructa 135
Canum quorundam fœrocia 355
Canum latratus 595
Cantu gaudens 107
Cantus in Ecclesia 108
Carcer multis port⁹ 271
Carceris exitus ibid.
Carcere clausus 526.527
Casta quot machinis oppugnetur 244
Castitas filiæ, sollicita. 248
Castitatis commendatio 454
Castrum in agro Pisanæ formicarũ diluuio defertum 362
Casus humanarum rerum 340
Catilina 378
Cato diu obscurus 392
Cato optimus agricola 207
Cato vltimus 112
Cæto octogenarius filiũ genuit 329
Catonis mors voluntaria 684.608
Catonis vxor 435
Celebritas importuna 589.590.592
Certamen quod eligendum 724
Chaldæorum falsę prædictiones 336
Choreæ veneris præludium 110
Chorearum studiũ 109. 110
Cibi ac potus elegantia 87.88.89
Cicero natus obscuris parentibus 392
Cicero ab Antonio occisus 211
Cicero de vxore 431
Cicero filius 257
Ciceronis dictũ de morte spontanea 681
Ciniger Athenienſis 556
Circi delectatio sæua & inhumana 125
Circuitus in choreis 111
Cito moriens 691
Ciuium virtus vrbes amplificat 378
Clamores vrbium 594
Claritas quæ laudabilis 82. quomodo quæratur 84

Clarum

Clarum variè dicitur 59
Classem instructam habere 300. multa pericula 301
Cleanthes philosophus 402
Collega stultus & temerarius 543
Columbaria 217
Columbarum nidi 360
Comessatio à conuiuio differt 93
Cõpetitor antepositꝰ 475
Confirmatio animi quid 661
Coniuges chari & alij erga alios sæui 299
Coniugium nobile 226
Coniugium natorum 251
Cõiugium obscœnũ 231
Coniugem amittẽs 439
Conscientia bonorum operum 259
Conscientiæ testimoniũ 65
Constantinus ex concubina genitus 317
Consul factus 185
Cõtemptũ patiens 470
Contuberniũ quale sit, multum refert 351
Conuictus bonorum 352
Conuiuarum discordia, & censura 93
Conuiuere amicis 193
Conuiuia 66.90.91
Copia rerum gustum hebetat 507
Corinthia vasa 165.167. 168
Corinthus à Mummio capta 365.168
Corneliæ Africani filiæ ornamenta 410
Corpus animum tegit ac detegit 109
Corpus exiguum 373
Corporis totius languor 65.652. non esse malũ 610
Corporis ægritudo 145
Corporis sui dominꝰ nõ est homo 679. id Deo debet custodire 682
Coruus publicè populũ salutans Romæ 222. publicis exequiis elatus ibid.
Criminis alieni infamia 4.445.410
Crispus philosophus 502
Crystallina pocula 157. ibid.
Crudelitas mala, sed sæpe vtilis 476
Cuculo omnes auicula insultant 356
Cupiditas occupationũ mater 425
Cupiditas crescit q̃ren-

do 143
Curæ ſuperuacuæ 33
Curas multas ſequũtur ſomnia 588
Curculiones 362
Curioſitas humana 276
Curionis theatrum 128
Cyrus 56

D

DÆmones ex hominib. fieri 476
Darius fœtidas aquas bibens 576
Decore nil gratius nec breuius 47
Dedecus aduẽtitiũ 445
Deformitas corporis 371
Delectantia non omnia proſunt 171
Delectatio inhoneſta 118
Delectatio vera quę 306
Democritus oculos ſibi eruit 622
Dentium ægritudo 616
Dentes filij Pruſiæ 617
Dentium nitor ibid.
Diadema, pannus curis plenus 296
Diagoras Rhodius 273
Diagoras Rhodius inſignis paleſtrita 123
Dialectica verboſa 181
Dianæ templum arſit 510
Didimus cæcus licet inſignis fuit 622
Dies longa præualidas habet manus 349
ante Diẽ nemo moritur 690
Dies omnes boni 678. iudicio hominum mali ibid.
Diodorus Stoicus cęcus 623
Dionyſius Siracuſius 114
Dionyſius tyrannus 477
Diocletianus imperium dimiſit 290
Diſcipul⁹ indocilis 444
contumax 482. 480
Diſcipulum inſignem natus 258
Diſcordia quanta inter res omnes à p. 354. ad 358. qua mundus fouetur ibid.
Diteſcere cupientes 417
Diues cito fieri volens 415
Diuinatio ab omnibus damnata 335
Diuinationes aruſpicum falſę 337
Diuinorum mentiendi libertas 354
Diuitiarum copia 200. vide Opes.
Diuitias amare paruianimi 417. 415

Dolor an intolerabilis humano corpori 652. 653. an possit non senti ri 654
Dolor causa mortis matribus 261
Dolor corporis an malum 654. 657
Dolor virtute lenitur frā giturq; 654. 655. 657
Dolo malo circunscriptus 522. 523
Dominus bonus 264. vnus dominus 265
Dominus corporis humani Deus 678
Dominus iniustus 476
Dominus pauper esse voluit 403
Dominus superbum nomen 266
Dominus & bonus an contraria 265
Domini sæpe serui 393
Domitia vxor Domitiani 439
Domitiani dictum 47
Domus dignitas 139. amplitudo ibid.
Domus Neronis 349
Domus parua 524
Domus Neronis insignis 293
Dormire se non posse querens 585
Dos vxoris opima, superbiæ stimulus 330. 231
Dotis optimū genus 413
Draconis cum Elephante bellum 357
Drusus Augusti priuignus 340. & expectatio eius 341. ibid.
Dulcia sæpe nocua 271
Duricies amica virtutibus 405
Duricies patris 483

E

EBriorū lætitia 602
Echeneis piscicu-lus 365
Elephas quæ horret animalia 357
Elephantū possessio 214 sæpe exitio suis 214
Eloquentia 59
Eloquētię defect⁹ 632. ib.
Epaminundas 56
Epaminundas 78
Epicurus 69
Epicurus 480
Epicurus tenuem victū laudauit 90
Epicurus tenuem victū laudauit 407
Equi cuiusdam cura 132
Equi tædium 594
Equis sepulchra instituta 331
Equitare & vtile & pe-

riculosum 132
Equitantes etiam noctu laborant 513
Equorum delectatio 130
Error vnus obstat multis 452
Errores ex magnis ingeniis 57
Euandri regia 524
Eudemi Cypri somniũ de reditu in patriam 701
Exercitus ducere 297
Exercitus bellua multorũ capitum 300. Imperatores interfecerunt ibid.
Exercitus magnitudo periculosa 300
Exilio iniusto pulsus 532 533.534
Exilia multorum sponta nea 532
Expectare magnus labor 326
Expectatio & tranquillitas non simul habitant 328
Expectatio filij vel amici 339.340. aduentus principis 345

F

FAbius Maximus infamatus 443
Fauus 204.205
Falli minus malum quã fallere 451
Fama mendax 339. mulcet vt feriat ibid.
Fama flatus 447
Fama res delicatissima 448
Famæ post obitum spes 346
Famæ studium in morte 718
Fama sæpe nocuit 348
Famæ bonus odor 102
Fama non legatur 445
Fama ob virtutem amissa 450
Famę studium 178
Famæ studiosi artifices 588
Famã præsentia minuit 279
Familiaris amicus ambiguus 562
Famulatus numerosus 136
Febres grauissimæ 51
Febribus æstuans 649
Felicitas nulla cum errore 134
Felix quis 332.134
Felices duo è cũctis mortalibus habiti 134
Fermilis plaga mollit viros 518
Ferro moriens 695

Fer-

Fertilis ager 206. bene cultus 208.209
Fertilitas sæpe sterilitatis arra 209
Fertilitas à Deo solo 516
Fidem frangere 454
Filia viro locata 151
Filia impudica 443. remedium 444
Filia formosa 244.246. casta 248
Filiæ Augusti 443
Filiæ Mithridatis dentes 616
Filius contumax 487
Filij rebelles multis ib.
Filius, alienus inuentus 496
Filius à matre quadam patri datus 497
Filij magnorum virorũ degeneres 446
Filij parentibus alimenta præstare tenentur 401
Filij quàm multi varijs ex regibus 411
Filij seruitus 486
Filius amissus 492. vt flendus 493. & 494
Filij diuitiæ, requies parentum 409
Filij nati 241
Felicitas laboriosa, anxia 241.242
Filio data vxor 252
de Filijs moriens sollicitus 712.713
sine Filijs moriens 720
Filij degeneres 590
Filius fortis 246
Flaminius Scipioni prælatus 478
Fœmina primi loci appetens 252
Fœmina mutabilis 432
Fœminei mores ibid.
Fœneratores olim consortio hominum segregati 205
Forma corporis, velociter fugit 46.49
Forma multos strauit 244
Forma corporis virtuti addita 50
Forma filiorum 243. gaudere illa senir vitiosum 245
Forma vxoris, superbiæ stimulus 230
Formæ studium 48. hostis domesticus ibid.
Formæ gratia 371. non amanda 373
Formicæ ibid. 362
Formosa vxor 228. fœcũda 229. facunda 229
Formosum esse 374
Fortitudo 455

Fortitudo filij, magis metuenda 246
Fortuna non mutat genus 1-3
Fortuna quæ difficilior, prosperа an aduersa 39.36
Fortunæ bellum 34. duplex 36
Fortuna magna 85
Fragilitas humana 611. remedia 612.613
Frater amissus 499
Frater pios habens 262 sæpe inuident ibid.
Fratres se amare debent 263
Fratrum amor 262
Fratrum discordia 488 odium 489
Frugulitatis laus 419
Fulminis metus 562
Furum & prædonum collatio 512
à Furibus infestatus 520 remedium ibid.
Furoris metus, vt vitandus 665

G

GAllinarũ cura 217
Gaudio plures quã tristitia periere 274
Gaudiũ causa mortis 261
Gemma ad pocula cautæ 153. vetus luxuria ibid.
Gemma animos molliunt 147. earum vis 153.155
Gemmarum vanitas maxima 145. excellentia vnde sit ibid.
Gener bonus 249
Germanici quanta expectatio 342. dolor ex eius morte ibid.
Gladio moriens 695
Gloria magna 278. quomodo quæritur 279
Gloria vmbra virtutis 280
Gloria ex ædificijs 349. 350
Gloria ex conuictu 351
Gloria nulla sine difficultatibus 510
Gratitudo ab omnib. laudata 456
Graia delectatio 8
Gregibus abundare 212. incertæ diuitiæ 183
Gryphes aurum custodientes 357
Gulæ inuenta 221. supplicia 222
Gulę deditus 247
Gula capax, iter vitiis patens 406

H

Hæreditatis expectatio 328. incerta 328. & 330
Hānibal meretricio amore subactus 234
Hānibal frigoris ac caloris patientissimus 609
Harenæ delectatio 125
Hecuba 73
Helena 244. & 439
Heliogabalus 402
Hercules 53
Herodis mors' 695
Herodes Cæsarī qua re conciliatus 503
Herodias viuente viro alteri nupsit 715
Hieronymus secūdis nuptiis infensior 251
Histriones instar museorum 121
Histrionum ioci & delectatio 120. 121
Homerus cæcus fuisse dicitur 621
Homo & humana voluuntur 429
Homo homini maxima pars malorum 276
Homo difficilis cognitu 193
Homo in hominem 366
Homo animal minimè sociabile 463. homo homineꝫ premit 464
Homo hominem decipit 522
Homine nihil miserius terra nutrit 648
Homini proprium nihil 428
Hominis dignitas 608. 611
Hominis forma 615
Hominum vanitas 297. 298
Hominū corda mansuefieri non possunt 299
Honor molestus 589. 591
Horatius Cocles 554
Hortensius orator 217
Hortensius orator Murę nam mortuā luget 220
Hostem tollere 307
Hostili manu moriēs 694
Humana stultitia 430
Humana natura dignitas & excellentia 608 ad 612
Humilitas 63

I

Iactura turpissima 427
Ignobilem nasci & viuere 388
Ignobilib. parentib. orti 391
Ignominiosè moriens 698. 701.
Iliacos dolores patiēs 650

Imbecillus natura 375
Imitatio ſummorum virorum non ſemper tuta 111
Impenſæ enormes Rom. Imper. 293
Imperare bene, nihil difficilius 394
Imperatores ab exercitibus cæſi 719
Imperatoris nomẽ 290. non adfert quietẽ 291
Imperij nomen pulchrũ difficile officium 296
Imperium indecore conſtitit 289. magni labores 291
Impudico patre natus 389
Incendio ereptus 470
Incendiũ vbi maius 245
Incendium cauſa lętitiæ 509
Incommodum nullum ſine remedio 599
Indignus laudatus 445
Inducię cognatę inſidiis 318
Induſtriæ nil patitur perire 631
Inexpugnabilis nullus locus 141
Infamia 443 quæſita bonis artibus laus 448
Infamis crimine alieno 445
Infans feſtiuus 244. gaudendum quomodo ib.
Infantis caſus 495
Ingenia natura diſtinxit 208
Ingenia puerilia negotiũ importunum 258
Ingenij velocitas 56. acumen ibid.
Ingenij tarditas 629. remedium 630. ibid.
Ingenijs loca non obſtãt 378
Ingenium Romanũ hodie quale 297
Ingratior nullus homine 282
Ingratitudinis cauſa triplex 282
Ingratitudinis radix 472
Ingratitudo 454. 456. 457
Ingratitudo in matrem maxima 261
Inhumanitas homini cõtraria 467
Inimici morte lętus 312. 313
Inimicitiæ 464
Innocens damnatus 531
Inſepultus mori metuẽs 724
Inuidia laborans 641

Inuidia vix vllus caruit vnquam 469. remediū aduersus liuorē 470
Inuidus 642
Ioannes equitauit semel 514
Ioannes rex Bohemius 623
Ioseph tentatus 244
Ira iusta nulla est 467
Ira 642
Iracūdia vt leniēda 308
Iracundus 643
Italia metallorū fertilitate nulli cedit 203
Itali cuiusdam patris & filij factum 422
Iter durum 512. quid illud molliat 515
Iudex factus 185
Iudicio iniusto damnatus 529
Iudiciū humanum 294
Iulius Cæsar victus amore 234
Iulius Cæsar Pontifex largitione factus 321
Iulius Cæsar adolescens pauper 404
Iuuenis morieus 663
Iuuenta mobilis 44

L

LAbor materia virtutis 99
Labor, area virtutum 520
Labor lēgus, vsus breuis 273
inter Laborē & delicias quid interfit 511
Laborioſa ſors 512
Lactantius inops vixit 403
Lædi posse neminem, nisi à se 553
Lælius Strabo auiariorū inuentor 221
Laodice Cappadocia regina 297
Latrūcularius ludus 115
Laureæ decus 188
Laus vera vnde capienda 81
Laus in populo, aut inter doctus 67
Laus propria aut infamia est 390
Laus indigno data 451. 452
Lautus victus 86
Lenitas 307
Leo in vrbibus non nutriendus 478
Liber quis 72. 74
Libertas 72. in seruitutem muta 73. 74
Libertas vera 392
Libido nulli parcit 440
Libidinum æstus 646. remedium 647

Librorum copia 169
Librorum vſus 170.173
Librorum multitudo no cua 174
Libros faciendi nullus finis 175. non omnium eſt 176
Librorum varietas fallit 174
Librorũ ſex millia à quo dam ſcripta 177
Licinius, literas peſtem publicam dicebat 172
Licinius Muræna 219
Lingua, peſſimum mem brum 62
Lingua inquietum ma lum 451
Lingua amiſſa 635
Lingua an nocendũ prõ pta 636. quàm difficilis cuſtodia ibid. ſecundũ Litem omnia fieri 355
Literarum notitia quan do vtilis 177
Literarum iactura 172
Liuor eſt lippus 464
Locorum anguſtiæ ma gnis ingenijs non ob ſtant 379
Locus non beatos facit, ſed animus 210.211
Loquela amiſſa 635
Lucius Verus 94
Lucretia 244.248
Lucretij mors 694
Lucrum ex ludo 116
Lucilli viuaria 219
Ludus, funeſta delecta tio 118
Ludi mos 428
Ludorũ ſtudium immo dicum apud Rom. 125
Luſcinia docilis 242
Lycurgus indotatas iuſ ſit nubere 230
Lyſimachus 189

M

MAchinæ omnis generis 301. vſus quis ibid.
Magiſter militiæ incon ſultus 543. remedium ibid.
Magiſterio inſignit⁹ 197
Magnanimitas 247
Magnetis vis, & lis cum adamante 364
Malos mores ęgrè ferẽs 592
Manlius Torquatus 486
Manlius Torquatus fi lium occidit 682
Mantice Gręcis, quę La tinis diuinatio 335. ab omnibus damnata. ibi dem.
Manus vulnere amiſſa 555
Manuum iniectio in ſe volun-

voluntaria 676
Marcelli quanta expectatio 342
Marcus Aurelius 290
Marc. Cato Censorius 56
Mare quàm ferox bellua 269. in Mari moriens 696
Mare blandum, prædonum blandiciæ 269
Mariti officium 434
Marius vir rusticanus 392
Marius mercenarius arator 404
Masinissa Scipioni factus amicus 194
Mater amantissima 261
Mater amissa 491
Matres quos labores pro filijs sustineant 261
Mathematicorum promissa 334
Maturitas rerum omniũ 581
Mediolanensis ruina 540
Melancholiæ species 178
Memoria infirma 631. remedium ibid.
Memoria 57
Menenius Agrippa pauper 101
Mens hominis frænanda 129.
Metelli exilium 533
Metus parit odium 570
Metus mortis, ipsam exasperat 669. remediũ 672.673
Meum & tuum discordiarum materia 489
Militantium multa genera 187
Militaris professio 186. 187
Militis cuiusdã Canensis factum 555
Militiæ præmia 188
Milo 43
Milo, bouem viuum gestans. 123
Miseria vita tristitiam pariens 608
Miseriæ suæ homo sibi causa 33
Misericordia decet homines 306
Morbo corporis ne morbus animi accedat 657
Mores malos ęgrè ferent 592
Mori metuens 683. 689
Moriendũ quando 273
Moriendũ necessitas 686
Moriens 684. 685
Moriens in peccatis 708
Moriens extra patriam 701. vsque ad 707
Moriens de patrimonio sollicitus 712. de filiis

ibid. 712. de opibus 714. de vxore 714. patria 716. fama 718
Mors 86
Mors omnibus contigua 340
Mors laborum finis 581
Mors vitæ vicina 44
Mors æquè omnibus vicina 580. omnes æquat 686
bona Mors initium vitæ 689
Mors non metuēda 684 687
Mors ignominiosa 697
Mortem honestam quæ faciant 697
Mors non captanda 627
Mors ante diem 689
ad Mortem gradus 52
Mors repentina 699 commodissima ibid.
Mortis vnum imperium 691. varia genera ibi. æquo animo expectanda 691
Morte hominis nemo bene gaudet 313
Morte violenta moriens 694
Mors vna, multæ species 694
Mortē sibi cōscisces 676
Mors magnorum virorū extra patriam 702
Mortis genus optimum 651
in Morte homines fallunsur 692
Mortem quæ grauem faciant 10
Mortis metus 668
Mors non metuenda 669 67. remediū 673. 673
Mortales punctum punctibreuis 297
Mortuorum expectatio 342
Mortuum flere 501
Mulier duodecim filios esse spurios indicās 498
Mummius Corinthum cepit 165
Murænarum viaaria 219
Mures thalamum infestantes 596
Musca non sine causa creata 595
Muscarum tædio affectus 594
Musica ad statum morum pertinet 109
Musicæ dulcedo 106
Mutatio rerū humanarum 78. 703. 704. 705. 706

N

NAsci in alto 84
Natura difficulter

ter vincitur 177
Naturæ fragilitas 611. remedia 613
Naufragium graue passus 507
Nautæ cuiusdam dictum 696
Nauigatio prospera 269
Necessaria subtrahi non possunt 131
Negotio graui defatigatus 510
Nepotes nati, cura infinita 252.253
Nero cantandi studiosus 108
Neronis domus 293. impensæ 294
Nero crystallinos calices collidit 157
Nero specus quoddam recusat intrare 202
Nero matrem interfecit 297
Nicomedes patrem occidit 296
Nobilitas 83.84
Nobilitatē fundare plus quàm accipere 391
Noctua, Augusto molesta 566
Noctu surgendum 101
Nomen bonum 65
Nominis celebritas importuna 588.589
Nominis celebritatem omnes sectantur 589
Nonij gemma 145
Nouerca 482. iniusta, superba 483
Nuditas corporea 611. multiplici suppletur medio 612
Nudum nasci nudū mori humana conditio 34
Nuptiæ secundæ 250

O

OBscænitas ortº 611
Obscuritas originis 390.386.388
Obsessi in patria multi 537
Occasio facit furem 520
Otium 98
Ocij species duæ ib.
Oculis priuatus 619
Odia mutua quorūdam animalium 356
Odium populare 468
Odium alterius noxium 464
Odore solo gens quædam alitur 103
Odoribus seu vnguentis quomodo vtēdum 104
Odorum appetitus 102
Vide Vnguentæ
Olympias adulterium fassa 498
Omen, humanæ demētia

argumentum 337
Opalus gemma 145
Opera humana senio labuntur 149
Opes accendunt desiderium 203
Opes quę quærendæ 400
Opes quo abeãt 712.713
Opes relinquens 714
Opes præreptæ 398
Opes, anceps felicitas 201.299
Opes falsæ 417
Opinio virtutis 64. ambiguæ rei nomen 66
Opinio quantum possit 597
Opinione quædam maiora quàm re 671
Oppida maiora non iuuant plus quàm minora 79
Opulentia nutrix vitiorum 304
Orator verus 60
Orator, & eius proprium 182
Oratorum stilus 449
Orestes matrẽ interfecit 297
Originis vilitas 611
Originis fędę remedium 291
Origo vna omnium 83
inter Os & offam multa accidunt 330

P

PAlestræ genus honestissimum 124
Palestrica gloria qualis olim 123
Palestricorum ludorum delectatio 122
Parasiti 95
Parentes obscuri 390. obscuris nati ib.
Parentes sępe amarescũt in filios 297
Parentibus inhonestis natus 389
Parentibus orti obscuris rusticis 391
Parentum claritas sola non nobilitat 81
Pater bonus 260
Pater durus 484.486
Pater amissus 490
Pater quidam & filius damnati, & decoqui iussi 599
Patres in filios sæuierũt 297
Patris nomen congruit principibus 292
Paternus affectus 501
Patientia in aduersis remedium 592
Patientia dolorem opprimit 657.661.664
Patria obsessa 536. euersa

sa 539.ibid.
Patrię ignobilis 378.379
Patria sola non nobilitat 78.76
Patrię magni viri erepti 302.
Patrię nobilitas 75. gloria ibid.
Patria viri fortis 534
Patria quæ 702
extra Patriam moriens 701.ibid.& 302
Patrimonij diuisio detegit bonos fratres 263. coniugium proles ibid.
Patrimoniũ duplex 400
de Patrimonio relinquẽdo solicitus 712
Paula Catonis Censorij vxor 435
Paulinus Nolanus præsul 394
Paulus Æmilius inops fuit 161
Pauones quales aues 116. carnium nobilitas 217. quis primus pauonem Romæ occiderit ibid.
Pauper, liberior, expeditior 404
Pauper natus 408
Pauper securus viuit 667.
Paupertate pressus 396. tutior diuitiis pauper-tas. ibid.& 397
Paupertas remediũ aduersus podagram 583
Paupertas crescit cupiendo 143
Pax 465
Pax bonũ bellũ ingens si perpetua & sincera 316 bello quandoque funestior ibid.317
Pacis spes 314. Pacis hostes ibid.
Pacis comites 317
Pax tutior quàm sperata victoria 309
Pax animi sperata 354. bellum potius 355
in Peccata quod ius Deo habeat 711
Peccatum alterius pœna 457. in Peccatis moriẽs 708. Peccatorum post mortem status 708. 709
Pecunia in fœnore posita 204
Pecunia magnum pondus & graue 420
Pecuniæ cõtemptus 419
Pecunia amissa 413
Pecunia in summis necessitatib. opem ferre non potest 415. multis pestifera ibid.
Pedes iter faciẽs 513.514

Pernicitas 54
Pertinax 290
Peſtis ſæuiens 606. peſtis metus ibid.& 607
Phidias vultum ſuum in Mineruę ſtatua expreſſit 588
Philomelæ cantus 596
Philoſophia vera 35
Philoſophus quis 180
Philoſophi quos naturę mechanicos fecerat 177
Philoſophica à philoſophis petenda 670
Philoſophorum inter ſe prælia 367
Phœnix 224
Pica loquax 223.diſcendi ſtudioſa 223
Pietas cuſtodia religionis 72
Phraates rex Parthorum 297
Pictarum tabularum delectatio 160. ars, varietas 161
Pilæ ludus 113
Pindarus 78
Piſces in piſcinis incluſi 219
Piſces tangi muſicæ dulcedine 106
Piſcinarum ſtudium 218
Pium eſſe aliquãdo crudele 488
Placere hominibus 66
Plantius vnguenti odore proditus 104
Plautus inops 302
Plato Olympionices fuit 123
Plato de ſuis amoribus ſcripſit 238
Plato in ſeruitium delatus 395
Plato cœlibem vitã diu tenuit 455
Plato Socrate maior 257 gratias agens quòd natus Athenis 77. iratus noluit ſeruum punire 644
Podagra laborans 582.remedium 583
Poëtarum ſtilus metuendus 449
Poëtica laurea 181
Polycratis Samiorum tyranni gemma & caſus 150
Pompa matura, non quæruntur 580
Pompeius Magnus margaritis diffluit 147.eiuſdem triumphus 148
Pontificatũ ambire Chriſtiano non licet 228
Pontificatum adeptus 318.319

Pontificatū Cæsar emit 321
Pontifices primi ad mar tyrium, nunc ad delicias vocantur 320
Populiamor 284
Potētia magna 276. quæ vera & firma 277
Potentia regum 291
Præceptor indoctus 479
Præceptoris excellentia 256. quomodo vtilis discipulo 257
à Prędonib. spolia 520
Cęsar ab illis captus 521
Prælium infaustum 545. prælio victus 544
Prędes prouinciæ 186
Principis aduentus expectatio 345. 346
Priuignus bonus rarus 256
Procurator regis 184
Proditi à suis 762
Proditor sibi plus nocet 563. nil sceleſtius 563. ab amicis 562
Prolis sarcina 409. cura pro victu restitutę 410
Promissores magni 473
Promissorū tarditas 472
Promittendi nullus modus 329
Prosperitas fallax 274
Prouidentia diuina 430
Psittacus 223 [170
Ptolomæi bibliotheca
Publicola domum suam deposuit 141.
Pudicitia vxorem 430. pudicitię & formę rara concordia 437
Pudor gradus ad resipiscentiam 452.
Pulchritudo animæ 43
Pulchritudo animi 372
à Pulicibus agitatus 595
Punctum terra, homo pūctum puncti 297
Purpura non facit regē 289
Pyrgoteles 159
Pyrrhi achates gēma 150

Q

Qveruli homines in aduersis 583
Quies varia 98
Quintus Metellus felix habitus 289

R

Radix omnes obscuræ 393
Ranarum strepitus 597
Regia sceptra & diademata ponderosæ res 560
Regni salus 288. felicitas 289
Regis salus in quo posita

288.officium ibid.
Regni pulchrum nomẽ, difficile officium 296
Regnum amissum 319.vltro dimittendum 559
Religio 71.72
Remedia aduersus amorem 239
Remissio peccatorũ 710
Repẽtina morte moriẽs 699.cõmodissima ibid.
Repulsam, passus 473. 474.475
Resp.dominum iniustũ patiens 476.477
Rex factus 288.officium ibid.& 289.291
Rex iustus rarum bonũ 267
Rex apud Taprobanẽses eligi solitus 557
Rex apũ sine aculeo 296
Reges ex seruisoriũdi 83
Regũ successor semper optatur 289
Regum aut imperatorũ plerunq. exitus 287. 290
Robur optabile 375
Rochus auis 365
Roma de domina gentium, serua 76
Romani pauperes, victores 304
Romani bellis occupati 465
Romani ludorum nimis amantes 125
Romani tãdiu boni quãdiu pauperes 402
Romanorum animi 545
Romulus 378
Roscius histrio 128
Rugę corporis senilis 574
Rumores incerti 338
Rusticis parẽtib.orti 392
Rutilij exilium 533

S

SAbinarũ pudicitia circumuenta 128
Sabinus seruorũ sciẽtia gloriatus 173
Samnitis senis patientia 662
Sanguinis claritas 81
Sapiens verè, qualis 67. eius proprium 68
Sapiens solus liber, solus diues 397
Sapiens septem 69
Sapientia cæleste donũ 68.eius cupiditas bona ibid.
Sapientiæ opinio gradus ad stultitiam 67
Sapientiæ cognoscendæ modus 69
Sapientiã veram qui ament 180.clara 181

Sa-

Sapiẽtum greges hodierni 72
Sardonix gemma insignis Polycratis 150
Scabie laborans 584
Scænici ludi 126
Scaur⁹ princeps insaniæ amphiteatrorum 127
Sceptrum & Diadema, clara miseria 289
Schola sola non nobilitat 78
Scipio tripudiare solitus 112
Scribendi officium omnes sibi vsurpant 176
Scribere non datum omnibus 175
Scriptoribus claris quæ habenda gratia 35
Scriptorum insscitia & inertia 171
Securitatis via 567
Senectus 677
Senectus insidiosa 44
Senectus 210. 211. suas habet voluptates. ib.
Senectus non deflenda 578.579
Senex esse nemo vult 577
Senex annum se putat viuere 699
Senes adolescentiam reuocant 575.577
Senis pulchrum de senectute responsum 578
Senis cuiusdam historia 537
Septimij Seueri podagrici dictum 583
Sepulti de publico 401
Serapion eremicola 394
Sereni Sammonici bibliotheca 170
Serenitas aetis 267
Serenitas vtilis 268
Sergius Orata 218
Sermo intimus in dolore quid 662
Seruitutis remediũ 392 395.396
Serui mali 458.459. remedium ibid.459.460
Serui fugitiui 461.462
Seruus natus 391
Seruos parere dominis vt oporteat 339
Seruorum multitudo 136.137
Seruum honestis artibus operam dare nihil impedit 395
Seruius Tullius, serua matre natus 393
Signa gẽmis expressa 159
Simiæ delectatio 215
Simia latrũculis lusit 115
Simulachra fugiẽda 165
Sirenum cantus 106
Smaragdus 147

Socrates sapiens dictus oraculo 79
Socrates 78
Socrates innocens damnatus 531
Socrates mundanum se professus 334
Socrates defugienda inuidia 470
Socrates fidibus operam dedit 107
Solomon sapiens habitus 69
Solon 112
Solon quotidie discens senescebat 631
Somniorum fallacia 578
Somnijs inquietari melius quam mulceri 587
Sõniorũ inquietudo 587 remedium 588
Somnolẽtia vitiosa 100
Somnus mors dictus ib.
Somnus & mors 586
Somnus mortis imago 669
Somnus amissus 585. remedium 586
Sopor materia vitij 99
Sorores bonæ 264. difficilis custodia ib.
Sors alternares humanas variat 490
Spartana quædam de filio 492
Spectaculis delectari 125 128
Spectacula 126. fructus eorum 126. 128
Spectacula viros dedecent 129
Sperni & spernere remedium 470 472
Sperni quã Metui tutius 471
Spes bona 322. non sine metu ib. quæ sit 326
Spes rerum fallacissima 522
Spes multiplex 352. 353 vitæ æternæ 355
Spes & absentis boni, & malis aliquid patitur 325
Sponsa erepta iudiciali sententia 428
Spreti ab alijs multi 471
Statua regis Assyrij 164
Statuarũ delectatio 262. vetus erroribus & 163
Statura breuis 373
Stephanus Columnensis 142
Sterilis plaga 518
Sterilitas vxorum 442
Sterilitas annua 515
Stultus collega 542. remedium 543
Sturnus sermonis docilis 224

Sue-

Succeſſores plerūq. à maiorū calle diſcedūt 557
Summum bonum 454
Sumptus immēſi Rom. Imp. 922
Superbia nūquam quieſcit 257
Superbia elatus 674
Superflua plura quàm neceſſaria 274
Suppellex pondus inutile 143
Syderum vis in homines 387

T

TÆdium vitæ vt propellēdū 626
Tædium rerum variarum 594
Tædia ab ipſis hominib. 598
Tædia delicatorum ac diuitum 159.160
Tædia variarum rerum vtilia 596. ad pag. 303
Talorum volubilitas 17
Taprobano inſula Britāniæ. 557
Tarquinius in regia percuſſus. 140
Tarquinius patre negotiatore natus. 393
Tartareus inuentor taxillorum. 119
Taxillorum ludus. 116
Taxillorum ludus aduerſus 428
Tempeſtatibus turbatus 601
Tempus volubile 46
Tempus fugit 52
Tempus nullū ſtat. 343
Tempus inſtabile 246
Tempus omnia imminuit 82.
ante Tempus nemo moritur 690
Tēporis amiſſio 425. tēpus non eripitur inuito. ibid. & 426
Temporū meliorum expectatio 344
Terētius ſeruus fuit 395
Terra omnis punctus 58
Terræ infertilitas à peccato hominis 206
Terrę non minora pericula quàm pelagi 243
Terræmotus 603
Terræmotum timēs 603
nullum remediū 604
Terræmotus prædictus 603
Terræmotus variis locis 604
Teſtamenta leuibus cauſis mutantur 329
Themiſtocles 32. 49 & 80
Theologia 180
Theſauri Regū nō ſunt

in impẽsus inanes 295
Thesaurus in bella repositus 303. metum possidenti affert, audaciam hosti 304
Thessalia Martis seminarium Visa 133
Tuscus adolescens vultũ deformauit 372
Tiberius Cæsar, non meminit quid fuerit 297
Tiberij vox ferox 308
Tibiarum ægritudo 617
Timor pessim⁹ augur 541
Timor parit odium 570
Tituli multi ac varij 180 183
Tonitrua 601. 683
Tormẽta patiẽs 527. 528
Torpor animi 645. remedium ibid.
Tortus tormentis 527
Tranquillus status 273 volubilis ibid.
Tripudio abstinendum 111. 112
Tristis 607
Tristitia varia ex variis causis 608
Tuberionis vasa fictilia 167
Tullus Hostilius ictus fulmine in regia 140
Tullus Hostilius in adolescentia pastor 393
Turdus sermones humanos imitatus 163 [287
Tyrannis occupata 285.
Tyrãnides multę propter vxorum iniurias perierunt 565
Tyrannis amissa, aut deposita 563. 564. 568
Tyrannus 477. tyranni Romani, Assyrij ibid. & alij 487
Tyrannorum plerunque exitus 287
Tyrãnorum crudelitas, superbia auaritia 566
Tyresias vates cęcus 620 622
Tyro Ciceronis seru⁹ 395

V

VAdimonio addictus 423
Valeri⁹ Publicola de publico sepult⁹ 401
Valerianus à prædonib. captus 522
Valetudo 51
Vatinius Catonis prælatus 418
Valetudo aduersa 377 infirma 378
Vasa fictilia vtiliora Corinthiis 167
Velocitas 54
venationi studium 135
Venenum timens 666 reme-

remedium 667
Ventidius Bassus 386
Verba doctorum prægnãtia sunt 663
Verba corporibus non medentur 664
Vespasianus vnguentis delibutum relicit 104
Vespasianus non clara stirpe ortus 386
Vestales virgines 440
Vestitus mundus 96
Vestitus Cæsaris 96
Vestitus superbia 97
Vicini importuni 462 ibid.
Victoriæ spes in bello, fallax 309. tristis 310
Victoriæ comites cauẽdi 311. Victoria sæpe magno constat 312. Victoria plena ibid.
Victus tenuis 90
Victus tenuis à multis quæsitus 405 laudatus 407
Victus tenuitas, quàm vtilis 406
Vigilia 100
Vilitas originis 611
Villicus insolens 518
Vindicta 304
Vindicta vide vltio
Vindictæ facultas prærepta 466
Vinum 602
Vino abstinendum 112
Viperæ 360
Vires corporis 52
Vires corporis seneſcũt. 375. Vera vis nominis in animo 376
Vireta consita manu Medorum regum 211
Virginia 244
Viri boni nomen vt obseruandum 66
Viridaria 210. vireta non beatos faciunt sed animus 189. multis infelicia.
Virtus 62. eius fundamentum 63
Virtus nihil sibi arrogat. 63. plena non est 64. Virtus quæ. ibid.
Virtus amanda 450
Virtus vnum bonum 651
Virtus sola gloriosa 373 libera 374
Virtutem nulla mors inquinat 698
nulla Virtus non inuenit vituperatores 455
Virtus vera 455
Virtutis illecebræ 465
Virtutis species, mirum sui amorẽ paritura 645
Virtutis inopia desiderium 638. studio summo

incumbendū 640. Dei donum ibid.
Virtuti modicū sufficit. 698. nihil negat ibid.
Virtus animi cum forma corporis 50
Virtus vna contra fortunam 399
Virtus non metuit seniū 55
Virtutes quidā vitio cōtrario occultant 416
Virtutis calle ad summos gradus peruenitur 351
Vita hominum nihil fragilius 7
Vitæ vigilia 72
Vitæ breuitas 18
Vita omnis sapientibus iucunda 655
Vita non semper beneficium 642. miseriarum officina 426
Vita non abrumpēda iniussu Dei 586. 636. 638
Vita mari simillima 241
Vita humana instar nauis 343
Vitæ metam quis figat 18
Vitæ spacia incerta 649
Vitæ limen initium mortis 626
Vitæ tædium 586. remedium ibid.
Vitæ tempus quale 17
Vitę omnis hominum lis quædā à p. 323. ad p. 338
Vitę spes diuturnioris omnibus innata 295
Vitium solum contemptibile 373
Vitia vitiis vincuntur 153
Vitia aliena facile cernuntur 463
Vitia quidam occultant 452
Viuariorum primus institutor 219
Vlciſci an liceat 304
Vltio non est regum 292 & 295
Vltio. 306. illicita. ibid.
Vnguenta externa Romæ prohibita 103
Vnguenta quibusdam periculo fuerunt 135
Volucrib. delectari 133
Voluptas alata ibid.
Voluptates 646
Voluptatum animi & corporis cōparatio 573
Vrbes è liberis factę seruæ 74
Vrbis regimē difficile 185
Vrbes magnæ paruos habent ciues 378
Vrbes quid amplificet. ibid.
Vrbib. sua sunt fata 536. 539

emer

Vtendum non fruēdum rebus 98
Vtilitas non æstimanda impēdio dedecoris 330
Vulgus loquax 166
Vulgi contentiones, strepitus 594
Vulgi prædicatio 64
Vulgi sermo 449.459
Vulnus vnicum mortale 554
Vulneribus cruciatus 553
Vulneribus deformatus 556
Vulpina fallacia 356
Vxor nobilis. 225. formosa. ibid. & 228. coniugem amans 227. vxor fidelis rara 228. fœcunda 229. facunda. ibid.
Vxor qualis non quanta dos, quærendum 232
Vxor importuna 433. remedium 434
Vxor rapta. 436. impudica 437. ibid. remedium aduersus adulteram 441
Vxor sterilis 442. de Vxore moriens sollicitus 714
Vxorem amissam lugēs. 430. Vxor bona rarum animal 431. amissa lucrum 432
Vxorem verberat qui nō habet. 433. Vxor quo amantior coniugis, eò magis suspicioſa 229. 450
Vxori & sapientiæ studio dare operam nemo potest 432
Vxores viuente marito alteri nuptæ 715

X

XAntippe Socratis vxor 531

Z

ZEnobia dentium nitore celebris. 616

FINIS.



F. Petrarchae

operum

tomus primus.

Bernae u. Genevae

1619

Su
1674
1